

domadae crebris foedatae sunt casibus, ut in commentariis infortunatas hebdomadas Scotus appellat.

Nam primum unus ex mannulis adeo debilitatus est, ut iam non videretur parerendis oneribus; alter, cui illi Christoffer nomen fecerant, aegerrime et tantum uno revincto crure se patiebatur iungi. Multum Scottus secum illis hebdomadis cogitabat, quale habiturus esset iter, si deficerent iumenta, si illae motoriae traheae speratae non haberent utilitatem. Quibus ille nunquam nimium confisus erat, et se eis facile caritatum dicebat, modo bestiae praesto essent. Sic quicunque vel equorum vel canum incommodum nuntiabat, faciebant sollicitum. Iam illud periniquum fuit, quod praeter spem accidit, ut ascendance magis et magis sole tempestates et turbines impeditent necessarias iumenti exercitationes. Quum a. d. VI Idus Octobres nuntiatum esset unum ex optimis in «Promontorio Tabernario» perisse canibus, Scottus: «Est - inquit - calamitas, sed dudum didici non trepidare. Suam quaeque res habet cursum, et per me teneat!» Tribus diebus ante - fuit is dominicus dies - repente per telephonum nuntiatur Clissoldum coquum ex glaciali monte decidisse et laeso dorso esse. Tribus horae punctis Bowers ornat traheam; Scottus terra proferat ad locum. Iacebat Clissoldus alienatus mente, et adstabat pertristis Ponting. Immissus dormitorio culleo vectus est domum, quem verisimile est invitatum ab photographo in mutando ante machinam statu repente non potuisse se amplius sustinere. Lapsus in metra quattuor voluntus erat, postea decidit in projecturam glaciati parietis alliso dorso et capite. Apparebat leviter concussum cerebrum esse. Antequam reliquit animos, de dorsi questus est doloribus, quos post horam evigilans etiam acerbiores sentiebat. Medici rem haud ita seriam iudicabant, sed Scottum vehementer angebat. Post dies

duos aegrotus postulavit cibum et curiosus subinde interrogavit, suone itineri necessaria compararentur. Respondebatur sane tempore omnia fore parata sed nullo pacto - inquit Scottus - fiet, ut sicut esset constitutum, nobiscum abeat. Et quoniam fere calamitati consuevit sociari calamitas, quo die Clissoldus portatur in tabernam, Scottus miratus est, quod nondum reverterat Taylor, qui se ad locum cui "Turicum Caput" nomen erat, contulerat. Coenantibus demum ardens supervenit Wright: Taylorem confectis viribus iacere in meridiano sinu; opus esse quamprimum vino Cognacico<sup>1</sup> et calida potionem. Missi exemplo qui essent auxilio, quum circumissent promontorium, ipsum hominem habuerunt obviam. Accurrit semianimus. Nam insanum procurrerat ad eum, quem sibi petendum statuerat, locum, etiam quum redditum suaderet ratio. Sic dies tristem habuit exitum - inquit Scottus - qui Idibus Octobribus nuntiat comparata iam esse, quae ad iter essent necessaria, nequedum quemquam scire, quinam secum ad polum essent accessuri; neque enim illos viros eligi antequam perventum esset ad elatam illam planitiem poli, ubi singulorum habenda esset ratio valetudinis et virium.

Post dies duos Scottus queritur non omnia procedere ex sententia. Nam illo die motorias traheas demissuri erant in glaciem. Acervi nivium impediabant viam. Primae igitur traheae extorta statim catena est. Quae quum inserta esset rotae dentibus, machina moveri coepit usque ad ipsam glaciem.

<sup>1</sup> Vinum Cognacum est alcoolica potio. Fabricatur Cognaci, celebri Galliae urbe.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

# ALMA ROMA

QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperrime prodit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### Fridianus - Francisculi prandium.

Singulæ pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

## PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **ALMAE ROMÆ collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 475 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 950, pro exteris gentibus.

Hæ vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMÆ** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXIV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequa*ns*; ante solvendū recto*que* tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

### "ALMA ROMA" IN ANNUM MCMXXXIV

Qui nuper in saeculorum hiatum ruit annus MCMXXXIII, festis diebus causae latinitatis occurrit: hinc de latinitate in ipsa Urbe conventui, inde, et post istum, experimentis et incoep*ti*s ad perficiendum quod iam diu plurimi docti viri optime sentiebant, in eoque conventu praedicarunt, necesse esse ad latinum sermonem, ad latinam linguam redire, si disciplinarum universum commercium, in scientiae universae bonum, constituere reapse cupiamus. Itaque a mense Maio in commentario, cui titulus *Sanitatis vires*,<sup>1</sup> medicae doctrinae apud Italos nos longe maximus omnium, quippe qui Supremi Medicorum consilii interpres, imo vox est ter in mense edita; in singulis, inquam, commentarii illius fasciculis latine enunciata et descripta Italorum doctorum studia vidimus, quae ceterarum nationum collegis commendari possent, eaque, quum de novissimis arduisque rebus agerent, haud quidem incompte scripta, atque ita tamen ut ab omnibus in ipsis novis verbis, a graeco fonte praesertim deductis rectaque scribendi scientia redditis, facile perciperentur, laudesque et gratulationes tanti ausus auctoribus compararent.

<sup>1</sup> Italice: *Le forze sanitarie.*

Neque satis: sub anni finem alias commentarius in Urbe edi coepit menstruus, *Roma universa*<sup>1</sup> inscriptus; in eoque etiam, iam ab initio et capite, scripta prodierunt, et ipsa latina, quae Romae laudes celebrarent exquisitiore et minime vulgari orationis genere: scilicet quia non aliud re dignum animadverteretur. Ex quibus, inter alia, facile deducere, ni fallimur, id licet, quod iterum iterumque per tot annos decantavimus, latinam linguam a maioribus traditam atque transmissam, aptam, idoneam adhuc extare vel ad recentissima omnia exprimenda; ideoque latinam linguam, latinum sermonem cum sui eloquii structura et forma nunquam esse mortuum, sed vivere adhuc et aeternum posse vigere, novum spiritum, novam animam indesinenter populorum universitati infusurum. In vanum itaque, non aliter atque illi qui arte efficas linguas tentarunt, et ipsi laborabunt, qui latinam linguam in progrediendo mutabilem sibi effingentes, novum sermonem latinum constituere nunc et imponere praesumunt: confiteantur potius, se almae Matris linguam prorsus ignorare, se impares esse ferendo oneri temere sibi assumpto, atque magisterii loco cedant, sua cedant arma togae, iis nempe qui ad spiritum illum, ad animam illam, quibus latine concipere valerent, acquirenda, totam vitam insumpserunt, sudarunt, also-runt. Ex his equidem, si vere latinitatis restitutionem quaerimus, efformandum est invocatum foedus latine scribentium, unis hisce est credenda provincia; hos iuvenes, qui immortalis parentis amore atque institutis ita sollicitantur, ut ea per orbem universum iterum vulgandi fremitu flagrent, sequantur; sequantur in primis ampla verborum cognitione, intimoque vocum sensu penetrando, non ficta creando; tum solum enim latine et ipsi concipient; tum facile, imo quasi ex necessitate, latine et hodie loquentur, utque per saecula sine intermissione fuit, universo orbi imperabunt. Si aliter factum fuerit, non progressus, sed regressus latinitatis comparabitur. Faxit Deus ut hunc ardorem late magis in dies posteritati propagare nos etiamnunc valeamus: is vitam nostram aluit, is, licet iam senescentes, nos in campo continet, inclytum vexillum agitantes, inflexuri nunquam!

Quibus positis, non est profecto quod proposita nostra de novo succedente anno amplius declaremus; qui nos novit et per annos

<sup>1</sup> Italice: *L'universalità di Roma.*

viginti est comitatus, ea minime ignorat; qui proxime accessit aut sit accessurus, ex iis quae hoc usque diximus facile colligit.

Unum igitur restat ut ALMAE ROMAE consociationis rationes repetamus.

Ipsius pretium in Italia est libellarum 15; pro ceteris universi orbis nationibus summa, quae Italicas libell. 30 exaequet.

Communi huic subnotationi altera iam aliquot annis addita est, quam *adiutricem* appellavimus, duplicato cuiusque subnotationis pretio. In *Patronorum* autem Commentarii nostri numerum adscribentur qui summam libellas 100 exaequantem miserint, vel socios quinque novos apportaverint.

Praeterea qui integrum ALMAE ROMAE commentarii collectionem, ab anno scilicet MCMXIV ad annum MCMXXXIII inclusive, sibi cupiant, mittant Italicas lib. 475 si in Italia; pretium duplicatum, nempe libell. 950, si apud exterias gentes.

In mentem autem revocamus, a nobis libros duos editos fuisse ad latine scribentium et colloquentium utilitatem; alterum cui titulus *Parvum antibarbarum* (cuius tamen pauca exemplaria iam supersunt), alterum *Communia vitae* inscriptum; singuli ven. lib. 8; quibus addenda erunt lib. 0,50 in Italia, lib. 1 apud exterias nationes, pro transmissionis expensis.

*Pecunia omnis sive pro consociatione, sive pro librorum acquisitione, ante solvenda est apud doctorem JOSEPHUM FORNARI, «Almae Romae» Moderatorem, Romae, via del Governo Vecchio, 96.*

Denique has de subnotatione leges in mente quisque habeat:

1) *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) *Qui ALMAE ROMAE specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit — (quod nullo impedio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituuntur) — tamquam socius valide reputabitur, ideoque ad solvendum annuae consociationis pretium tenebitur.*

DE HODIERNAE VITAE RATIONE RENOVANDA  
MEDITATIONES<sup>1</sup>

## IV.

## Navigare necesse est.

Dubitare igitur iam non possum quin rerum veritatem, sensibus dum recte ac mente utar meis, assequar investigatione, inquam, non creatione, quae unius Dei est, non hominum. Itaque veritate confusus ulterius progrediar, vera perquirens. Atque ab iis exordiar quae mihi propinquiora esse videntur, quaeque ipse experior fere cotidie vel in humillima vita; hanc enim sapientissimam semper legem tenui vera perquirens, ut ab humilioribus ad altiora contendarem, ab apertis ad secreta, ab iis quae manibus fere tetigissem oculisque complexus meis essem, ad ea quae mente postea essent contemplanda aut ab aliis discenda; quorum tamen praecepta nunquam accipere potui antequam directe, aut saltem indirecte, viderim ipse eadem esse vera et iusta.

Id autem censeo esse cuilibet suadendum, in tanta rerum permixtione sacrarum simul ac profanarum, in tanta hominum iactantia, in tanta errorum audaci colluvie; quum undique sursum atque deorsum voces tam discordes alte clamitent, monent, minitentur, terreant id esse faciendum, id autem vitandum; vitam hominum nihil aut permagni esse aestimandam; abiiciendam plane esse aut per fas et per nefas servandam, blandiendam, propagandam; nihil esse divitias nisi stercus satanae aut omnia esse, sine quibus nihil fiat in orbe terrarum, nihil moveatur; principes nihil esse aut esse deos; artes nihil esse aut esse vitam ipsa nostram; nullas arti eidem esse leges aut suas esse sartas tectasque et arti

et vitae leges servandas. In tanto igitur garculo indecoroque clangore censeo ad unam animi nostri vocem esse redeundum, quae ni intus clamet, frustra clamant exterius voces ceterorum; nihil enim sentio posse meo in animo esse aut imperitare, nisi meum sit, aut saltem nisi ita receperim sincere, ut vere meum fiat.

Quamobrem primum meam audiam interiorem vocem quid doceat; quid animus didicerit meus tantarum interius exteriisque contitus ordinem rerum quibuscum ego sum et vivo; tum hominum quorundam, eorundemque summorum, explorabo, quid experti iidem sint, quid eadem certa de re, et primum de hac nostra vita recte instituenda, senserint; nam si eorum venerandae voces cum vocibus rerum animique mei concinerint, firmorem profecto certitudinem pleniusque assequar ipse gaudium, stratumque mihi intuebor quasi viam qua e rerum hominumque concentu ad Dei progrediar vocem ineffabilem quaerendam atque capessendam.

Tunc tantum animus pace fruetur secura, quum vitam suam certo videat unde profecta sit, quo tandem contendat, qua sit via dirigenda, quibus iuvanda auxiliis; idque non hominum auctoritate, sed unius Dei, qui est; quum enim homines sint natura pares, animus meus non videt curnam debeat ab alio homine dirigi; tunc tantum alacer operabitur, quum certo noverit ad quid sit operandum; tunc tantum honestatem omni nisu sectetur, quum perspexerit quid sit tandem honestas et curnam tam gravia imponat onera. Ni haec certo constiterint, sentio absurdam mihi esse honestatem quamlibet, absurdam virtutem, absurdam hominum consortium, absurdam denique vitam.

Et tamen ego vivo; neque ipse vitam elegi, non ipse hanc vitae navem ultro concendi; quum infantiae somno aut somniis experrectus animadverti me esse in

<sup>1</sup> Cfr. fasc. mens. Decembr. MCMXXXIII.

navi cum tam multis itineris maritimi sociis iter non recusavi; ad portum unde navis solverit non remeavi: id enim mihi nefas est, nec quisquam me docuit qui aut quo esset remeandum; immo parentes mei atque praecatores me docuerunt *navigare necesse esse*, ut ad portum originis redirem; recte navigare ut redirem sanus; ideo mihi constitui recte navigare, quod est recte vivere. Quid autem est illud *recte*, nisi ad aliquid referat vitam? Ad quid tandem? Itaque redit quaestio haec tam gravis, tam urgens ut nisi eam recte solverim, vivere recte non possim.

Id autem mihi non minimo est solacio, quod navigando progrediar, progrediar animo, corde, spe, vita; mihi enim vivere est ipsum agere, agere humano modo, id est agere rationabiliter: agere autem rationabiliter mihi est certam mihi quandam perfectionem agendo quaerere, parere bonum quoddam, ad quod experior me omni mea operatione contendere, sine quo nihil agerem, nec ad agendum quidquam allicerer, traherer: id appellant *finem*, vel etiam *causam finalem*. Idem autem experior hanc mei perficiendi cupiditatem nunquam satiari, nunquam plane expleri, immo vero memet vehementer compellere ad altiora atque urgere cotidie; idque reor experiri ceteros quoque homines.

Qua perpetua siti compulsi pergimus omnes, plerumque nihil animadvertisentes, plerumque veluti dormitantes, quo trahit sua quemque voluptas; nec raro specie boni decepti illusionibus implicamus: fieri tamen non potest quin quandoque, maxime quum res adversae e somno nos excitant, ad nos redeamus, nobiscum ipsi secreto querentes quo tandem haec vita nostra contendat, num recta via, num aptis mediis. Tum motui illi spontaneo, quo ad bonum ferimur, succedit reflexus, quem dicunt, quo vigilantius idem bonum contuemur vera a falsis discernentes, atque ad verum dirigimus nos ipsi, ratione ac libera vo-

luntate, scientes ac liberi: exoritur ita hominis motus deliberatus ad finem certis idoneis actibus, certa via, certis accommodatis mediis: quae omnia, quum ordine quadam inter se continantur moresque nostros afficiant, dicta sunt *ordo moralis*; quaestio autem iisdem de rebus *quaestio moralis*, vel, ut neotericis placet, minus concinne tamen, *problema morale*. Hanc dispiciendam curabimus.

SYLVIA ROMANI.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

## De praepositione.

I. - Praepositio praemissa demonstrativo reticetur ante subsequens relativum post quod subauditur verbum propositonis primariae. At, si propositio relativa omni mea operatione contendere, sine quo nihil agerem, nec ad agendum quidquam allicerer, traherer: id appellant *finem*, vel

*In eadem* opinione *fui*, (*in* qua reliqui omnes (fuerunt) (Cic., Att., VIII, 15).

*In eadem* propemodum brevitate (*in* *qua* illae bestiolae (reperientur) *reperiemur* (Cic., Tusc., I, 39, 94).

In quem hoc dicam quaeris, Eruci? Non *in eum* (*in* *quem* vis et putas (me dicere) (Cic., Pro Rosc. Am., 44).

Id tibi affirmo, te *in istis* molestiis, *in quibus es* hoc tempore, non diutius futurum (Cic., Fam., IV, 13 4).

Ne tuae litterae nunquam *in tantam* spem induxerunt (*in* *quantam* aliorum (Cic., Ad Attic., III, 19).

II. - Item praepositionem quae plerumque iam usurpata fuit omittunt:

1º) ante nomen appositorum; <sup>2</sup> v. g.:

<sup>1</sup> Cfr. sup. fasc. mens. Decembr. MCMXXXIII.

<sup>2</sup> Praepositio tamen solet iterari, quum nomen appositorum est *urbs* aut *oppidum* cum adiectivo;

Multa narrare *de Laelio*, (de) *socero suo*, memoriter et iucunde solebat (Cic., *De Am.*, I).

*Cum* duobus ducibus de imperio in Italia est decertatum, (*cum*) *Pyrro* et (*cum*) *Hannibale* (Cic., *De Am.*, 8, 28).

Epicurus levationem aegritudinis *in* duabus rebus ponit, (*in*) *avocatione* a cogitanda molestia et (*in*) *revocatione* ad contemplandas voluptates (Cic., *Tusc.*, III, 15, 33).

2<sup>a</sup>) in quaesitis aut responsis, quae arcta cohaerent cum iis quae proxime sunt dicta; <sup>1</sup> v. g.:

*A rebus gerendis senectus abstrahit?* (A) *quibus?* An (*ab*) iis quae iuventute geruntur? (Cic., *De Sen.*, 6).

*A love incipiendum est.* (A) *Quo love?* (Cic., *Rep.*, I, 36, 56).

Sed traducis cogitationes meas *ad* voluptates. (Ad) *Quas?* Corporis, credo (Cic., *Tusc.*, III, 17, 37).

*Si per alios fecisse dicis, quaero (per) servosne an liberos* (Cic., *Rosc. Am.*, 27, 74).

III. - In universum, praepositio quae ad plura substantiva refertur, semel tantum exprimitur, quum haec substantiva:

1<sup>a</sup>) unum quid designant aut saltem res connexas; v. g.:

*Ex aequo et bono - In labore ac dolore* (Cic., *Tusc.*, V, 14, 41).

v. g.: Demaratus Corinthius contulit se Tarquinios, *in urbem Etruriae florentissimam* (Cic.). - Albae, *in urbe opportuna et munita* (Cic.). - Cives Romanos Neapoli, *in celeberrimo oppido*, saepe cum mitella vidimus (Cic.).

NB. - Item, Tullius scripsit: genus Tusculo, *ex clarissimo municipio*, prefectum.

Item latine omittenda sunt praepositiones aut coniunctiones quae, in vernacula lingua, substantivum quod «attributum» dicimus, praecedunt; v. g.: Hanc hoc biennio (tamquam) *consul* evertes (Cic., *Sonu. Scip.*, 11, 11). - Ille rempublicam constantissime (tamquam) *consul* defenderat (Cic., *De orat.*, III, 2, 3). - Philippum Alexander elegit *medicum* (= pro medico).

*Ad urendum et secundum* (Cic., *Off.*, I, 38, 136).

Formare vitulos *ad studium* atque *usum* agrestem (Verg., *Georg.*, III, 163).

2<sup>a</sup>) enumerationem pressam et vividae efficiunt; v. g.:

Hoc appetit *in* bestiis, volucribus, nantibus, agrestibus, cicuribus, feris (Cic., *De Am.*, 21, 81).

IV. - Praepositio quae ad plura substantiva refertur, ante singula exprimitur, quando singula vim habent. <sup>1</sup> Hoc fit praesertim:

1<sup>a</sup>) quum haec substantiva res aut personas distinctas denotant; <sup>2</sup> v. g.:

*In vincla atque in tenebras abripi* (Cic., *Verr.*, IV, 10, 24).

*Legati ab Aeduis et a Treviris venerunt* (Caes., *De Bel. gal.*, I, 37).

<sup>1</sup> Praepositiones monosyllabae, praesertim *cum*, *ab*, *ad*, *de*, *ex*, *in*, non raro repetuntur, praesertim quum substantiva res distinctas denotant; v. g.: Memini Catonem *mecum* et *cum* Scipione disserere (Cic., *De Am.*, 3). - Non solum *a me*, sed etiam *a senatu* (Cic., *Cat.*, III, 2, 4). - *De beneficentia ac de liberalitate* dicatur (Cic., *Off.*, I, 14, 42). - Lex illa est ratio mensque sapientis *ad iubendum* et *ad deterrendum* idonea (Cic., *Leg.*, II, 4, 8). - Officia quae pertinent *ad vitae cultum* et *ad earum rerum quibus utuntur homines facultatem*, *ad opes, ad copias* (Cic., *Off.*, II, 1, 1).

<sup>2</sup> a) In rebus collatis, solet iterari praepositio; v. g.: *Quemadmodum in oratione constanti; sic in vita* omnia sunt apta inter se et convenientia (Cic., *De Off.*, I, 40, 144). - *In nulla re melius quam in virtute* - *E vita ita discedo, tanquam ex hospitio.*

b) Praepositio *inter* plerumque repetitur, quum discrimen inter duas res designamus; v. g.: Sic te ipse abiicies atque prosternes, ut nihil *inter te atque inter quadrupedem* aliquam putas interesse? (Cic., *Parad.*, I).

NB. - Attamen Berger (*Stylistique latine*, § 56) scribit *inter* cum *interesse* non iterari, nisi iterationem exigat perspicuitas; v. g.: Vide quid *intersit inter te et (inter) avum tuum* (Cic., *Phil.*, II, 17, 42). - Quid *intersit inter popularem*, id est assentatorem et levem civem, et *inter constantem*, severum.

Orationes efflagitas *pro Scauro* et *pro Plancio* absolvit (Cic., *Ad Quint. frat.*, III, 1, 4, 11).

2<sup>a</sup>) quum iteratur coniunctio et aut etiam coniunctio nec; <sup>1</sup> v. g.: Ut eorum *et in bellicis rebus et in civilibus officiis* vigeat industria (Cic., *De Off.*, I, 34).

Permulti *et ex urbe et ex agris* (Cic., *Cat.*, II, 10, 21).

V. - Ne substantivum substantivo per praepositionem subiicitur, Latini non raro praepositionem cum suo casu tollunt, usurpat:

1<sup>a</sup>) aut genitivo; <sup>2</sup> v. g.:

*Trium simul bellorum* (= in tribus bellis) vicit (Tit., *Liv.*, IV, 6, 1).

*Bello Helvetiorum* (= cum Helvetiis) confecto (Caes., *De Bel. gal.*, I, 30, 1).

*Ceterarum rerum* (= in ceteris rebus) tuam excellentem perfectamque sapientiam (Cic., *De Senect.*, 2, 4).

*Monumenti* (= ex monumento) honore (Cic., *Phil.*, 14, 13).

Quum patrem domi reliquisses, filium tecum haberet, te neque praesens filius de *liberum* (= in liberos) caritate neque absens pater de indulgentia patria commonebat (Cic., *De Supplic.*, 42, 109).

2<sup>a</sup>) aut etiam adiectivo; v. g.:

*Cursus maritimi* (= in mari) (Cic., *Pro Planc.*, 40, 96).

*Oratio miloniana* (= pro Milone) (Cic., *Orat.*, 49, 165).

Multi et varii timores erant: inter ceteros eminebat timor *servilis* (= ex servis) (Tit., *Liv.*).

<sup>1</sup> a) Fere praepositionem repetunt post «aut... aut; vel... vel»; item post «nisi»; v. g.: *Aut in oppidis aut in agris* (Cic., *Agr.*, II, 18, 48). - Neque ulla alia in re nisi *in natura quaerendum* est sumnum bonum (Cic., *Acad.*, I, 5, 19).

b) Non iteratur praepositio cuius casus coniunctione «que» iunguntur.

<sup>2</sup> Genitivus ille potest esse gerundii aut adiectivi verbalis *in dus, da, dum*; v. g.: *Spatium sacrificandi* (= ad sacrificium) dabitur (Ter.).

Fortuna *vitrea* (= ex vitro) est: tum quum splendet frangitur (P. S.).

VI. - Interdum praepositiones, praesertim «sine», eleganter redduntur ablativo absoluto aut participio coniuncto; <sup>1</sup> v. g.:

Quae potest esse vitae iucunditas, *sublati* (= sine) *amicitiae*? (Cic., *De Am.*).

Fingendus est nobis oratione nostra, *detractis omnibus vitiis* (= sine ullo vito) orator atque omni laude cumulatus (Cic., *De orat.*, I, 26, 118).

*Brevi tempore intermisso* (= post breve tempus), in castra legiones reduxit (Caes.).

Dionysius *servitute oppressam* (= in servitute) tenuit civitatem (Cic.).

Si ipsa mens constare potest *vacans* (= sine) corpore (Cic., *De Nat. deor.*, I, 10, 25).

VII. - Quum substantivum aut pronomen a pluribus praepositionibus pendet, post unamquamque repetitur; <sup>2</sup> v. g.:

<sup>1</sup> a) Participio non raro redduntur praepositio et eius casus; v. g.: *Populus Romanus, Caesare et Pompeio trucidatis* (= post trucidationem), rediisse in statum pristinae libertatis videtur (Flor.) - Nihil praecepta atque artes valent, nisi *adiuvante* (= cum adiumento) *natura* (Quint.) - Aedui renuntiant se Biturgum perfidiam *veritos* (= propter timorem) revertisse (Caes.) - Unde diadema? Non enim *abiectum* (= de terra) sustuleras (Cic., *Phil.*).

b) Praepositio et eius casus reddi praeterea potest integra propositione; v. g.: Decessit Philippus, *quam annos regnasset* xxv (= post regnum xxv annorum) (Iust.) - Id agit *ut se conservet* (= ad sui conservationem) (Cic.) - Ciceronem, *ut meretur* (= iuxta meritum), amo (Cic.).

c) «Sine» cum suo casu reddi etiam potest adiectivo, aut participio negativo; v. g.: *Imprudens, ignarus, insperans, impavidus, imparatus, invitus, invocatus, tacitus, impransus, incoenatus*.

<sup>2</sup> a) Saltem quum praepositiones usurpatae non eundem casum regunt.

b) Proinde, ne dicas, Caesarem imitatus: *Intra extraque munitiones* (De Bel. civ., III, 72, 2).

Tamen post praepositiones quae adverbiorum more construuntur reticeri potest substantivum aut

Haec contra legem proque lege dicta sunt (Cic.).

Contra omnia dici oportere et pro omnibus (Cic., Acad., II, 18, 60).

Potest etiam substantivum semel usurpatum pronomine suppleri; v. g.:

*Ante noctem postve eam.*

VIII. - Nonnullae praepositiones sensum aut usum rariorem habent, cui studiose attendendum est. - Sic,

1<sup>o</sup>) causam significare potest praepositio « *prae* », at solum in sententiis negativis, aut cum « *vix* »; v. g.:

*Prae iracundia non sum apud me.*

*Neque prae lacrymis loqui iam possum* (Cic., Pro Mil., 38, 105).

*Collis vix prae multitudine hominum cerni poterat* (Caes.).

2<sup>o</sup>) « *apud* » eleganter usurpatur ad designandum scriptorem, non vero scriptum seu librum; <sup>1</sup> ad significandum vero ipsum librum, adhibetur ablativus cum praepositione *in*; <sup>2</sup> v. g.:

*Apud Agathoclem scriptum in historia est* (Cic., De div., I, 24, 50).

*Apud Homerum Achilles quaeritur* (Cic., Tusc., III, 9, 18).

pronomen semel usurpatum; v. g.: Et *in corpore* et *extra* (corpus) esse quaedam bona (Cic., De Fin., II, 21, 68). - Post me erit Regina, *ante* (me) Megara (Cic., Ep., IV, 5, 4). - *Supra terram* et *infra* (Cic.).

<sup>1</sup> a) Cetera tunc cum nomine proprio congruere debent. ita ut sententiae sensus pateat.

b) Quando non tam de materia operis quam de scriptoris elocutione agitur, Latini usurpatur « *in* » cum nomine proprio; v. g.: In Thucidio orbem modo orationis desidero (Cic., Orat., 21, 234). - In Herodoto omnia leniter fluant (Quint., III, 4, 18).

<sup>2</sup> Quum non scriptoris nomen usurpat et opus ipsum designant, omittitur praepositio « *in* », quando datur argumentum operis; v. g.: De amicitia (in) alio libro dictum est (Cic.).

NB. - Dici potest: *ab aliquo scriptore vel ex aliquo libro* multa sumere.

Legi *apud* Clitomachum (Cic., Acad., II, 45, 137).

Legitur *apud* Terentium, in Andria.

3<sup>o</sup>) praepositio « *ad* », significans « *sub respectu, secundum* », pendere potest ab adiectivis, substantivis et verbis; v. g.:

*Insigne quiddam ad decus et ad gloriam* (Cic., De Fin., III, 2, 28).

Faciam id quod est *ad* severitatem *le-*  
*nius, ad communem salutem utilius* (Cic., Cat., I, 5, 12).

*Mentis ad omnia caecitatem* (Cic., Tusc., III, 5, 11).

*Ad facinus verecundia* (Cic., Fam., IV, 9, 4).

*Nec ad speciem nec ad usum alium desiderant* (Cic., De Nat. deor., 35, 99).

Longe multumque *ad honorem antecellit* (Cic., Pro Mur., 13, 29).

IX. - Praepositio « *a* » consonantibus praeponitur; « *ab* » tum vocalibus, tum consonantibus, praecipue *L, R, I, S*, sed et aliis (exceptis labialibus *B, P, M, V*), « *abs* » litterae *T* et interdum *Q*; v. g.:

*A tergo, a fronte, a lateribus tenebitur* (Cic.). *A patre.*

*Effice ut ab omnibus amemur* (Cic.).

*Ab legatis - Ab Romanis - Ab iove.*

*O Dave, itane contemnor abs te?* (Ter.).

*Abs quovis homine* (Ter.) - *Absque.*

« *E* » consonantes, « *ex* » vocales nec non et consonantes antecedit; v. g.:

*E schola - Ex Africa - Ex tota regione.*

(Ad proximum numerum).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

*Facilis descensus Averni;*  
*Noctes atque dies patet atri ianua Ditis;*  
*Sed revocare gradum superasque evadere ad auras,*  
*Hoc opus, hic labor est.*

VERGILIUS (Aen. VI, 126).

## COLLECTIONES ET COLLECTORES

Visum nonnullis est rerum colligendarum studium non esse naturae insitum humanae, sed ad hanc accedere et quasi superimponi iuxta indolem uniuscuiusque, locum, societatem et momenta cetera, quibus voluptas excitatur; inde fit, ut, monente poëta,

.... trahat sua quemque voluptas.

Quae omnia longius a veritate abscedere mihi videntur, quum neque multorum praecepsit multisque litteris, sed experientia et aliena et mea semper conspicerim pueros, quae ipsis grata iucunda sint, asservare, e medio domus eripere et in angulis collocare, aequalibus suis carissimis, ubi locus diesque iocandi adfuerit, ostendere, pretiosa veluti et magno parta labore, vel conquisita diligentia, vel praemio pro bene patratis accepta dono a parentibus, a consanguineis, aut — quis dicere vetet? — audaci manu et industri surrepta. Sic in germine ipso et in exordio vitae nostrae pullulat studium hoc una cum reliquis, et fit initium tum collectoribus tum colligendis.

At crescentibus et firmioribus annis, a puerilibus crepundiis ad graviora fit gradus et quasi quidam ascensus, quo aperitur ille mentis et corporis habitus, quem nos ingenium, indolem, *genium* vocamus, iuxta quem aut in via dilabimur, aut in virtutem attollimur. Quum igitur desiderium hoc vel modo ab initio annorum ac teneris ab unguiculis erumpat, vim suam fortius adolescentia in ipsa praestiturum, exhibitorum, iure dicendum erit aliquid universo humano generi additum atque commune; quod autem ex instinctu aut ferme processerit, quasi naturae lex quaedam habendum censemus; quia commune quod est, a natura est.

Nec quispiam dicat in hisce puerilis levitatis aliquid inesse, atque ideo se in suspicionem iure venire; nam ideo naturale dicimus illud, quo levitas puerilis, nondum assueta repugnare naturae atque instinctui, facile commoveatur. Idque validius probatur, si consideremus in firmiore aetate, quae tum ex intellectu, tum ex corde, tum ex utrisque dimanent. Eque agunt infelicissimi parentes illi, quibus unigenitum

*Abstulit atra dies et funere mersit acerbo?*

Quaeque sive studiorum, sive iocorum causa ipsius erant, indumenta quibus utebatur, crepundia quibus delectabatur, capillos, imaginem, libros, si forte sint, colligunt, et quasi in sacrario quodam deponunt, quotidie revisendos moerentissimis oculis, quotidie lacrimis rigandos. Quid est, quaeso, collectio haec quasi necessitas premens? Et si quis semet bellicis gestis insignem fecerit, nonne domi trophyeola quaedam erigit ad rerum gestarum memoriam posteris suis sua cum laude credendam? Quid si maiorum suorum trophyea pariter domi servaverit pius? Quid si speravit posteros alia insuper huiusmodi addituros? Da nunc hominem, quem scientia quoad papiliones, vel quoad flores delectaverit. Si talis fuerit, qualis supponimus, praestantiores papiliones, flores qui magni aestimentur modo colore, modo specie servabit. En collectores, en collectiones in promptu.

Itaque triplex collectionum et collectorum genus. Alterum fit ex pietate ac dilectione erga vita functos carissimos, sive in maiorum, sive in filiorum numero hi sint, sive inter amicos recenseantur. Alterum autem studiorum disciplinarumque causa, quibus debemus ea, quae in museis tum publicis tum privatis cumulantur quotidie; ea quae historiam spectant, effossiones monumentorum, aedificiorumque, oppidorumque priscorum in quae

saeculorum, vel barbarorum ira desaeviit, vel Martis vis perculit, vel, uti Herculani, Pompeis, et Stabiis fuit, subita ruina terraemotus, vulcani, aut diluvii cooperuit, oppressit; ea quae pictoram ad artem pertinent; ea quae armorum genera apud veteres et recentiores ostendant; ea quae « botanicam » ac « zoologiam » respiciant, sexcentaque huiusmodi. Quibus in omnibus et in singulis, exceptis publicis museis ad scientiam tum confirmandam, tum amplificandam, recurrit illud poëtae, quod superius expressimus, nempe quemque sua voluptate trahi; voluptas autem est in iucunditate, quam percipimus obsequentes indoli et ingenio.

Quod quidem planius fit si aliquorum collectorum nomina et res recenseamus. Wilhelmus, Germaniae quondam imperator, maiorum suorum, pietate egregia, indumenta quibus domi militiaeque usi fuerint, inquisivit, asservavit, a Wilhelmo illo sapiente, Magno Electore, ad recentiores usque suos; quae omnia in Hohenzollern Museo Berolini patent. Carmen Sylva, Rumaniae regina, pupas undique colligebat, ad morem regionis, unde emptae fuerunt, vestitas. Regina Anglorum Victoria supellectiles familiae regiae, cui a Stuart cognomen, congregavit, atque eo processit, ut pro baculo, quo usus est infelix Carolus Eduardus solio inhians, quatuor libellarum millia solverit. Russorum infelix imperatrix nuncias theatrorum chartas uncialibus characteribus exaratas, ut populo prostant, congregabat atque in plures rededit libros; camelorum onus! Orator quidam Anglicus legibus ferendis, cuius nomen me fugit, chartularum millia comparavit, quibus coenarum est ordo sumptuosarum; ab Americano tamen quodam Brooklin superatus, qui ex eodem genere quinque millia collegit. *Lord* Alington animalia undequaque sibi voluit, quibus candida pilo pellis, eaque in egregio carcere custodibus aliena et curanda tradidit. Dux Lonsdale

scuticas ultra quam sexcentas possidet, quas equites et aurigae insignes manibus versarint. Adelina Patti, cantrix illa notissima, pugiones, acinaces, cuspides omnes exquirebat; Ellen autem Terry conspicilla quaeque et lenticulares crystallos virorum fama gentium celebratorum.

Claudamus rivos; enumeratio enim nostra, etiam si plures diffusa per paginas, non tamen omnia colligendarum, collectarumque rerum nomina percurrere posset!

P. D. V



## HORAE SUBSECIVAE

### I.

#### IN QUOSDAM VATES.

*Sedibus aethereis tumido de pectore iactat  
hos secum meditans tristis Apollo sonos*

— *Me miserum, perii!... conantur scandere* [Pindum]  
*Vates baubantes carmina more canum.*

*Iure canum similes: pedibus nam culmina* [tortis]  
*anxius en Pindi tangere quisque cupit.* —

### II.

#### IN CRITICOS.

*Quid nunc, Musa, iubes vates sperare canentes,  
cum tenues gaudes conseruisse modos?*

*Exigit ingenium merito crinitus Apollo,  
exigit et venam maeoniumque decus.*

*Exigit; at nulli Parnassi culmina montis,  
non mihi, non aliis tangere summa datur.*

*Judicare, graves censores, aspera res est;  
asperior versus condere semper erit.*

*Verticis an cepit nostras insania mentes,  
vadat ut in planam pes ruiturus humum?*

*Hoc tantum placuit: teneros expromere cantus;  
nil celsum sacri montis adire iugum.*

*Nec prorsus vanum reputo struxisse laborem,  
utpote qui dederit labilis artis opus.*

*Temporibus nostris humiles tentasse Camenas  
iam non est minimus dedecorusque labor.*

*Aures quid prosint ignoro dona poëtis,  
nec quid sollicitis delphica sertा scio.*

*Ipsa quidem vati meritae sunt carmina laudes;  
praemia clamosum plurima volgus amat.*

*Non ego, Musarum magno ni captus amore,  
noctes insomnes, frigora ferre velim.*

*Non ultro patiar pretiosum perdere tempus,  
ni mihi Vergilius dictitet ore sonos.*

*Carmina quae scripsi, monitus, si vana pu-* [tarem]  
*iamque sonora chelys fracta iaceret humili.*

*Dulcis amor facilem qui movit pectore flam-* [mam,  
*sic mihi: « Suscepit perfice » suasit* [« opus »]

*Stat mihi propositum: digitis impellere nervos,  
chordis ut voces consociare queam.*

*Hoc didici: incantis nunquam confidere pennis:  
hoc nivei crines me docuere satis.*

*Laudibus ipse aliquid potui si scribere dignum,  
non mihi; Vergilio deditur omnis honor.*

*Hoc tantum placuit: tenues tentare Camenas:  
sacrum demissa fronte subire nemus.*

*Vos, o censores, melius cognoscitis artem?  
carmina quae vultis, scribite mente pari.*

*Vos, qui Piérnidum sapientes estis alumni,  
versus quos cupitis, promite corde graves.*

*Vos et Apollineos tantum qui fertis honores,  
dicite quae restant arte petenda nova.*

*Albius et Naso fama celebrantur; at illos  
aemulus o nostrum cernere quis valeat?*

*Stulti non petimus tacito sublimia nisu,  
experti quoniam magna pericula sumus.*

*Nos, quibus est studium blandos exquirere* [vates,  
*Vergilium tantum pergitus usque sequi.*

*Quid lapsis animos ingentes poscimus alis?  
exiguus nostris mentibus ardor inest.*

*Ingenuos sensus humili sub corde foveamus;  
carmina simplicibus condimus apta modis.*

*Nostri sunt tenues, quos condemnatis, amores;  
sunt nobis quales semper habere licet.*

*Haec sunt grata, meis cecini quae versibus,  
[haec sunt  
gaudia quae concors quaerere Musa iubet.*

*Instructi firmo vestigia figere gressu,  
haud intentatas malumus ire vias.*

*Quod si suscepto nos laedat tramite saxum,  
ignari volgi non pudet esse iocum.*

*Nec magnum pretium petimus iam, Musa,  
[laboris:  
suaviolum nobis sufficit, alma, tuum!*

Arretii, kal. Ian. 1934.

VINCENTIUS POLYDORI.

## VETERA ET NOVA

### De crepundiis.

Redit iam cum nataliciis Dominicis diebus anni tempus a pueris tamdiu expectatum, in quo maxime crustulis, bellariis, nugis, crepundiisque omnis generis ii donantur. Quid, si haec aliquantis per vobiscum hodie recolens, eorum nonnulla notem ad amussim iam apud antiquos maiores nostros Latinos inveniri, et in deliciis puerorum illorum fuisse?

Iamvero in rebus ipsis, quae crepundiis universalis nomine indicabantur, plura sunt, quae amuleti superstitionis causa etiam nunc pueri decorantur. Neque tantum pueri: nonne in nostris nundinis, et ab ipsa Roma non longe, videmus alium alii offerre lunulas, annulos, securiculas ancipes, situlas argenteolas, maniculas, aliave huius generis, corniculis suculisque

non exceptis, et crepitaculis, unde « a crepando » seu tinniendo, proprie crepusdiorum nomen?

Pupa autem, quo verbo adhuc in nostro vernaculo ad infantulas significandas, ut prisci Latini, utimur, erat et illis temporibus puellarum in delectamentis, plerumque ex linteo insuta, tomento infarcta, fasciata vel vestibus amicta; et credendum est eam religiosius quam nunc servari, quod Romanae puellae ad pubertatem proximae tamquam virginitatis suaे insignia Veneri offerrent, ut fauste futurum matrimonium ipsis cederet. Neque deerant pupae cera confectae, quae *plagunculae* dicebantur, quemadmodum videre est apud Ciceronem, Att. VI; neque *cunariae*, quae singulari, pariter atque apud nos, nutrimentum genere vestiebantur. Cunae enim, sive Cunulae et Cunabula, inter puellarum nugas recensenda quoque sunt.

Ut de lusibus puerorum nonnulla attingamus, *neurospaston* imprimis nobis occurrit, de quo Apuleius: Qui in ligneolis hominum figuris gestus movent, quando filum membra, quod agitari solet, traxerit, torquebitur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad omne ministerium praesto erunt, nec invenuste totus videbitur vivere ». Et Petronius: « Larvam argenteam attulit servus sic aptatam, ut articuli eius vertebraeque laxatae in omnem partem verterentur ». Hinc Horatius (*Satyr.*, II, 7, 82):

*Duceris ut nervis alienis mobile lignum.*

Neurospaston itaque imaguncula erat tali artificio intus compacta, ut si occultum nervum seu fidicula traheretur, ad speciem hominis vivi movere membra et totum corpus videretur; uno verbo, quam Itali nos hodie *burattino*, *marietta* nuncupamus.

Ut de pilis taceam, de ocellatis parvis, scilicet lapillis rotundis, — ita fortasse dicti quasi parvos oculos referrent, — qui-

bus tam frequenter pueruli et hodie ludunt, pariterque de turbine, de ligno illo forma metae inversae, ima sui parte in acutum desinente, scutica circumacto, quod nos *trottola*, *picchio* dicimus, trochum memorem, eo magis quod ad pristinum omnino redactum a pueris, nescio quo casu, nostris diebus fuerit, ad circulum nempe seu rotam ferream, ferreo manubrio, quae clavis nuncupabatur, adunca in capite, deflexa in collo, impulsum: atque tabulam in cuius figuris conspicere datur quod apud nos *bigliardino* nuncupatur: tum non tantum parvis pilis, sed nucibus per eam ludebant pueri Romani, quas per planum plus minusve inclinatum ita agebant, ut adversarii tangerent, suasque sic facerent.

Sed iam, ne longiores fieremus, claudendi rivi sunt; non tamen prius quam de maniis mentionem fecerimus, turpibus deformibusque personis ad infantum terribulamenta effectis. Nonne ex ipsis et *Befanam* nostram deducere licebit...?

ALEXANDER AURELI.

## COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>

### I.

#### Formulae salutandi et valedicendi in congressionibus.

CLAUDIUS, ALBINUS.

CL. — Quandoquidem Latinitatis peritia multis partibus iam diu factum est postquam me vincere coepisti, rogo atque oro, si commodum est, da mihi paulum operae.

<sup>1</sup> Nova in commentario nostro absoluta editione dialogorum Antonii Van Torre et colloquiorum I. L. Vives, - quae postrema in volumen redacta

ALB. — Vel multum, si id rationibus conduceat tuis. Nolo tibi ullum commodum in me claudier.

CL. — Ut si quidquam aliud: ne dubitaveris. Sed hoc die, doceri peropto.

ALB. — Quid est illud unum?

CL. — Tristissimum quum sit ita salutare factos obviam, et in congressis, *bonus dies*, *bonus vesper*, *bonum mane*, *bonum serum* et respondetur salutantibus: *Deo gratias*; item in digressis sub noctem, quum his verbis bene precari soleamus: *fausta nox*, *felix nox*, reddaturque idem responsum, more patrio videlicet, *bonjour*, *bonsoir*, *grâces à Dieu*, iis autem formis loqui necessitas nulla cogat, latinisque auribus ingratissimum sit; quo pacto tum salutandum valedicendo, sive quum alicuius colloquium congressumque veniendum est, sive alicui scribendum nos geremus? Non enim latet solere te studium acerrimum ponere in notandis huiusmodi latinismis, quum inter legendum occurront, aut a magistro inculcantur.

ALB. — Haud equidem me tanto dignor honore. Nihilominus, quia tu hoc a me candide petis, et posse me tibi commoda re iudicas, parebo voluntati tuae, ut in praesentia, nihil tale providenti, memoria subierint. Hoc tenebis primum, non semper opus esse responsione quum salutamur: et interdum salutantem non resalutari, verum respondere aliquid aliud, quod ille libens ac volens audiat. Est quando salutationi quaestiuclae quedam adiiciuntur, de valetudine praesertim: nonnunquam resalutantes etiam interro-

gatiunculam adnectunt. Haec omnia exemplis declarabuntur; tu auritum te facito.

Salve. Resp. Salve.

Salve, Ioannes. — Et tu, Paule.

Salve. — Et tu.

Magis, salve. — O salve, Pamphile.

Salveto.

Salveto, quid agis.

Mater mea, frater mi, salve. — Salve, fili; salve, mi frater.

Antoni, salve. — Salve, Paule.

Salve, oculissime homo. — O dulcissime rerum.

Iubeo Chremetem (sub. salvere).

O Iacobe, salve. — Salvus sis, Cornelii.

O salve, bone vir. — Hem Simo. O no-

ster Chreme.

Mi Patrice, salve. — Salve.

Curcilio exoptate, salve. — Salve, sal-

vum te advenire gaudeo.

O noster Chremes. — Salve, Geta.

Salve, Andrea. — O nutrix, o mea

nutrix.

Salve, mi Germane. O Soror mea, quid

agitur?

Salve, exoptate gnate mi.

Salvum te advenisse gaudeo.

Venire te salvum volupe est. — Credo;

quid agitur?

Here, salve, salvum te advenisse gaudeo. — O bone custos, salve.

Plurima salute Parmenonem suum im-

pertit Gnato; quid agitur?

O mi exoptate Clinia, salve. — Ut vales?

Georgius plurimum iubet salvere Ste-

phanum.

Iubeo te salvere.

O pater, pater mi, salve. — Salve mul-

tum, gnate mi.

Charmidem socerum suum Lysiteles sa-

lutat. — Dii dent tibi, Lysiteles, quae velis.

O Thraso. — Salvete.

Amphytrio uxorem salutat laetus suam.

Valuistin' usque? expectatusne advenio?

Salvus atque fortunatus, Euclio, semper

fies. — Dii te bene ament, Megadore.

*O amice, salve, atque aequalis mihi;  
ut vales Ambrosi? — Et tu.*

*Salve, Gregorii. Valen', valuistin'? —  
Valeo et valui rectius.*

*Mi homo, et mea mulier, ego vos sa-  
luto. — Et nos te.*

In Andrea Crito, quum salutasset an-  
cillam, et ab ea fuisse resalutatus, subiecit  
secunda interrogatione: *Quid vos? Quo  
pacto hic? Satisne recte? R. Nosne? sic,  
ut quimus, aiunt, quando ut volumus, non  
licet. Quaerebant etiam sic: Satin salve?*  
Exempla sunt apud Livium.

CL. — Abeo salutationum rationes. Nunc  
quibus verbis valedicendum sit quaero,  
quocumque diei aut noctis tempore.

ALB. — An potest ulli quidquam optari  
melius integra valetudine? Quia nihil maiori-  
ris aestimandum vita humana complectitur.  
Itaque has fere formas invenio:

*Bene vale. — Et tu.*

*Vale. — Et tu bene vale, Martine.*

*Vale. — Et tu frater.*

*In hoc quatriduum, Antoni, vale. — Mi  
Georgi, et tu; numquid vis aliud?*

## AD SANITATEM TUENDAM

**Aphorismi sive praecepta medendi ge-  
neralia ex pluribus casibus particu-  
laribus abstracta, ex variis auto-  
ribus collecta.**<sup>1</sup>

§ 577. — GALENUS ait: Delirare solent  
aliqui ob vitium, quod in ore ventriculi  
existit, et in febris ardentibus, et in  
peripneumonia, et in pleurite, sed deliria  
ob affectum diaphragmatis, non multum  
distant a phrenitide. Quippe per cetera-  
rum partium affectus atque per febres  
ardentes delirium mitigatur, quoties mor-  
bus, id est aut peripneumonia, aut pleu-

ritis, aut καῦσος declinat. At phrenitidis  
propria nota est, ut ne in declinatione  
febrium quidem quiescat delirium. Quum  
enim propria cerebri sit affectio, paul-  
latim accidit, sed quiescere subito atque  
affatim non solet. Et hic STOLL: Videmus  
a Galeno cognitum delirium biliosum,  
quando dicit dari delirium, ob vitium  
quod in ore ventriculi existit. Delirium  
quoque idiopathicum a sympathico bene  
distinguitur a Galeno.

§ 578. — BALLONIUS ait: Nescio qui fiat  
ut morborum cerebri et notitia et curatio  
difficillima sit: notitia quidem, quoniam  
multi convulsivi sunt, pavoribus conser-  
nati, phrenitide, apoplexia, epilepsia sub-  
lati, lethargicis affectibus oppressi, side-  
ratique, in quibus nullum fere vestigium  
mali, aperto crano, inventum est, nec  
sanguis, nec aqua, nec ichor, quamquam  
medici, qui historiam morbi vidissent, et  
terrifica symptomata observassent, certo  
affirmarent, sibi persuaderent, se aut inter  
membranas, aut in cavitatibus, aut alia in  
parte, aut abscessum, aut sanguinis, aut  
aqua copiam deprehensuros: et nos saepe  
in ista alea versati sumus, primariosque  
medicos versari vidimus.

§ 579. — HIPPOCRATES notat morbos  
lethargicos, quorum ratio fere eadem est,  
ac peripneumoniae. Fit autem, quum  
focus febris continuae est in pulmonibus,  
et ii obstructi sunt valde, et humore crasso  
putrique pleni: qui enim ab ea materia  
fumi excitantur, dum obruant anteriores  
cerebri partes, lethargicon inferunt, et  
καρπῶδες et χωματῶδες et ab eo accidente,  
quoniam aegri oblivioni, socordes, vete-  
mosique iacent, affectus ληθάργος dicitur.

§ 580. — AETIUS, FERNELIUS, GALENUS et  
RONDELETIUS suas habent historias de  
catalepsi, quibus colligas modo ab his,  
modo ab illis causis pendere.

§ 581. — HIPPOCRATES (Lib. 2 de morbis)  
catalepsin vocat φροντίδα.

I. FAM.

<sup>1</sup> Cf. fasc. mens. novembbris MCMXXXIII.

## ANNALES

### Gallicae res.

Publicus Gallorum coetus legibus fe-  
rendis legem de civili aere restituendo, a  
novo administratorum collegio propositam,  
ratam demum habuit. Putabant omnes  
collegium ipsum, hoc superato scopulo,  
per tranquillos dies proposita alia sua  
prosequuturum, quum ex improviso fla-  
gitium Baionae detegitur a nummaria  
quadam mensa in bonam civium fidem  
perpetratum, cuius participes inveniuntur  
plures publici viri, et diurnarii. Criminatio  
ne ipsi Coloniaram administro Deli-  
mier parcit, qui si apud collegas — prouti  
vulgatur — purgare se valuit, coactus tamen  
est a munere suo abdicare. Inde factio,  
sub nomine « rabularum regis » cognita,  
spiritum resumpsit ad tumultus excitandos,  
quos vi compescere oportuit.

Eventus alias non Gallorum tantum,  
sed universi orbis animum valde commo-  
vit: calamitatem dicimus ex occurso duo-  
rum ferriviae curruum agminum sine moris  
currentium ortam, in qua viatores ducenti  
horribilem mortem invenerunt; trecenti  
autem vulnera passi sunt.

Interim et colloquia et litterarum per-  
mutationes inter Gallicos nuntios et Ger-  
manicos subsequuta sunt, quum tamen  
nullum fructum ediderint.

\* \* \*

### Colloquia.

Neque haec tantum colloquia inter pri-  
mores civitatis viros superioribus proximis  
diebus facta sunt; maximi vero momenti  
fuit quod Simon, Anglorum exterarum  
rerum praepositus, cum Mussolini, Itali-  
carum rerum Duce, Romae habuit. Nun-  
ciatum enim est alterum cum altero plane  
convenisse circa quaestionem de immi-  
nuendis certisque terminis circumscriben-  
dis ubique tum belli apparatibus tum ar-  
morum numero: necesse omnino esse, ut

res ipsa quam citissime decernatur, omis-  
sis consiliis propositisque omnibus, quae  
actu perfici nequeant, disputationesque eo  
dirigendo ubi civium universi orbis ani-  
mi ad decretoriam sententiam amplexan-  
dam maturi iam omnino sint. De refor-  
mando quoque Societatis Nationum con-  
stitutione actum est, quo magis Societas  
ipsa ad munere fungendum suo apta fiat,  
meliusque finibus suis respondeat.

POPPLICOLA.

## VARIA

### Respublica et Religio.<sup>1</sup>

Cultum religionis a Numa Pompilio  
institutum, unam e primariis causis ex-  
stisset (censeo), propter quas Romani in  
rebus gerendis tam felices fuerint. Nam  
ubi religio est, locum habent bona leges  
ac bona disciplina, ex quibus fortunati  
felicesque rerum eventus, in expeditioni-  
bus praesertim bellicis nascuntur. Sicuti,  
e contra etiam, sublata religione, corruere  
Rempublicam oportet; quoniam sublato  
Dei timore, sequitur impietas, ex eaque  
ruina imperiorum. Nam etsi princeps ipse  
fortasse pius sit, et subditorum impieta-  
tem virtute sua aliquo modo compenset;  
quia tamen is est mortal is, et forte etiam  
vitae brevis, necesse erit ut, eo moriente,  
virtus quoque, quae supererat, sensim una  
cum imperio labatur. Quaecumque enim  
imperia unius tantum hominis virtute ful-  
ciuntur, diurna esse nequeunt, quod  
rarissime contingat, ut illa eadem virtus  
in novo successore deprehendatur. Qua  
de re Dantes poëta sic cecinit:

*Non sicut in ramos ex imo stipite succus  
Influit, in liberos, sic orta parentibus ipsis  
Descendit Virtus...*

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI *De republica dispu-  
tationes ex prima decade T. Livii, lib. I.* — Latine  
vertit H. Bindi.

Quum igitur res ita se habeat, non existimare debemus ab eo fortunatam felicemque Rempublicam institutam esse, qui illam ita ordinavit, ut quamdiu ipse vivit, recte sub suo unius imperio gubernetur, sed si quis eam ita instituit, ut etiam ipse intereat, exstet tamen nihilo minus ratio qua conservari queat: is verum finem fuerit assequutus. Huiusmodi vero formam Reipublicae plane novam, etsi difficilis sit persuadere hominibus civili vitae quocumque modo assuefactis, quam simplicibus, et sparsim montana loca incolentibus; non tamen pronunciamus plane impossibile esse, quin et illi eam amplectantur. Florentinus populus certe neque simplicem, neque ignorantem se esse arbitrabatur: at eidem huic Hieronymus Savonarola monachus persuasit, sese cum Deo colloquia habere. Quod non in eum finem dico, ut verum ne, an falsum fuerit pronuntiare ausim: neque enim de tanto viro aliter quam cum quādam reverentia loquendum existimo. Sed affirmo infinitos homines Florentiae extintisse, qui id pro certo crediderint, quamvis ab illo nihil miraculosum patrari vidissent; quod vitae sanctimonia, doctrina, et res ipsa quam tractabat, omnia talia erant, ut fidem ei adhibendam testarentur. Quae quum ita se habeant, non debent, qui bonam factamque Reipublicae formam instituere cupiunt, desperare, ne sint finem suum consequunturi, quum id alii persaepe contigerit; quoniam homines semper iisdem naturae legibus oriantur, vivant atque intereant.

**Pro iudicibus mensarum elegantibus.**  
ESCARUM ORDO:  
*Pastilli subacta carne farti.*  
*Helops elixus, salsa mento conditus.*  
*Vitula in patina cocta cum apis.*  
*Turdi inter crustula assi.*  
*Suavillum Patavinum.*

### Vulpes et Crocodilus.

Crocodilus Aegytiacum est animal aspectu monstrorum, specie lacertae, cute rugis et squammis horrida, vastum atque informe. Inter hunc et Vulpem quondam certamen de generis nobilitate exstitisse narrant. Quum autem Crocodilus et maiorum suorum multa praeclera facinora et a se fortiter res gestas praedicatione sua extolleret, respondit Vulpes: « Nihil opus est verbis, nam de pelle apparent omnia ».

Fabula innuit, mendaces ipsa re solere coargui et refutari.

### locosa.

TUCCIUS Aegyptium museum visitat; quum medicatorum cadaverum specimina videt:

— O quam proceritas hominibus illis inesse debuit, — inquit —, si iam ab incunabulis tam edito corpore erant!

TUCCIUS manu gerens expurgiculum patri sublatum:

— Dicunt me dormientem valde sternere. Hac nocte expurgisci volo, ut ipse recognoscam verum id ne sit!

### Aenigmata.

#### I.

Femina sum; si invertas, sum femina. *Primum* Respondere urget, per fluctus ire *secundum*.

#### II.

Sex mihi litterulae: mentes occoeco superbas; Dempto principio, fras mala sumque dolus.

Aenigmata in fasciculo mens. Decembris 1933 proposita his respondent: 1. (*Rebus monoverbum*): *Omina!*; 2. *Nubes*.

30

## DE ROBERTI SCOTTI

23

### NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

Longum est hic persequi singula, quae illis hibernis hebdomadis vel gesta sint, vel quae acciderint. Phocarum laridum ingeniosi homines fecerunt fornacium vel lampadarum. Edgar Evans ex phocarum corio leves fabricavit caligas nivales; Atkinson quodam die egressus ad inspicientium thermometrum cum Taylor hora p. m. sexta paulo ante medium noctem reductus est, quum perturbata esse videbatur mente, exusta frigore facie, exustis manibus. Is orto turbine non invenerat redditum et paene periit. Molestae illo tempore etiam equorum aegrotationes.

A. d. V kal. Iul. Wilson et Bowers et Cherry Garrard profecti sunt ad promontorium Crozier, ubi pinguinorum incubationes observarent. Facinus plenum audaciae, praesertim eo anni tempore; sed idonei lecti viri erant. Dum absunt, cesserunt in hibernaculo docti illi vespertini circuli. Reverterunt kal. Sext. vehementer afflictati vi procellarum et frigorum acerbitate. Frigora per totam hebdomadam inferiora fuerant gradu quinquagesimo: quadam nocte etiam ad medium sexagesimum primum descenderant. Et Wilson quidem non satis contentus erat exploratione sua, quod parum observare potuisset consuetudines pinguinorum; sed didicimus, inquit Scottus, quale hibernum illius glaciei esset caelum, et, quod maius est, homines quinque hebdomadas in polari nocte tulisse furentes tempestates et immane gelu novum prorsus et inauditum facinus. Horum adventu sociorum reveritus ad vespertinos sermones et saepe emissi sunt aerostati.

Necesse erat in illis regionibus redeuntem ex septemtrionibus solem conspiciri XI kal. Sept. Sed per tempestatem eo die viderunt tantum inaurata nubila. Tandem VII kal. post meridiem solis radii tetigerunt hibernaculum. Scottus cum Ponting egressus in consenso colle canere coepit et tollere voces laetitiae. Et facile credas Scotto affirmanti post tam longam noctem collustrari a sole incredibilem esse voluptatem.

Postridie Ponting et Gran ad vesperam redeuntes ex montibus congelatis consiperunt accurrentem ex arctica parte canem Julick, qui totum mensem desideratus erat. Gaudio gestiens bestia assiluit, quae, utinam, — inquit Scottus, — ipsa narrare posset, quo casu a nobis esset avulsa et quomodo totum mensem vitam potuerit tolerare. Iuba bestiae incrustata sanguine erat: odor erat lardi phocarum.

IV Idus Sept. Scottus scribit totam itineris polaris rationem subductam esse, mannulos longe alias bestias esse atque anno fuissent superiore, electos itineri duodecim viros optima esse valetudine et singulari robore corporum et mira alacritate animi. XVII kal. Oct. Scottus cum Bowers et Simpson et Edgare Evans excurrit in glaciale Ferrar ad occidentem vergens. Totum iter dierum fuit tredecim et chilometrum ducentorum octoginta unius, et Scottus fatetur se multa didicisse polari itineri utilia. Postremi excursionis dies laboriosiores fuerunt ventis.

Et ascende in dies altius sidere solis tempus appetebat, quo ad polum proficendum erat. Sed quae secutae sunt heb-

## DE ROBERTI SCOTTI

NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

[24]

Ibi per declive catena iterum resoluta est, et Day per errorem nimium depressit epistomium:<sup>1</sup> restitit machina, sed stillare coepit oleum ex posteriore axe, fracto axis loculo, quod ex aluminio factum erat. Reficiendum portatur ad hibernaculum, sed nihil habemus otii, — inquit Scottus. — Illo die apertum est Clissoldo non iturum esse inter curatores traharum; pro eo iturum Hooper; quod illi magno fuit dolori.

A. d. XI kal. Nov. dominico item die Scottus primum narrat reparato loculo assidue trahas commeasse, et omnia parata ad profecionem esse. Aegrotare coepisse unum ex praestantissimis canibus, impeditam tempestatibus subsidiariae penus ad Promontorium Tabernarium vecturam, persuasum sibi esse explicata, quam planissime potuissest, dividendorum ciborum ratione, solum Bowers ex omnibus, quibus penosis et ceterarum rerum transportatio commissa esset, non erratum esse in numeris. Eodem die equus accurrit exanimis fere et sanguineis naribus, cui ornamenti hamulus vicini equi vulnus aperuerat. Resecta pelle ante nares pendente res minus visa est atrox. « Cur ipsi dominici dies », s'c exclamat Scottus, « has habere soleat turbas? » Et statim novam addit calamitatem. — « Ne quis, inquit, damnum caperet, non luseramus hocce vere pila. Sed nudius tertius cinematographiae causa temptavimus. Illlico Debenhami intumuit genu, antiquo, ut mihi nunc dicuntur, malo. Non accessisse oportuit. Wilson

censemt ante hebdomadam iter ingredi non posse. Adsunt, qui versus occidentem missi erant, pretiosasque fallunt horas. Quod, si importune accidit, hoc habet commodi, quod Fordis nostri manus percurabitur. Sed fac has extendi moras, quid reliqui erit virium? Quem res habitura erit extum?

A. d. X kal. Nov. motoriae traheae — nam sum narratus, quod haec habuerint fatum — ad iter paratae erant. Et quum iam exissent omnes hibernaculi incalae, ut postremum salutarent, illae non superaverunt promontorium. Day mutato spiramine gasis neglexerat servantes capsos generatorii gasium.<sup>1</sup>

A. HABERL.

<sup>1</sup> Quae si tu, qui legisti, parum intellegis, et si Germanice doctus es, viam dabunt verba Germanica: Bei einer Veränderung der Auspuffeinrichtungen hatte Day die erhitzenden Mäntel der Vergaser nicht genügend berücksichtigt. — Habes iocum, ubi ostentes linguam antiquam etiam hodiernis atque technicis rebus accommodari. Auspuffen est Italice: dar botte, Gallice faire pouf. Est autem fuscus ille machinarum strepitus, quae moventur gasibus. Persaepe in ferroviarum stationibus feriuntur aures nobis eo vaporarium machinarum anhelitu. Vergaser autem, vox simplex non male inventa illi parti machinae dynamicae, qua gas generatur, quid a me diceretur aptius quam generatorum gasis, postquam vidi eodem vocabulo, licet non eodem sensu, usum Ambrosium fuisse?


IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.  
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

<sup>1</sup> Epistomium est Germanicum "Ventil", Gallice "Soupape", mobile claustrum.

ALMA  
ROMAQVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENETPer.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

*Nuperrime prodit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Edito altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 475 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 950, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXI

Romae, Mense Februario MCMXXXIV

Fasc. II

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXIV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italica lib. 30 exaequatis; ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

PIO XI

SVMMO RELIGIONIS ANTISTITI  
PACIFERO IN CHRISTO SALVTARI  
ANNVM XIII SACRI PRINCIPATVS  
FELICITER AVSPICANTI  
BONA OMNIA ET FAVSTA  
“ALMA ROMA” COMMENTARIVS  
ADPRECATVR EX ANIMO

*Pugnas pro Christo fortis; Tibi dona perennis  
Victori pacis Christus at ipse dabit.*

DE HODIERNAE VITAE RATIONE RENOVANDA  
MEDITATIONES<sup>1</sup>

V.

Per aspera ad astra.

1. Navigem igitur fidens et cautus simul quo mens haec mea me regit, quo rerum natura vocesque nobilissimorum me convitant sapientum: quos forte prope diem singillatim commodius explorabo; modo autem non possum eas non animadvertere quasi plurium concentum musicum. Platonem audio lucem veritatis sitientem atque e carcere huius vitae mortalis ad *Bonum ideale* suspirantem perpetuo atque gradientem;<sup>2</sup> Aristotelem vero concincentem miro omnia ordine contineri atque moveri ad summum Verum, quod idem sit ac summum Bonum, primum omnium rerum Principium atque ultimum Finem; neque admodum dissonantem Zenonem atque Stoicorum coetum praedicantes omnia moveri et contineri *Intellectu* quodam Divino, quamquam perperam eundem fingant esse veluti huius mundi universi animam; neque demum aliud suspirantem Tullium nostrum Senecamque moralem, nobilissimos inter ethnicos romanos.

2. Quid autem si interrogamus aetatem christianam? Nonne Christus ipse perfectionem Patris caelestis imitandam et quasi aemulandam nobis proposuit ad suum exemplum? Eodem nos hortantur et opitulantur Apostoli, eodem Patres, eodem Doctores. Augustinus, cui nulla philosophorum opinio fuit satis, pacem invenit in Christo atque praedicavit creatum esse cor nostrum ad Deum; Divus Thomas, sepositis ex ordine ceteris omnibus quea-

videntur bona aut externa aut interna homini, aut corporis aut animi, negat aliud quidquam esse hominis sumnum bonum nisi Deum ipsum eidem cognoscendum, amandum, colendum, assequendum, perpetuo fruendum.<sup>1</sup> Sanctus Bonaventura persentit suum cor avere amorem, quaeritare Amantem, vivere contendens ad Amatum; hanc esse veram homine dignam vitam; idem concludit S. Franciscus Salesius detegens in nobis « inclinationem ad Deum super omnia amandum ».<sup>2</sup>

3. Nemo igitur unquam negavit finem certum quandam esse homini consequendum, seu agendum esse in ordine ad certum quandam finem, in quo fruendo nostra sit beatitas summa; id clamat intus cordis vox, id conclamat extra rerum omnium ad suum finem perpetuus mirusque motus, id praedicant summi cuiusvis loci, cuiusvis temporis magistri: ita ex eorundem consonantia prima atque simul discordia in non paucis exoritur necessario in homine quolibet quaestio maximi momenti: quid mihi agendum ut meum assequar ultimum finem? En quaestio moralis, omnium equidem praestantissima et qua nulla potest nostra interesse magis.

4. Has omnes voces interius exteriusque monentes qui audierit simulque perceperit sese partem quandam esse in hac tam mira rerum universitate, facile idem illico concludet suum ipsius omniumque rerum motum eodem tandem contendere, ad unum tandem esse natura ipsa ordinatum, quo cetera quidem coeco quodam instinctu ducuntur; homo vero libere plane sese conferat ipse: inde primam sibi viam decernit edicens sibi vivendum esse secundum suam naturam rationalem. A qua lege in abstracto perspecta ad ulteriora

<sup>1</sup> *S. Theol.*, I, II<sup>a</sup> passim.

<sup>2</sup> Cf. *Traité de l'Amour de Dieu*, I, I, capp. 7, 14, 15, 16 et ib., lib. II, capp. 6, 15.

eaque magis definita progressus easdemque voces interius exteriusque percontatus edocetur, uti innuimus, a) suam originem<sup>1</sup> altius<sup>2</sup> esse repetendam, vereque esse divinam; b) naturalem, immanentem, inexhaustam suam inclinationem ad agendum, cupidinem tandem esse supremae suae perfectionis, summi sibi consentanei Boni; c) hoc idem esse aliquid divini, esse *Bonum ideale*, uti docet Plato, veritatem essentialiem, uti Aristoteles, aut Iovem ipsum, veluti Stoici, aut Deum, in ordine gratiae, immediate perpetuoque videndum, fruendum ineffabiliter, ut relligio Christi docet; quibus adlectus monitis epicureos eosque omnes qui nobiles animi motus implicant aut coarctant facile quisque praeterit, atque progreditur cupidus ad suum summum Bonum, ad suum Deum viam querit aptam.

5. At vero omne agens agit simile sibi; quamobrem percipit idem homo similitudinem quandam necesse esse intercedere inter ipsum ac Bonum ad quod vivit, agit, contendit; similitudinem, inquam, naturae; nam motus hic vitae insidet ipsa in natura, agitur ipsa natura;<sup>1</sup> similitudinem tamen, quae possit intercedere inter Deum et hominem, Creatorem et creaturem. Quam similitudinem non ignotam ethnicis paganis, auctam, expolitam, perspectam exhibet relligio christiana.<sup>2</sup> Nam primi christiani Patres et philosophi veterum sapientiam non plane abiecerunt, sed nullo fere incommodo ad sensum Christi

reducerunt, illam habentes huius praeludium. Itaque rationes seminales non denevantur, sed augmentur ineffabilem in modum lumine ac viribus gratiae supernaturalis,<sup>1</sup> ideoque anima humana dicta est naturaliter christiana.<sup>2</sup> Augustinus autem<sup>3</sup> censem rationes *seminarias* insitas esse corporeis rebus per omnia mundi elementa, easque, datis opportunitis adiunctis, *prorumpere in species debitas*; in ordine autem humano et morali principia intellectus et voluntatis esse veluti seminarias rationes, eisque hominem esse factum similem Deo tum in naturae cum in gratiae ordine. Quae rationes seminales Divo Thomae sunt ipsae facultates cognoscitiva et volitiva a Deo ipso homini essentialiter inditas;<sup>4</sup> quibus homo fit quadantenus similis Deo; quamobrem virtus est homini naturalis; nam intellectus naturaliter percipit principia cognoscendi et agendi, quae eatenus sunt semina virtutum quatenus voluntas naturaliter fertur ad amandum bonum,<sup>5</sup> ideoque ad amandum, saltem confuse, Deum ipsum, et hominis natura sibi ipsa deesset nisi ferret in semetipsa «germen vivum» amoris in Deum. Quod perbelle ac suavissime aequae ac acutissime Salesius docet,<sup>6</sup> hominem natura inclinatum ad Deum super omnia amandum, et quadam quasi infinita siti ferri ad nova semper cognoscenda atque cupienda, ad altiora semper; nec consistere quiescere posse nisi in Deo ipso: quae naturalis inclinatio ad Deum super omnia amandum manifestat nostram a Deo originem tam-

<sup>1</sup> Cf. D. TH., *S. Th.*, I<sup>a</sup> 2<sup>a</sup> q. 43, a. 1; et SALES., *Traité de l'Amour de Dieu*, lib. I, c. 8.

<sup>2</sup> PLATO docet Deum intueri *ideas divinas*, quarum omnia sunt veluti imitationes, a Deo ordinatas ut essent similes Sibi (cf. *Rep.*, VI, 109; *Soph.* 248; *Tim.*, 29). ARISTOTELES autem tenet a Deo motore immobili moveri primum caelum; ab hoc autem hominem, qui similis est Deo quatenus effectus similis causae; STOICI vero similitudinis loco ponunt *identitatem*, docentes esse in homine rationes seminales divinitatis.

<sup>3</sup> S. IUSTIN., *H. Apol.*, c. 8, § c.; CLEM. ALEX., *Exhort. ad Graec.*, c. 8 et 9; *Stromat.*, lib. I, c. 13.

<sup>4</sup> TERTULLIAN., *Apolog.* c. 17.

<sup>5</sup> Cf. *Confession.*, I, 7, c. 9, § 13; *De Trin.*, I, 13, c. 9; *De Genesi ad litt.*, I, 6.

<sup>6</sup> Cf. D. TH. *S. Th.*, I<sup>a</sup> 2<sup>a</sup> q. 51, a. 1; q. 118, a. 1 ad 1.

<sup>7</sup> Id., ib., q. 63, a. 1.

<sup>8</sup> *Traité de l'Amour de Dieu*, I, I, c. 25, et II, c. 15.

quam a primo Principio; unde fit ut quo magis sese quisque perficiat, eo magis ad Deum accedat, suae respondens naturae. Mirum equidem omnium consensum cum Sacris Litteris, e quibus accepimus dixisse Deum: « faciamus hominem ad similitudinem nostram »; <sup>1</sup> intellectu ac libera voluntate donatum, quasi ut ipse suis actibus hanc cum Deo similitudinem, præveniente gratia, magis magisque possit perficere, ut eius vita merito dici possit imitatio Dei, iuxta illud Divini magistri: « Exemplum dedi vobis ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis »; <sup>2</sup> atque illud Apostoli: « Imitatores mei estote sicut et ego Christi ». <sup>3</sup>

SYLVIA ROMANI.

## DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA

### De quibusdam adverbii eleganter usurpandis. <sup>4</sup>

#### § II. – Adverbia temporis et modi.

I. – « *Nunc* », « *nunc autem* », « *nunc vero* » usurpantur ad opponendam rem « *hypothesi* », ut dicunt; <sup>5</sup> v. g.:

<sup>1</sup> Genes., I, 27.

<sup>2</sup> IOHAN. XIII, 15.

<sup>3</sup> Corinth. I, 4.

<sup>4</sup> Cfr. fasc. mens. Decembbris MCMXXXIII; quae enim sequuntur ea praecedere debabant quae, ex paginarum componendarum errore, in superiore mens. Ianuarii fasciculo edita sunt.

<sup>5</sup> a) Tursellini haec habet: *Nunc vero* subiici solet in comparatione rei factae, augendi gratia; v. g.: Si M. Fonteium in causa deficerent omnia, tamen esset vobis magnopere providendum... *Nunc vero*, quum laedat nemo bonus... (Cic., *Font.*, 11). - Si hoc non apud cives... *Nunc vero*... (Cic., *Verr.*, VII, 67).

b) « *Nunc* » non solum oppositioni inservit (gallice: *mais, maintenant, au contraire*), sed etiam transitioni (gallice: *mais, or.*).

Sapientia non expeteretur, si nihil efficeret. *Nunc* expetitur (Cic., *De Fin.*, I, 13, 42).

Me ipsum esse dicerem... *Nunc autem* dico (Cic., *De Fin.*, II, 2, 6).

Praeclaras duas artes constitueres... *Nunc vero*... (Cic., *De Or.*, I, 55, 236).

II. – « *Tunc* » semper refertur ad tempus praeteritum et proprie opponitur adverbio « *nunc* », quod de actione praesenti dicitur; v. g.:

*Nunc* aiunt quod *tunc* negabant (Cic.). « *Tum* » pro « *tunc* » usitatissimum est; v. g.:

*Tum* mihi Roscius, et alia multa, confirmandi mei causâ, dixit (Cic., *Pro Quintio.*, 25).

Non eos solum, qui *tum* erant, figebat maledictis (Cic., *De Natur. deor.*, I, 34).

III. – « *Adhuc* » ad tempus refertur, tum praesens, tum etiam praeteritum; <sup>1</sup> v. g.:

Unam *adhuc* epistolam acceperam.

Est *adhuc* non Verres, sed Q. Mutius (Cic., *In Caecil.*, I, 17).

*Adhuc* haec erant (Cic., *Div.*, II, 2).

Tamen *adhuc* id non fecerem (Cic., *Fam.*, VI, 13).

IV. – Quum compendium faciunt eorum quae dixerunt, Latini adverbio « *fere* » uti solent cum demonstrativo; <sup>2</sup> v. g.:

<sup>1</sup> a) Neque « *etiam tum* » neque « *antea* » suppleri possunt adverbio « *adhuc* »; v. g.: Pisistratus, vivo *etiam tum* Solone, imperium Atheniensium occupavit. - Pyrrhus primos elephantes in Italiam adduxit, quas bellua nemo *antea* Romanus viderat.

b) « *Iam* » cum negatione, non significat « *adhuc non* »; v. g.: Non *iam* vereor ne tu illi succenseas (Cic.). - Regii pueri *iam* *nuquam* erant (Cic.). - Profecto *nihil* est *iam* sanctum atque sincerum in civitate (Cic.).

<sup>2</sup> *Tunc fere* videtur aliquid addere. Significat enim pauca quaedam praeterea fuisse.

Plerumque tamen *fere* ac *ferme* imminent nonnulli rem aut numerum (TURSELLINI).

*Haec fere* hoc tempore putavi esse dicenda (Cic., *Tusc.*, II, 27, 67).

*Haec fere* et quaedam eius generis ab iis disputari solent (Cic., *De rep.*, I, 34, 53).

*Haec fere* dicere habui de natura deorum (Cic., *De Nat. deor.*, V, 39, 93).

*Haec fere* quae nota tibi esse vellem (Cic.).

V. – Adverbia « *ita, sic, tam* » et adiectivum « *tantus* », sequente *ut*, non semper augent significationem verbi vel nominis cui apponuntur, sed eam saepe restringunt; <sup>1</sup> v. g.:

Vestri imperatores *ita triumpharunt*, ut Mithridates pulsus superatusque regnaret (Cic., *Pro leg. Man.*, 3).

Itaque hoc est quod multi fortasse fecerunt, sed *ita multi*, ut ii, quos innocensissimos meminimus aut audivimus, non fecerint (Cic., *Verr.*, III, 82).

*Praesidii tantum* est, ut ne murus quidem cingi possint (CAES., *De Bel. gal.*, VI, 35).

VI. – Adverbium « *penitus* » venuste vim auget verborum quae particula « *per* » incipiunt; v. g.:

Omnis animorum motus *penitus* per noscendi (Cic., *De Orat.*, I, 5, 17).

Cognitis *penitusque perspectis* rebus (Cic., *De Orat.*, I, 20, 92).

Intrandum est in rerum naturam et *penitus* quid ea postulet *pervidendum* (Cic., *De Fin.*, V, 16, 44).

#### B) – Regula generalis.

I. – Vera facta sunt adverbia aut saltem adverbiorum more construi possunt

<sup>1</sup> « *Non ita* » cum adiectivis aut adverbii, eorum significationem restringit; v. g.: Simulacra præclaræ, sed *non ita antiqua* (Cic., *Verr.*, IV, 49). - Quibus homines *non ita valde* moventur (Cic., *De Nat. deor.*, I, 31).

« *Non item* » oppositionem denotat; v. g.: O spectaculum uni Crasso iucundum, ceteris *non item* (Cic., *Attic.*, II, 21),

<sup>10</sup> quaedam substantiva, praesertim in ablativo, <sup>1</sup> ut « *forte, sorte, diu, noctu, casu, iure, iniuria...* etc. »; v. g.:

Id evenit non temere, nec *casu* (Cic., *De Nat. deor.*, 2, 2).

Non quaero *iure* an *iniuria* sint inimici (Cic., *Verr.*, II, 2, 61).

<sup>20</sup> quaedam adiectiva aut participia <sup>2</sup> in accusativo neutro; v. g.:

Iniuriis, quae propositae sunt a Catone facile resistemus (Cic., *Fam.*, I, 5).

Eaque scuta, quae fuerant *sublime* fixa, sunt humi inventa (Cic., *Div.*, 2, 31).

*Commodum* discesseras heri, quum Trebatius venit (Cic., *Att.*, XIII, 9).

<sup>30</sup> quaedam pronomina; v. g.:

*Quid* (= cur)?

Ego me in Cumano, praeterquam quod sine te, *ceterum* satis commode oblectabam (Cic., *Ad Q. frat.*, II, 14).

Beneficio isto legis Pompeius *nihil* uititur (Cic., *Agr.*, 2, 23).

<sup>40</sup> praepositiones non paucæ, scilicet: *ante, adversus, circa (circum), citra, clam, contra, coram, extra, infra, iuxta,*

<sup>1</sup> Dicimus etiam adverbiorum more *magnam partem, suam vicem, id genus, id temporis, id aetatis, magnopere, tantopere, summopere...* etc.; v. g.: *Magnam enim partem* ex iambis nostra constat oratio (Cic., *Or.*, 56). - *Id aetatis iam sumus*, ut omnia fortiter ferre debeamus (Cic., *Fam.*, VI, 20).

*NB.* - Accusativus adverbii more usurpatus, non est nisi accusativus graecus, seu relationis.

<sup>2</sup> a) Praesertim apud poëtas; v. g.: Cometae sanguinei *lugubre* rubent (VERG., *Aen.*, X, 272). - *Horrendum stridens adducta sagitta* (VERG., *Aen.*, V, 19). - *Transversa fremunt venti* (VERG., *Aen.*, V, 19). - *Acerba tuens* (VERG., *Aen.*, IX, 794). - *Infunda furentem* (VERG., *Aen.*, VIII, 489).

*NB.* - Huiusmodi accusativus est etiam accusativus graecus.

<sup>3</sup> b) « *Brevi* » adverbium ex eo factum videtur, quod intelligitur *tempore* aut *oratione*. Duplex inde eius significatio ususque manavit. Interdum enim *brevi tempore* declarat. Saepe vero pro *breviter* ac *pauca* usurpat (Cfr. TURSELLINI).

*pone, post, propter, subter, super, supra, ultra;*<sup>1</sup> v. g.:

*Ante, unus erat toto naturae vultus in orbe* (Ov., *Metam.*, I, 5, 6).

*Sensibus et animo ea quae extra sunt percipimus* (Cic., *De Nat. deor.*, 2, 59).

*Haec pecunia tota recuperata est multis post annis* (Cic., *Flac.*, 2, 3).

5<sup>o</sup>) denique coniunctio «dum» fit adverbium et usurpatum pro «adhuc», quoties non, aut nihil, aut neque, aut vix antecedit; v. g.:

*Nondum erat auditum te ad Italianam adventare* (Cic., *Fam.*, II, 6).

*Nihilandum audieramus* (Cic., *Fam.*, XII, 7).

*Neque dum rem perfectam arbitrabatur* (Cic., *Claud.*, 27).

*Vixdum epistolam tuam legeram, quum ad me Curtius venit* (Cic., *Att.*, IX, 2).

(Ad proximum numerum).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

## IOANNA ANTIDA THOURET

Die vigesima septima mensis novembris, anno millesimo septingentesimo sexagesimo quinto, Ioanna Antida Thouret, in oppido Sarcey, intra fines Bisuntinae dioeceseos, obscuru quidem loco, sed a parentibus religionis studio praestantibus in lucem suscepta est. Iam a prima adolescentia eae emicuere in puella animi virtutes, quae futurae sanctitatis fastigium portenderent: singularis erga Deum piezas, quam aequales, hortante Parocho, in exemplum intuebantur; eximia in suos caritas, qua, matre morte praerepta, sorores et fratrem, pueritiam nondum egres-

sos, maternis prosequebatur officiis; summa erga pauperes liberalitas, quos ut reficeret quotidiano cibo se privare non dubitabat; mira denique cura, ne qua conscientiae candorem labecula aspergeret: ita quidem ut, hac ducta formidine, perpetuae castitatis voto se obstrinxerit.

Sed Deus arctiori vinculo Ioannem Antidam sibi coniungere volebat. Itaque haec, iam inde fere a pueritia, monasticae vitae desiderio rapiebatur. Domesticum inde certamen, patre suisque obstantibus, immo illi, ne propositum adduceret ad effectum, necessaria subsidia denegantibus; quae tamen omnia, superno freta auxilio, Ioanna Antida superavit. Quippe, neque precibus mota, neque minis perterrita, neque percommodae conditionis illecta spe, in proposito persistit: et in pueras «a caritate» nuncupatas, quum vi gesimum secundum ageret aetatis annum, cooptata est. Tribus in Lingonensi monasterio transactis mensibus, in aedes Parisienses missa est, ut ibi tirocinium expletret; quod dolorum tirocinium non immrito dixerim. Tot enim, tantaque inde usque Ioanna Antida forti sustulit animo, ut insigne, per totum vitae cursum, haeroicae patientiae speciem ediderit.

Exeunte saeculo octavodecimo, illa iam ingruerat seditionum procella, quae non modo totam Galliam cruentu luctuque complevit, sed catholicae Ecclesiae fundamenta subruere et fere delere nomen, sacrilego ausu, conata est. Sacerdotibus ea lex indicta, ut vel impio se obligarent iureiurando, vel sua munera obire veterentur. Hinc Episcopi sua sede pulsi; greges legitimo pastore viduati: iis vero, qui a fidelitate erga Romanum Pontificem desciscere recusassent, durissima haec facta conditio, ut vel patria extores ad exteris migrarent regiones, vel, ne fideles suae curae commissi religionis carerent subsidiis, nascentis Ecclesiae exempla aemulati, privatis delitescere in domibus,

<sup>1</sup> Haec praepositionum in adverbia immutatio fit etiam in linguis hodiernis.

ibique clam sacra facere cogerentur. Id temporis Ioanna Antida sacra ueste induita, in Parisiensi valetudinario, quod vocant *des Incurables* aegrotis curandis totam se devoverat; ibi vero quae usque adhuc a suae disciplinae praeceptis religiosissime servandis, nulla corporis infirmitate, nulla immo morbi vi detenta fuerat, in tanta Ecclesiae catholicae oppressione, animi angoribus longe gravioribus excruciali coepit. Neque tamen defuit officio. Ne a Sacerdotibus, qui per sacrilegum iusurandum civili se mancipaverant potestate, sacramenta recipere, mira restitit constantia, neque plebeculae furore neque militum probris adduci potuit, ut conscientiam proderet; vi itaque, aegrotorum inter lacrymas, valetudinario extrusa est.

Sed maius illi impendebat exitium. Qui tunc imperii summam tenebant, id sibi proposuerant, ut avitae fidei vestigia omnino disperderent: qua re religiosas sodalitates, velut extrellum catholicae Ecclesiae in Gallia propugnaculum, dissolvendas esse censuerunt. Ioanna Antida sine tecto Parisiis relicta, in natale oppidum perrexit; quo in itinere, longo quidem et infesto, quot quantaque fuerit perpessa, non facile dictu est. Ut sibi necessaria ad vitam compareret, stipem emendicare debuit: aliquando vero, quum neminem invenisset, qui sibi praebaret hospitium, humi sub divo, noctem transigere coacta est. Vesontione aliquantis per constitit; mox domum, penes sororem, reversa est.

Dei famula religiosa vota nondum nuncupaverat: is tamen in ea erat virtutum splendor, qui vitae sanctitatem, religiosi status propriam, mirifice ostenderet. Ut divinus cultus in tanta temporum tristitia, quoad fieri posset, restitueretur, nihil intentatum reliquit: civilis potestatis intrepidis verbis sprevit minas, mortis periculo aliquando sese obiicere non dubitavit. Quum late pateret in oppido morbi contagium, ut aegrotis opem ferret non sibi

pepercit; quaeque die in eos curandos incubuerat, noctu sacerdotes in latebris perquirebat, qui eorum exciperent confessionem eosque caelesti pabulo reficerent.

Verum Dei famula sentiebat se ad altiora vocari, religiosaeque claustralitatis vitae, a qua fuerat per dirum nefas avulsa, desiderio incendebatur. Quod quum iniquae leges impleri non sinerent, initio in Helvetiam se contulit, ut ibi pia quadam in domo, cui nomen inditum *La retraite chrétienne* pietati exercenda et pueris eruditis sese dederet, mox in Galliam redux, superno afflatu, quum bellum deferibusset Catholicae Ecclesiae indictum, de nova in Bisuntina dioecesi instituenda mulierum sodalitate cogitare coepit. Vincentianae non immemor disciplinae, quam fuerat amplexa, hanc sodalitatem ita sibi Ioanna Antida animo proposuit, ut non tantummodo supplici precatio divino se addiceret servitio, sed effusa etiam erga omnes caritate, sive quod aegrotorum curam ageret, sive quod indigentium occurseret necessitatibus, sive quod pauperes pueras instituendas susciperet. Quae sane officia tempori videbantur accommodatoria: quippe quibus patriae ruinae, post summam per plures annos rerum perturbationem, opportuna remedia afferrentur.

Oratio in volumen excresceret si omnia referrem, quae Dei famula sustinuit ut tantum opus adduceret ad exitum: quot fuerit usque fere ad mortem affecta aerumnis; quibus obiecta livoris morsibus; quot in se non modo malevolentium sed eorum quoque, quorum erat favere incoptis, odia concitaverit. Nunc Parochus, vitae quidem integratate praeditus, sed invida fraude deceptus, gravia illi intulit impedimenta, contendens non Episcopo sed sibi deberi obedientiam, eoque procedens ut illam domo removendi sibi arbitrium arrogaret. Nunc de nomine quo Dei famula novam sodalitatem designaverat *Sororum a cari-*

tate mota quaestio: obsistente sodalitate Filiarum a caritate ne istiusmodi designatio ascisceretur. Mitto falsorum criminum insimulationem; mitto innumeratas difficultates in quas Dei famula est undique delapsa, ne a civili potestate, a lege requisitam approbationem impetraret. Sed vulnus mittere nequeo Ecclesiasticae disciplinae tum inustum, ex quo acerbissima omnium vexatio in Dei famulam redundavat. Quum enim S. Sedis auctoritas novae sodalitatis regulam confirmasset, Episcopus Bisuntinus, gallicana lue haud immunis, ne haec regula sua in dioecesi admitteretur, reluctari ausus est. Ex quo factum ut, quae in Bisuntina dioecesi sodalitati nomen dederant, vi coactae, a Dei famula desciscerent; cui Vesunctionem reversae haec reservata sors, ut, Episcopi decreto, domi in qua ipsa principem sodalitatis constituerat sedem, illi interdiceretur ingressus. Itaque non aliud illi licuit, quam clausam ianuam maerenti animo osculari.

Verum divino Numinis humanorum conatus resistere non valent. Sodalitas, rento nomine *Sororum a caritate*, addita tamen caelestis patroni mentione, « sub S. Vincentii de Pauli patrocinio », altiores egit radices et propagari coepit; quaeque Vesunctione expellebatur, hanc Italia nostra libentissime est amplexa: ubi, Neapoli primum, mox in Pedemontana regione mulieres illae in caritate exercenda ita excelluerent, ut omnium in se admirationem converterent.

Dei famulae id erat in optatis, ut etiam Romae apud Petri Cathedram suae sodalitatis conderet domum; verum vota, post eius mortem implenda, tunc effectu caruerunt. Etenim iam tempus adventabat, divino consilio praefinitum, quo Dei famula post tot exantatos pro Deo proximisque labores, post crucem tam diu invicto animo perlatam, promeritum inter Superos praemium consequi deberet. Mense

maio anni millesimi octigentesimi vigesimi sexti primum apoplexi est correpta; tres fere menses mortis praesensione non equidem territa, sed recreata, corpore licet fesso, miro animi vigore, sua adhuc obiit officia; denique exeunte mense augusto ex alia eaque subita morbi accessione, Dei complexu fructa est.

Sanctitatis fama, quae Dei famulam viventem fuerat comitata, ea demortua latius pervagata est: fidelium numerus, qui, opem imploratur, ad eius sepulchrum confugent, eiusve flagitarent reliquias, magis magisque in dies excrevit. Inde factum est ut, pluribus etiam id postulantibus Episcopis, inquisitio de more fuerit suscepita; post quam die sextadecima mensis iulii anni millesimi decimi noni, S. Sedis auctoritate, causa rite initium habuit. Omnibus expletis, quae canonicae requirunt leges, quumque constaret tum de heroicis virtutibus tum de miraculis, die vigesima tertia mensis maii anni millesimi nongentesimi vigesimi sexti in Vaticana Basilica Ioanna Antida Beatarum in numerum sollemniter adscripta est. Mox alia duo accesserunt, Beata Ioanna Antida deprecante, a Deo patrata miracula, Ecclesiae auctoritate legitime agnita, ita ut die octava mensis augusti superioris anni MCMXXXIII sanctum fuerit « tuto procedi posse ad sollemnem Beatae canonizatiōnem ». Hanc sententiam die Deiparae in Caelum Assumptae sacra auctoritate sua confirmavit Pius P. XI, qui fidelibus ad pontificium solium undique confluentibus sollemnia de ritu explevit die xiv mensis Ianuarii currentis anni MCMXXXIV.

VINCENTIUS SACCONI  
Sacri Consistorii Advocatus.

... Scelus intra se tacitum qui cogitat illum.  
Facti crimen habet.

IUVENAL, Sat., XIII.

## LITTERARUM RELIQUIAE IN VITA PRIVATA PRISCORUM ROMANORUM

Postquam in rerum religiosarum finibus indicia et reliquias litterarum collegerimus, perpendimus, iuvat in alias quoque oras regionesve vitae communis introspicere, ut ibi etiam indicia et quasi semina humanarum artium deprehendere possimus. Et primum omnium si in vitam quotidianam agricolarum et artificum inspiciamus, carminula quaedam occurserunt nobis, non indigna quae in memoriam revocentur. Nam Festus (p. 93 M. = 66 Te. D. P.) de pueris flaminum ministerio addictis loquens, memorat, « Flaminum Camillum » appellari puerum ingenuum patrimum, et matrimum, <sup>1</sup> qui Flaminus Diali ad sacrificia praeministrat; subiungitque ex aliorum sententia, omnes pueros ab antiquis « Camillos » appellatos esse, sicut habetur in antiquo carmine, quum pater filio de agricultura praeciperet:

*Hiberno pūlvere, | vérno lúto, || grándia fárra, | Camille, métés.*

Idem canticum rusticum adfert Macrobius in *Saturn.* V, 20, 18, ubi librum memorat vetustissimorum carminum, qui ante omnia quae a Latinis scripta sunt compositus ferebatur; subiungitque inde Vergilium, veterum sibi ornamenta trahentem derivasse illud suum: *Hiberno laetissima pulvere farrā, laetus ager.*<sup>2</sup> Quod qui secum aure sua quodammodo auscultet, statim numerum deprehendet, quattuorque κῶλα facile distinguet, binis ictibus signata. Perperam profecto Baehrensius (*Fragm. poēt. Rom.*) anapaesticum pedem audire sibi visus est, nec minus

erravit Frid. Marxius (*Zeitsch. f. österr. Gymn.*, 1897, p. 63) senos ictus iambicos audiri adfirmans; ipse Leo (D. Saturn. Vers. in *Abhandl. Göttingensibus*, 1905) cola distinguens: *hiberno pulvere verno luto — grandia farrā*, quae duo cola unum versum efficiant, non sat probabilem viam sequutus videtur. Prudentius Norden in celebri opere, cui titulus *Röm. Kunstprosa* (p. 159) de soluta oratione non sine rhythmo loquitur, consentiente Hauero (*Zur äl. röm. Lit. — Gesch.*, in *Festschrift für GOMPERZ*, Vindobonae, 1902, pag. 389), qui ἀρχαϊκῶς scriendum coniecit hoc modo; *hibernod pulverid — vennod lutod — grandia fara — casmie metes*.

Nos infra sermonem instituemus de prisco saturnio versu, et concludemus hic non rhythmicam prosam, sed versus saturnios prioris formae generisque, agnoscendos esse.

Habes, hic, lector suavissime, vetustissimi carminis rusticī exemplum; unum exemplum, sed multa huiusmodi cantica vulgaria extitisse, facile conici potest. Coniecturam firmabit Vergilius in *Georgicis* monens (385):

*Ausonii ... coloni*

*Versibus incomptis ludunt risuque soluto,  
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis,  
Et te, Bacche, vocant per carmina laeta, tibique  
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu ...  
Ergo rite suum Baccho dicemus honorem  
Carminibus patriis ...*

Nec verbis discrepat, re concinens, Tibullus (II, 1, 51):

*Agricola adsiduo primum satiatus aratro  
Cantavit certo rustica verba pede.  
Et, satur, arenti primum est modulatus avena  
Carmen ut ornatos diceret ante Deos,  
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti  
Primus inexperta duxit ab arte choros.*

En habes hic quoque rustica verba versusque incomptos, at carmina laeta, in Bacchi aliorumque Deorum honorem, nec non simplicem avenam numeris concinemtem; habes etiam personas horrendas ca-

<sup>1</sup> Id est, cui pater et mater adhuc vivunt.

<sup>2</sup> *Georg.*, I, 101. Cfr. SERVIVM DANIELINVM, ad hunc Verg. locum.

vatis corticibus sumptis, vel ora ipsa minio rubenti suffusa; habes cum cantu choreas et mollia oscilla ex alta pinu suspensa, qui mores iam antiquitus sane servabantur. Idem Tibullus in eadem elegia, post paucos versus, alia opera rusticorum memorat, et pueros verno de flore coronas facientes Laribus imponendas, et puellas laneis pensis coloque intentas fuso, opus adposito pollice versante, et textrices adsiduas Minervae, ut ille ait, operatas; quarum aliqua *cantat et adplauso latere tela sonat*; <sup>1</sup> en igitur canticum textricis inter cetera vulgaria carmina adnumerandum.

Denique revocemus in memoriam Horatii iter Brundisium (*Sat.*, I, 5) et noctem a qua mali culices ranaeque palustres somnos avertunt, dum absentem amicam *cantat nauta, multa vappa prolatus*, et cum eo certatim *concinit* viator; et habebis etiam cantiones amatiorias, ne ulla recensitoris popularis musae exempla etiam vestitis temporibus desideres.

Quid plura? Non deest etiam cantilena nutricum infantes motu cunaru sapientium; nam Scholiasta ad Persii Satiram tertiam (v. 16), ubi vox occurrit « lallare » memorat voces nutricum: *lalla, lalla, lalla*, aut dormi aut lacta. <sup>2</sup> Manifestum est, vulgo omnia paene momenta vitae, tum laeta tum tristia, cantum quemdam suum nulla non aetate habuisse!

ALEXANDER AURELI.

<sup>1</sup> Cfr. Non., I, s. v. « Sarcinatricis »; non ut quidam volunt « Sarcitricis »; quasi a sarcendo, sed magis a sarcinis, quod plurimum vestium sumant. Varro, ὄνος λύπας: *homines rusticos in vindemia incondita cantare, Sarcinatrices in machinis*.

<sup>2</sup> « Lactare » proprie est italice *allattare*; contra lac sugere dicebatur « lactere » (Romuius parvus atque lactens, uberibus lupinis inhians, *Cihatil.*, 3, 19). Sed ut apud Nonium locus Livii Andronici legitur: « Ego puerum interea ancillae subdam *lactantem* meae ne fame peribat », ita vulgo *lacta* dici poterat pro *lacte*.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

### NOTAE.

DE STELLARUM TRANSVOLANTUM TURBINE  
DIE IX MENSIS OCTOBRI MCMXXXIX.

Die nona mens. Octobris MCMXXXIX inter horas 18,30 et 22 temporis medii Greenwich caelum inopinato ob stellarum transvolantium frequentiam splendidum spectaculum exhibuit. Earum numerus universus aestimari nequit: certe plura millia superavit. Circa horam octavam summa fuit frequentia: tunc Hamburgi numeratae sunt 345 stellae transvolantes spatio unius momenti primi. Saepe plura simul apparebant per aera species fascium ad modum sicut in ignibus artificio factis, perinde ac si ortum accepissent a disruptione corporis in aerem terrae circumiectum penetrantis. Punctum radians erat in costellatione Draconis, in ascensione recta 17h 45m et declinatione + 55° 23'; hinc calculus subductus est orbitae parabolicae, cuius elementa satis similia erant elementis orbitae cometae Giacobini-Zinner, habentis periodum 6.6 annorum. Iamvero constat terram vespere illius diei ix Octobris proximam fuisse eius nodo descendenti, ita ut vix dubium sit, quin stellae illae transvolantes fuerint fragmenta dictae cometae, quae die 16 Iulii huius anni per suum periherium transivit. Iam anno 1925 Davidson astronomus fieri posse nunciaverat stellas transvolantes ex radiante in asc-recta 263° et declinatione 54° fieri, ac reapse die ix Octobris anni 1926 Denning observaverat caelestes faces ex radiante non multum inde distante, quorum tamen multitudo cum frequentia huiusc anni 1933 nullatenus erat aequiparanda.

I. STEIN.

### NOTITIAE.

#### DE ANTIQUISSIMIS CAELI SPECULIS.

Caeli specula Universitatis Leydensis, ex antiquissimis, tercentesimum annum celebrat a quo condita fuit. Initium enim habuit anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, Iacobo Golio auctore. Initio tamen non tantum ad scientiae inquisitiones, sed potius scholarum adiumento et visitantium satisfactioni inserviebat.

Labente tempore vix perstisset dicendum est; ultimo vero saeculo magna habuit incrementa, et nunc, moderante W. de Sitter, inter potissima adnumeranda est.

Post Leydensem speculam antiquissima sunt quae in Utrecht, Copenhagen, Parisiis, et Greenwich exstiterunt.

Sed prae omnibus vetustate praestat Vaticana, quae in Collegio Romano, cum studiorum praeclara sede ipsa initium habuisse dicenda est, ubi P. Clavius et socii ad Calendarii reformationem, Gregorio Papa decimotertio iubente, intenderunt.

#### DE ISOTOPO HYDROGENII.

Pondus athomicus pro hydrogenio asumitur, ut notum est, assignando pondus 16 athomo oxigenii. Sed postquam existentia isotopi oxigenii 18 demonstrata est, pondus hydrogenii non amplius referendum est ad 16, sed ad permixtionem 16 et 18.

Ex alio capite mensura directa pro athomo hydrogenii, per spectrographum massae habita, valorem praebet maiorem quam qui ex comparatione cum oxigenio deducitur.

Ad hanc discrepantiam explicandam iam duos ante annos Birge et Menzel hypothesim existentiae alicuius isotopi hydrogenii proposuerunt.

Anno elapsi Urey, Briekwedde et

Murphy examini subiicientes linea spectrales a residuis evaporationis hydrogenii liquidi emissas, strias detexerunt, quae hydrogenio H<sub>2</sub> respondent.

Recentius vero Bainbridge et socii, per spectrographum massae athomos hydrogenii duplicitis ponderis detegere et ponderare potuerunt. Separatio fieri potest etiam per electrolysim.

Existentia huius isotopi hydrogenii respondet existentiae aquae, cuius pondus specificum exsuperat unitatem et congruenter gradus solidificationis et ebullitionis elevatur, et index refractionis decrescit.

Talis aqua, in qua athomi hydrogenii duplicitis ponderis sunt, effectus habet lethales, ut etiam de aqua distillata novimus.

#### DE FLUCTUATIONE IN INTENSITATE RADIUM COSMICORUM.

Cl. viri V. F. Hers et R. Steinmauer in epistula ad commentarium anglicum hebdomadarium *Nature* referunt quae circa intensitatem radiationis cosmicae deducere fas est ex mensurationibus per circiter duos annos perductis in summo monte Hafelekars prope Innsbruck, h. e. ad altitudinem duorum millium et trecentorum metrorum.

Ad haec resumuntur:

1) Nulla adest intensitatis oscillatio, quae tempus siderale sequatur. Quaedam vero augmentatio invenitur relate ad tempus loci, et quidem maxima intentio locum habet duabus fere horis post meridiem.

2) Neque ulla appetet intentionis origo ex praesentia macularum in sole. Ad summum dici poterit adesse quoddam visibile incrementum post aliquot dies, inter decem et quindecim, postquam maiores quaedam maculae per meridianum centrale solis transierint.

3) Magneticae tempestates non videntur influere in intentionem radiationis. Si tamen medius valor per quasdam horas post tempestatem assumitur, intentio diminuta apparet, contra ea quae Corlin in Suedis invenit. Quod tamen ex eo explicari potest quod observationes a Corlin factae respiciunt altiorem latitudinem, nempe graduum sexaginta trium.

4) Denique, quod ad naturam radiationis spectat, observationes videntur confirmare naturam corpuscularem.

#### DE HELIO INVENTO APUD OPPIDUM LARDARELLO.

Inter substantias aërifomes, quae propiciuntur ex naturalibus gasosum iactibus, vulgo *soffioni*, qui apud Lardarello in Etruria inveniuntur, quaedam adsunt quae ad industriae applicationes valde conferre possunt, ut metanus, hydrogenium et helium.

De his locutus est vir princeps Ginori Conti in Conventu disciplinarum Italico, qui recens Bariis locum habuit, et praesertim de methodo ad helium secernendum deque usibus quibus aptandum.

#### DE RADIIS X POSITIVIS.

W. M. Coates et E. O. Lawrence ex studiorum Universitate Californensi per venerunt ad emissionem radiorum, qui radiis X comparandi sunt; per projectio nem vero ionorum positivorum ex hydrargyrio sub potentiali mille millium voltarum excitantur.

Quamvis non appareat quomodo exitus ad usum induci queant, valde tamen res interest pro scientiae inquisitionibus.

#### DE INQUIRENDO IN ALUMINIUM AQUIS INCLUSUM.

Doctor Victorius Gazzi agens de praesentia aluminii in aquis naturalibus, asserit, hoc reapse inveniri in omnibus fontibus, quamvis aliquando in quantitate

minima, ita ut difficillimum evadat in illud inquirere per chimicam analysism.

Adest autem securior et sensibilior via, ipse Auctor addit, per analysism spectroscopicam; quedam enim striae ex aluminio emissae facile detegi possunt, etiam si minima adsit metalli copia.

#### EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

##### « Pittacium » quid?

JOSEPHUS FORNARI, commentarii « Alma Roma » moderator, cl. viro PETRO CONTI doctori, s.

Quaeris a me quid sibi velit vocabulum illud « pittacium », a quo libera pluries in nostro commentario responsa legisti.

*Pittacium*, a graeco recto fonte πίττακιον, apud Latinos schedula brevis, seu membrana aut chartae particula dicebatur, quae alicui rei pice vel cera aliave re affigetur. Exempli gratia, apud Petronium (*Satyr.*, 34) invenies: « Allatae sunt amphorae vitreae diligenter gypsatae, quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo: Falernum Opimianum annorum centum ». Non incongruum itaque nobis visum est verbum adhibere ad significanda parva illa insignia solutae missionis, gummi illita, quae litteris adglutinantur, nomenque italicum habent: *francobollo*. Phrasa igitur: « Libera a pittaciis responsa id exprimere voluimus, quod italicice diceatur: « Lettere di risposta senza francobolli ».

Tenesne nunc rem? Si vocabula alia suggestenda habueris ad eumdem sensum reddendum, aperi; disceptabimus, et si iure meliora reputaverimus, tibi libenter morem geremus: nunquam enim oraculum in hisce edere praesumpsimus! Vale.

#### HORAE SUBSECIVAE

##### POPINA

*Unde hic virorum vana iocantium  
Erumpit ingens clamor et absonus  
Perstringit aures? Aestuosa  
Lurida scenna premens tabernae  
Consumit horas turba bibentium.  
Hinc cede, mentem qui cupis integrum,  
Et vos, verecundae puellae,  
Hinc celeres prohibete gressus.  
Non hic procaci frena licentiae  
Sunt ulla, promptae non modus amphorae.  
Crebro sub haustu poculorum  
Sordet humus graveolente vino.  
Potu cientur pectora fervido:  
Mens iam labat: iam multa loquaciter  
Iactantur: ardent saeviuntque  
Iurgia sanguineaque rixae.  
En qui madentes immodico mero  
Aegre recedunt limine foetido:  
Utroque cervicem reclinant:  
Saepe pedes titubant inertes.  
Illos iacentes per medium viam  
Pungunt cachinni praeterireuntum.  
O foeda res! O non ferendum  
Probrum hominum tenebrisque di-  
gnum!  
Cur, o Noeme, o maxime conditor  
Arcae, liquorem promere vineae  
Tu primus ausus? Quanta clades  
Inde tuos fluit in nepotes!  
Ast immerentem stultus ego patrem  
Nequidquam iniquis questibus urgeo.  
Satore rerum sic volente,  
Nectareos gerit uva succos.  
Effeta vinum corpora recreat,  
Vires reducit, dimovet asperas  
Curas, fugat mœstem timorem,  
Laetitiam revocat salubrem.  
In nostra pravi nos mala vertimus,  
Quae tanta Numen commoda praebuit.  
Mortalium flagrans libido  
Dulcia in atrum adhibet venenum.*

A. BASILI.

#### COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>

##### II.

##### Formulae bene precandi

MAGISTER, BERNARDINUS, CAECILIUS,  
FLORIANUS.

MAGISTER. — Formulas illas, quibus aliqui aut aliquibus latino moreque christiano bene precari possumus mihi recitato, Bernardine.

BERNARDINE. — Hem, praceptor.

MAG. — Quibus verbis peregre abeunti seu in viam se danti optares prospera?

BERN. — *Hoc iter felix faustumque tibi sit!* — Bene prospereque istud tibi itineris adveniat. — *Vale feliciter.*

MAG. — Aliter.

BERN. — *Faxit Deus (vel faxint Superi) uti salvus et incolmis revertaris.* — Bene prospereque istuc tibi itineris eveniat. — *Bene ambula et redambula.*

MAG. — Quibus peregre redeunti?

BERN. — *Optatus mihi et carus accidit tuus iste redditus.* — *Reditione tua multum me exhilaratum sentio.* — *Quod sanus reverteris (vel reversus sis) gaudeo.* — *Deo sint gratiae, qui te firmum valentemque nobis restituit.* — *Tua reversione (vel tuo reditu) etiam atque etiam laetor.* — *Gratulor tibi reduci.*

MAG. — Prudentibus et coenantibus bene precare, Caecili.

CAECILIUS — *Escam potumque vestrum Deus benedicat.* — *Sit vobis hoc prandium (seu coena) salutaris.* — *Utinam istae epulæ conducant vestris corporibus.*

MAG. — Ad te mox redibo, Bernardine, si Florianum interrogavero. Age, Floriane, quid dices aegrotanti, quod audiat libentissime?

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis.* — Passim retractavit hodierisque moribus aptavit I. F.

FLORIANUS. - *Deus tui misertus valetudinem tibi redintegret.*

MAG. - *Dic reliqua, nam plura recordor me dictasse vobis.*

FLOR. - *Ab hac febri (ab ista colica, ab isto morbo) Ille te liberet, qui sanavit omnem languorem. — Medicinam malo tuo Deus misericors faciat — Levare dolores tuos et depellere morbum istum dignentur Superi. — Ex ipsis morbis sanum te atque integrum videre quamprimum cupio.*

MAG. - Sat multa. Quid sternutanti, Bernardine?

BERN. - *Salve. — Salvere te iubeo. — Deus te servet. — Sit saluti. — Faustum ac felix!*

MAG. - Nihil aliud?

BERN. - Nihil, quod sciam, aliud dixisti in hoc genere.

MAG. - Propinanti seu bibenti?

BERN. - *Sit saluti. — Prosit — Proficiat. — Conducat; quae vulgi sunt. — Sit felix haustus. — Sit salubris potio. — Bibe salutem. — Bene te! — Bene tibi! — Accipio perliberter.*

MAG. - Diem et noctem.

BER. - *Hic tibi dies candidus illuxerit. — Felix procedat tibi hic dies. — Haec nox tibi commoda transigatur. — Prosperam, placidam tibi istam noctem precor. — Somnus tibi placidus contingat. — Moliter cubes.*

MAG. - Optato aliquid boni honorem adipiscientibus, Floriane.

FLOR. - *Hic honor tibi perpetuus sit. — Superi hanc gloriam (istud decus) tibi perpetuum faciant. — Hunc honorem Deus tibi conservet atque augeat. — Gratulor honore isto; Deus faxit, ut eo dignus maneas.*

MAG. - Opus quodpiam adgredienti?

FLOR. - *Quod bene vertat. — Quod fauste feliciterque cadat (eveniat). — Tuis coepitis adsit (faveat) Deus. — Deus incoepita tua ad felicem exitum perducat. — Deus hunc laborem tuum fortunet.*

MAG. - Novo anno ineunte, quae bona verba dicemus?

FLOR. - *Hic annus tibi faustus procedat. — Vive hunc annum sanus et incolamis. — In proximum annum tibi laeta omnia.*

MAG. - Nihil est praeteritum. Amo vos multum de memoria et diligentia.

## ANNALES

### De armis ponendis disquisitiones.

Galliae propositionibus de armis in universum deponendis respondit Germania; quam dictitant declarasse se earum nonnullis - non sine tamen cautionibus atque etiam moderationibus - accessuram: ratio haec conciliatrix spem induxit futurum, ut, in via quae ad aliquam fructuosam metam perducat, insuperabilia obstacula tandem removeantur.

Italia interim litteris ad ceteras nationes missis proposita sua declaravit: se inita iam pacta fideliter servare velle, ac Germaniae redditum ad Geneveses conuentus auspicari. Protestatur quaestionem de armis deponendis nisi mutuo consensu solvi posse; aliter enim cursim quaeque civitas ad novas copias instruendas contenderet. De Germanorum quaesitis disserens, animadvertisit nationem hanc aequalitatem repetere non quidem armorum ad offensionem, verum ad unam defensionem; iuris igitur aequalitatem ab armorum aequalitate illam disiungere; huiusmodi autem ius Germaniae recognitum, Germanicis postulatis eam vim tribuitur, cuius evidentia haud facile negari liceat.

Consideranda quidem Gallica de securitate quaesita: haec vero satis de firmitate sua amittent, quum Germania de novis instruendis armis consiliis certo renuntiaverit. Proponitur igitur ab Italia pactum,

usque ad annum MCMXL ratum habiturum, cuius fundamentum sint et «status quo» et circumscriptio a Germania oblata; per quod vero quaevis ad «bellum chimicum» referantur, continentibus recognitionibus adhibitis, praescribantur omnino; praescribatur civilium gentium ballistis incendiariis oppressio; militaresque expensae terrestriaque arma ut hodie sunt serventur; quibus quidem terminis et Gallis quaevis satis fieret, namque vel numero trecentorum millium armatorum Germaniae concesso, satis superque de Germanorum armis Gallia haberet.

Anglia quoque rogationes suas circa argumentum edixit, quae iisdem consiliis de mutua opera ac mediatione inter Galliam et Germaniam praestanda continentur, verum ab Italia in eo discrepant, quod non ex «statu quo» procedant, sed ex progredienti armorum limitatione.

Ex parte sua Roosevelt, Civitatum foederatarum Septentrionalis Americae praeses, sermonem habuit de pace apud omnes populos assequenda, in quo tria capita ad rem posuit: foedus inter nationes omnes ineundum ad abolenda, idque brevi quidem tempore, arma ad offensionem a singulis nationibus parata; promissio ab unaquaque natione sollemniter facienda, in ceterarum nationum territorium se nunquam invasuram; consequens inde aperta cognitio eorum, qui gladii usui fidant adhuc.

O utinam haec perfici valeant!

\* \* \*

### Inter Austriam et Germaniam discrimen.

Austria apud Germaniam conquesta est quod per emissarios suos Austriaci populi disciplinam subvertat; quum autem Germanici gubernii responsum minime satisfaciens Austriaco administratorum collegio visum sit, quippe quod, prouti di-

ctitant, adfirmaret de discrimine inter Austrorum gubernium atque historicum totius Teutonici populi motum potius agi, futurum videtur ut res ad Nationum Societatem proxime deferatur.

\* \* \*

### Gallicae res.

Novo administratorum collegio, cui D'Aladier praepositus, melior fortuna haud contigit. Quum enim ipse praeses tam severis provisionibus usus fuisse in eos praesertim qui publicae tranquillitati tutandae praepositi erant, ut iustae parum atque immodicae viderentur, Fabry prius et Pietri ipsi administrari suscepimus ab abdicarunt, ac deinde alii omnes, ea praesertim ratione quod seditiones ac tumultus nedum cessarent, vi crescerent: ad incendia enim, ruinas caedesque ventum est. Dum scribimus, de civilium rerum administratione concedenda agitur Doumergue, reipublicae quandam praesidi, qui privatus nunc vivit, et a partium studio omnino remotus.

POPICOLA.

## VARIA

### Julius II Pontifex et Ioannes Paulus Baglioneus, Perusinorum tyrannus.<sup>1</sup>

Julius Pontifex eius nominis secundus, anno salutis MDV Bononiam exercitum duxit ut Bentivoliorum familiam, quae eius urbis imperium centum iam annos tenuerat, loco moveret. Eademque in

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI *De republica disputationes ex prima decade T. Livii*, lib. I. - Latine vertit H. Bindi.

expeditione etiam Ioannem Pagolum Baglioneum, Perusinum tyrannum, sua sede expellere decreverat, ut ceteros item, qui urbes Ecclesiae per vim tenerent. Eius rei causa quum ad Perusiam urbem accessisset, et notum iam omnibus esset quid in animo haberet, tamen impatiens morae noluit exercitum exspectare, sed inermis quasi urbem ingressus est, in quam Ioannes Pagolus, defendendi sui causa, non exigas copias contraxerat. Is autem eodem furore quo res suas administrare solebat, una cum milite, cui custodia sui corporis demandata, sese in Pontificis potestatem dedit; a quo abductus est, relictusque alias qui Ecclesiae nomine urbem gubernaret. Hac ipsa in re magnopere admirati sunt viri sapientes, qui Pontificem comitabantur, cum Pontificis ipsius temeritatem, tum abiectionem vilemque Ioannis Pagoli animum, nec causam intelligebant, ob quam permotus idem Pagolus hostem suum inermem (quod illi cum perpetua nominis sui memoria facere licebat) non subito oppresserit, et tam pretiosa spolia diripuerit; quum Pontifex urbem ingressus fuisset, Cardinalibus tantum suis stipatus, qui pretiosissimas quasque suarum rerum secum habebant. Neque enim credebatur Pagolus a tanto facinore vel sua bonitate, vel animi conscientia abstinuisse: quod in hominem sceleratum huiusmodi pii affectus cadere non viderentur. Quum igitur haec de re variae essent Sapientum virorum sententiae, concluserunt tandem id ei accidisse, quod ita comparatum sit, ut homines neque plane pravi esse queant, neque perfecte boni.

\* \* \*

**Simius et Delphinus.**

Solebant quondam mercatores in Ionginquis navigationibus assumere catellas meltaeas, aut simiolos, quorum lusibus

taedium navigandi levarentur. Quodam igitur Atticam cum simiolo praetervecto, non longe a Sunio, promontorio regionis illius, vehementissima oritur tempestas, et inhorrescit mare, atque fluctus tanta vi concitantur, ut navis everteretur. Disiectis igitur ac fluitantibus rebus et hominibus, nabat in undis et Simius. Hunc conspicatus Delphinus, misertus illius, quod esse hominem arbitraretur - (singularis enim amor est erga genus humanum Delphinorum) - adnatat ad Simium et susceptum evehere ad terram incipit. Iamque in conspectu erat Piraeus, ibidemque navale Atheniensium, quum interrogat Delphinus Simium an esset civis Atheniensis. Qui quum respondisset, se et esse civem Atheniensem et in ea urbe nobilibus parentibus procreatum, amplius ille an noscitur posset Piraeum rogat. Tum Simius, optimum illum amicum et summum ac imprimis familiarem esse suum inquit, ratus de homine Delphinum loqui. Quo tam impudenti mendacio offensus Delphinus, in mare se demersit et vanum Simiolum in aquis suffocandum reliquit.

Contra vanitatem et mendacia haec fabula narratur, quae saepenumero gloriosulis non solum detimento atque probro, sed etiam exitio fuisse compertum est.

\* \* \*

**Pro iudicibus mensarum eleganticibus.**

ESCARUM ORDO:

*Solani tuberosi glomeramina in iure dispersa.*

*Capo elixus cum brassica in butyro ei caseo cocta, Parmensium more.*

*Iecur porcinum salgamis conditum.*

*Lumbus vitulinus veru assus.*

*Collyra Florentina.*

\* \* \*

**locosa.**

Pater Tuccio:

— Si quis adveniat me quaerens, dic me domi non esse.

— Sin autem adveniat?...

Tuccius ad bonam frugem contendere tandem videtur. Amico:

— Oh! vere puer ignavissimi sumus et inertissimi!

AMICUS. — Heus tu! Singulari numero loquaris!

TUCCIUS. — Oh! vere puer ignavissimus et inertissimus es!

\* \* \*

**Aenigmata.**

I.

Mene legis recte? Vocor in discrimina Martis,

Ut primo strepuit buccina rauca sono;

Mene legis retro? Turcarum rex dominusque,

Asseclis Christi bella cruenta tuli.

II.

Lictorem consul *primum* iubet ore severo

Qui contemptorem statuit punire *secundae*.

*Tota* viret semperque viret laetissima ramis.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1). *An-na*; 2). *F-astus*.

**LIBRORUM RECENSIO**QUIRINUS FICARI, *Decennalia* (Pisauri, 1933).

Carmen, magna laude in Locrensi certamine ornatum, in duas partes divisum est: altera achrostica sententia continetur: *Benito*

*Mussolinio Italiae populique Duci, Romani Imperii Restauratori, Patriae Vita, Victoria, ac Roman et Duce, matrem et filium latinas et Christianas traditiones sequentem novasque leges Italiam et terrarum orbem docentem celebrat. Altera pars antiquam Roman Palilias celebrantem revocat: Vergiliū et Horatium inducit, alterum optimos Romae viros, quorum virtutes italicus Dux renovat, celebrantem, alterum, Romulum revocantem, qui Roman restauratam a novo Conditore praenuntiat et praedicat.*

Carmen antiquas novasque res, maxima arte moliens, exametris et alchaicis ornatisime conditum, etiam expolitis italicis versibus redditum est.

DOMINICUS MIGLIAZZA, *Dux* (Mediolani, 1933).

Carmen Alchaicum. in poëtico certamine antea iudicatum, nunc diligentius expolitum, Romae renascenti dicatum, Auctor, qui, optimus magister, optimos discipulos formavit, et ab initio, omnibus viribus, renatis Fascibus favit, Mediolani edidit.

Poëta revocat Romae ortum et res a Romanis gestas. Ut olim Catilina Urbem evertre conatus est, nuper civilis furor Italiae minabatur:

*Vir plebe natus nostra salus erit.*

Italia resurrexit, omnia florent, Polum ipsum virtus Italica petit.


Carminis exitus summa poësis fastigia aggreditur:

*Est ardua e terris ad astra  
semita: Romulidum alta virtus  
et ipsa crevit sanguine plurimo.  
Nonne Italorum gloria nobilis,  
si patriae, immensum per aequor,  
ultimus adsociatur orbis?*

Auctori gratulamur et optima admirati maiora exspectamus.

Anconae

JUNIUS GARAVANI.



**Aenigmata.**

I.

Deme *caput*: reliquis cunctis sit semper ho-  
[nestum].  
O *pectus* miserum, retinet quod vincula solum!  
Tolle *pedem*: reliquo coram ne retia tendas.  
Confugium est *totum* puero fletu ora riganti.

II.

*Prima* creatur api; labris *pars altera* clausa  
est,  
*Utraque mixta* tibi dulce poëma dabit.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-  
posita his respondent: 1). *Miles*; *Selim*;  
2). *I-lex*.

**LIBRORUM RECENSIO**

I. B. PIGHI, *Epistula ad Murrium Reatinum*.  
Carmen.

Auctor, factio Aselli nomine, amico (quem facete Murrium Reatinum, Varronis asinarium, appellat), qui ipsum hortatur, ut Aquileiam canat, respondet sibi quotidie laborandum, neque se Musis vacare posse. Aquileiae tamen ortum memorat et maximas quondam opes, quas irruentes Barbari everterunt. Crux una spes superesse visa est, atque urbs firma stetit, templum, celebrem atque episcopalem sedem coluit: nunc quidem Aquileia, ut tota Italia, resurgit atque cultum servat iuvenum, qui nuper pro patria ceciderunt atque Ignoti Militis ossa et memores fastos.

I. Pighi, qui Ammianum Marcellinum diligenter studio recensuit, Livium et Iulianum potissimum auctores sequitur atque omnia canit politissimis exametris. Carmen, in Batavo certamine, magna laude ornatum est.

Anconae.

IUNIUS GARAVANI.

**Libera a pittaciis responsa.**

Cl. v. IOAN. BRO., *Seycelles*. — De studio officioque tuo erga nos amplissimas gratias habemus et referimus.

R. d. RIC. CAYS., *Catanae*. — Dialogorum collectionem, quam tu desideras, non novi. Nos novam Ioannis Ludovici Vives editionem proxime vulgabimus.

Cl. d.ri IOS. MORAB..., *Messanae*. — Domus tui immutationem haud nobis significaveras, ideo fasciculos Catanzaram mittere perrexiimus; quos desiderabas istuc iam misimus. Roberti Scotti iter longius, ut vides, producitur; itaque morem tibi gerere huc usque nequivimus; sed curabimus ut alio quovis modo tibi satisfacturi simus. De illo indicare veniam petamus demusque vicissim.

Cl. v. ED. MULL..., *Berolini*. — Ita tibi assentimur, ut iam diu nos geographicorum locorum lexicon componere cogitaverimus. Sed redigendi tempus defuit!

Cl. v. PETR. CAR..., *Neapoli*; IOS. ZAP., *Sancti Remuli*. — Ut certaminum recentiores ubioresque notitias edere possumus, si eadem minime nobis communicantur?

Eidem cl. v. IOS. ZAP... — Vocabulorum illorum seriem eccecur ipse tibi non comparas? Nonne utilius tibi fuerit? De iis quae non satis tibi aperta fiant, interroga; nosque rem tibi explanabimus, quemadmodum cum socio P. C. in superiore Ianuarii mensis fasciculo de *pittaciis* egimus.


Cl. v. ANG. CARB..., *Bononiae*. — Magister ipse tuus valebit secreta illa tibi aperire.

R. v. A. RAIN..., *Bergomi*. — Nunquam amico isti tuo, cuius ipsum nomen ignorabamus, inscriptos « Almae Romae » fasciculos misimus; seruni Tibi semper, a quo igitur subnotationis pretium exspectamus.

**A SECRETIS.**

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanæ.  
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.



*Nuperrime prodit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Milleiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 475 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 950, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXI

Romae, Mense Martio MCMXXXIV

Fasc. III



# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXIV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicā lib. 30 exaequaōs; ante solvendū rectoque tramite mittendum ad Iosephum Fornari doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

### DE HODIERNAE VITAE RATIONE RENOVANDA MEDITATIONES

VI.

#### Ascende superius!

1. Quae me circumstant perpetuo movent, oriuntur et occidunt; nascuntur, crescunt, moriuntur. Et tamen miro ordine haec omnia fiunt; hunc ego ordinem perscrutor, contempnor, admiror, formulis mathematicis mihi exprimo, praetergredi tamen non possum; me fortior est; atqui ordo Mentem expostulat ordinantem; ergo tam mirus Ordo sapientissimam praedicat Mentem ordinatricem, quam ego ex his rebus agnosco, admiror, veneror, adoro. Et quia hic ordo non est rebus omnibus extrinsecus sed maxime intrinsecus, contextus in *essentiis* rerum, Ordinator non potest esse alius quam Auctor atque Conditor rerum: hunc Deum appello.

Praeterea: ex nihilo hic nihil fit; qui non seruerit nec colliget; qui cibum sibi non paraverit nec vescetur; qui pecuniam in scrinio non servaverit nihil ibidem inventiet; antequam natus essem, paucis ante annis, ego non eram; sine matre, sine patre non fuisset; neque fuissent parentes mei sine parentibus suis; ergo ratio

vera et adaequata quod ego sim non in meis parentibus est quaerenda, non in homine ullo, sed extra hominem, in Alio aliquo, qui nec homo sit, nec ab homine. Etiam: ordo mihi essentialiter intrinsecus evincit Ordinatorem non disposuisse certa ratione elementa quibus Ego consto, sed eadem condidisse; si enim compiegisset idem *essentialiam* meam, hic ordo non esset mihi *essentialis*; et quia ordo meus non absolutus est, sed ordinem pandit atque nexum cum omnibus rebus, quae ego cognovi aut cognoscere possum, cumque omnibus qui fuerunt, sunt aut futuri sunt homines, necesse est Mentem hanc qua ego conditus ordinatusque sim, Eandem plane esse qua ceteri omnes, ceteraque omnia condita fuerint atque ordinata. Haec omnia ego video meis oculis, mea mente, nullo homine docente; eadem nulla unquam gens quamvis barbara negavit.

Porro: ego mente hac mea, qua donatus sum, praeterita atque futura, proxima atque remota complector; tamen experior cotidie me esse finitum; quae me iuvant ad intelligendum plerumque impedimento mihi sunt ne intellegam *simul* et alia, atque semper ingenii mei vires excedunt; quis enim dixerit suo ingenio sese *rerum essentias* undeaque attigisse aut esse complexum? Heu! quibus premor undique

finibus, in ordine temporis ac loci, in ordine physico, psychico, logico, in ordine denique morali; quoties enim volui boni quidquam effundere fratribus, nunquam ferme non inveni qui obsisterent, impie atque haud raro bona in malum verterent; quum autem auxilium petierim ab iis hominibus qui ex officio bonitatem proferentur, fere semper, ne semper dixerim, spe deiectus redii; quum autem iustitiam atque vindictam ordinis ab hominibus efflagitaverim, miserias expertus sum heu! quam multas; nam plerumque potentium vim loco iustitiae vidi imperare, non raro autem ignorantia iuris aut facti laborare iudices, saepius denique desidia aliave laborare imbecillitate; igitur non omnes iusti; et tamen si Ordinator est, si iniustitia est deordinatio, necesse est Ordinatorem non opprimi hominum deordinationibus; mens mea, animus, vita ipsa Vindicem expostulat, quem nihil fugiat, nemo terreat, nihil omnino decipiat.<sup>1</sup>

2. Haec plana vel rudibus sunt; sed quum ego intellectu polleam, compellor eodem ad altiore cognitionem rerum et Dei; id sentio esse et meum ius et meum nobilissimum officium; et sane plerique homines ab hac altiori cognitione multis praepediuntur causis, mihi autem natura facultatem hanc fecit meditandi; ideo non immerito dixi id mihi esse officio etiam erga ceteros homines qui me requirant de his rebus rationem ut antea ipse perscrutator assidua cura.<sup>2</sup> Nihil autem mihi clarus hac veritate: ex nihilo nihil fit; itaque si quid video in me aut extra memet quod fiat, quod mutetur, facile concludo aliquid esse admittendum quod eorum quae fiant sit principium et ratio; age vero omnia in

rerum natura quae video fiunt, ergo necessario est affirmandum Principium quod sit, sed non fiat; quod idem habeat in se plenitudinem sui *esse*, sit aeternum, beatum, indefectibile, absolutissimus omnibus ditatum virtutibus: idque etiam si obicias me falli in aestimandis mutationibus rerum; si enim fallor, ergo sum; si sum et fallor, sum relativus et imperfectus; ergo necesse est sit etiam Absolutus et Perfectissimus;<sup>1</sup> nam relativum non a se sed aliunde habet rationem sui *esse*, expostulatque necessario absolutum,<sup>2</sup> quod sibi sufficit, quia habet in se omnem rationem sui *esse*; unde brevius dicam: Est mundus, ergo est Deus; sum ego, ergo est Deus;<sup>3</sup> est relativum, ergo est et absolutum; est temporaneum, ergo est et aeternum; est imperfectum, ergo est et Perfectio; nihil mihi clarus. Deus autem hic plane distinctus esse debet a me; ego enim mutator, ego relativum; item necesse est plane distinguatur eadem ratione a qualibet re quae est in mundo: omnia enim hec video perpetuo mutari et esse relativa; ideo necesse est plane sit. Idem distinctus ab earum rerum complexione ac summa, quae cum relativis constet ac finitis numeratisque rebus, necesse est sit ipsa relativa ac finita; itaque universitas haec rerum et res quaelibet singillatim Deum expostulat, in Quo suam habeat *essendi* rationem adaequatam; id autem prae ceteris ego expostulo qui omnibus ratione praecello.<sup>4</sup> Altior haec de Deo deque rebus homineque cognitio non iam rudis est, sed

<sup>1</sup> Cfr. S. AUG., *De civitate Dei*, I. XI, c. XXVI.

<sup>2</sup> Ego, ut essem, indigui parentum opera, ut vivam indigeo aere, cibo, potu, vestibus, tecto, societate ceterorum hominum.

<sup>3</sup> Nec convertere possum entymema ut dicerem: est Deus, ergo est mundus: sentio id non posse concludi, quia Deus est absolutus, mundus est relativus.

<sup>4</sup> STURZO, op. cit., § 2.

<sup>1</sup> Cfr. M. STURZO, *La vita in Dio*, § 1.

<sup>2</sup> Monet Apostolus «Dominum autem sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea, quae in vobis est, spe» (I Petr., III, 15).

tamen rudiorem illam confirmat atque perficit.

3. Itaque ad altiora festino: ut enim in luce qua res has collustratas percipio solem cognosco, ita in eisdem Dei lucem late diffusam, et veluti Deum ipsum transeuntem<sup>1</sup> atque operantem agnosco. Age vero, omne agens agit simile sibi, id est ratione sibi consentanea;<sup>2</sup> quamobrem ex effectibus cognoscimus quadantenus causas, ex operibus auctorem. Ita rudiores populi a cognitione hominum et rerum huius mundi quibus primum perculti sunt, Deum esse forma quasi humana opinati sunt, hasque res omnes esse eiusdem veluti emanationes ac particulas.<sup>3</sup> At vero materia est mutabilis, homo est mutabilis, utrumque est relativum, ergo nec Deus erit homo, nec mundus erit emanatio Dei; et tamen tum homo cum mundus universus Deum expostulant a quo suum habeant *esse*, Dei sunt opera, Dei tandem effectus. Qua ratione? quo sensu? Deus est rerum Causa; atqui et ego sum causa huius scripturae, et artifex causa huius mei horologii, et aquae praeruptae causa huius lucis electricae, et sol et aqua pluvia causa vitae vegetativae; omnes causae, non tamen omnes eadem ratione; etenim aqua et radii solis physice tantum; horologii autem institor dupliciter, nam materiam tractavit, expolivit, aptavit, rotulasque or-

<sup>1</sup> «Deum nemo vidit unquam» (I Io. IV,12); nihilominus «quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit. Invisibilis enim ipsis, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta consipiuntur sempiterna quoque eius virtus et divinitas» (Rom., I, 19-20).

<sup>2</sup> Ita causa physica physice agit, moralis moraliter, compellit ictus, compellit consilium, at modo plane diverso.

<sup>3</sup> Quamquam Hebraei, vetustissimi quoque, ab anthropomorphismo et ab emanatismo fuerint immunes; id autem beneficio Revelationis; quo non negaverim functos fuisse quadantenus, quamvis indirecte, et Hebraeorum finitimos.

*dinavit* in hunc finem ut horas indicarent; non manus tantum artificis, sed cumprimitis eiusdem mens egit in efficiendo horologio; vivit in hoc Mens ipsa artificis; artifex non modo fecisse sed creasse *quadantenus* dicitur; Mens mea non modo operatur, non modo mutat quod invenit, sed *veluti* creat, scilicet materiei *veluti* transfundit seipsam, ut logice *quadantenus* agat. *Veluti*, dixi, *quadantenus*, nam revera nihil ego crearem nisi aliquid haberem, nisi res haberem ita ordinatas ut menti meae responderent; creare in me nihil aliud est nisi revelare vim legesque rerum intimas easque adhibere ad meae mentis intuitiones. Mens! mens mea, mens hominis ecquidem prope divina! quae movet has machinas, quae novas creat machinas, novas rationes, artis opera nova; creat tamen non absolute sed relative; aptando quae iam sint; creat quadantenus, et vivit in suis operibus. Quo modo vivit? num in hoc horologio vivit artifex qui iam forte obiit? Vivit quadantenus, non physice sed logice; ideo idem creavit non physice sed logice tantum, quia mens artificis, mens mea, mens quaelibet quum creat non physice sese operi suae communicat, sed logice, eatenus quatenus elementa operis attingit; si physice sese eidem communicaret, non efficaret opus, sed *generaret* alium similem consubstantiale sibi. Neque mens transit ab artifice ad opus; mens, qua actus cogitans non est nisi in cogitante, licet agat et exterioris; ponit in rebus vestigia sui, non tamen seipsam. Age vero, omnia quae sunt in rerum natura, eadem a Deo, id est a Mente Divina, repetunt non *modum* tantum quo sint, sed ipsam rationem intimam generis ipsis sui, ipsum *esse*; itaque Mens illa Divina attingit res non extrinsecus tantum, sed intrinsecus; *dat ipsum esse*: id est revera *creare*; quamobrem Deus revera creavit et creat, ego, homo,

creo *quadantenus* tantum et nonnisi *analogice*; Deus creat ontologice, ego tantum logice; sed Mens haec mea me dicit necessario ad Mentem Dei; haec mea creatio, quamvis imperfecta, me propellit ad agnoscendam procreaticem Dei veram actionem; non quidem plene, sed analogice, a rebus creatis memet ad Creatorem elevans, prout mihi fas est; causa et ratio harum rerum efficiens me dicit ad Causam plenam, unamque veri nominis quam Deum appello, agnosco, miror, adoro atque invoco: *Causa causarum, miserere mei!*

SYLVIA ROMANI.

## DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

### De coniunctionibus.

#### I. - *De quibusdam coniunctionibus eleganter omittendis.*

Latini coniunctiones raro omittunt; iuxtapositioni, ut dicimus, coordinationem anteponunt; coordinationi subordinacionem.

Coniunctionem omittere solent

1<sup>o</sup>) in oppositionibus, ubi diversitatem inter duo enitere volunt; <sup>2</sup> v. g.:

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> a) Haec opposita possunt esse non solum sententiae, sed etiam vocabula; v. g.: *Velim nolim, maxima minima, prima postrema, ire redire, minus minus, ultro citro, etc.*

b) Coniunctio imprimis omittitur, quum alterum oppositum negatione «non» incipit; v. g.: *Commorandi, natura diversorum nobis, non habitandi locum dedit* (Cic., *De Sen.*, 23, 84). - Quasi de verbo, *non* de re laboreatur (Cic., *Tusc.*, II, 12, 29). - Tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, *non* opprimantur (Cic.).

NB. - 1) Quum alterutrum oppositum est negativum, saepe repetunt verbum; v. g.: Ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non

Crassus erat elegantium parcissimus, Scaevola parcorum elegantissimus (Cic., *Brutus*, 40).

Opinionis commenta delet dies, naturae iudicia confirmat (Cic., *De Nat. deor.*, II, 2, 5).

Contempsisti L. Murenae genus, extuliisti tuum (Cic., *Pro Mur.*, 7, 15).

Sublata benevolentia, amicitiae nomen tollitur, propinquitatis manet (Cic., *De Am.*, 5, 19).

2<sup>o</sup>) in enumerationibus<sup>1</sup> ac descriptionibus pressis et vividis; v. g.:

*potest* (Cic., *De Am.*, 5, 19). - Dicere fortasse quae sentias non licet, tacere plane licet (Cic., *Ep.*, 4, 9, 2). - In his inerat admirabilis orationis cursus, ornata sententiarum concinnitas non erat (Cic., *Brut.*, 95, 325).

Aut verbum eiusdem sensus usurpat; v. g.: Non iam *metuo* ne tu illi succenseas, illud *vereor*, ne tibi illum succensere aliquid suspicere (Cic., *Deiot.*, 13, 35).

Quum duplex adest interrogatio, Cicero post «nece» verbum repetere solet, quoties alterum interrogationis membrum eluecat oportet; v. g.: *Quaeritur sintne di, nece sint* (Cic., *De Nat. deor.*, I, 22, 61). - Hoc doce, *doleam necne doleam* nihil interesse (Cic., *Tusc.*, II, 12, 29).

2<sup>o</sup>) Ponitur tamen «et (ac) non», quum prius membrum non tam negatur a posteriore, quam corrigitur, negata quapiam posterioris voce, et intelligi potest «potius»; v. g.: Videris mihi aliud quidpiam, *et non id quod suscepisti* disputasse (Cic., *De Or.*, 3, 16). - Si quam iniuriam suo nomine, *ac non impulsu* suo fecisset (Cic., *Verr.*, I, 31).

a) Plerumque etiam omittunt «et» ante voces «ceteri, ali, reliqui, multi» quas enumerationibus non raro addunt; v. g.: Honores, divitiae, voluptates, *cetera* generis eiusdem (Cic., *De Off.*, III, 10, 43). - Sint sane ista bona quae putantur, honores, divitiae, voluptates, *cetera* (Cic., *Tusc.*, IV, 31, 66).

b) Si plura iunguntur vocabula, potest ultimo adiici «que»; v. g.: Qui ob ea summa fide, constantia, iustitiaque servatam maximam gloriam ceperit (Cic., *De Am.*, 7). - Curam, consilium, vigiliamque praestabo (Cic., *Phil.*, VII, 2). - Magnifice, graviter antimoseque (Cic., *De Off.*, I, 26, 92).

NB. - Haec coniunctio aut *ac*, *atque* (raro *et*) saepe indicat duas ultimas notiones quadam cogn-

Inertis, ignavae, somniculosae senectus (Cic., *De Sen.*, 11, 36).

Composite, ornate, copiose loqui (Cic., *De Or.*, I, 11, 48).

Suavitatem Isocrates, subtilitatem Lyrias, acumen Hyperides, sonum Aeschines, vim Demosthenes habuit (Cic., *De Orat.*, III, 7, 28).

Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus succurrere, integratos pro sauciis arcessere, omnia providere, multum ipse pugnare, saepe hostem ferire (SALL., *Cat.*, 60, 4).

3<sup>o</sup>) in gradationibus; v. g.:

Quid? Fortes viri voluptatumine calculis subductis praelium ineunt, sanguinem pro patria profundunt? (Cic., *Fin.*, II, 19, 60).

Ex cupiditatibus odia, discidia, discordiae, seditiones, bella nascuntur (Cic., *Fin.*, I, 13, 44).

Abiit, excessit, evasit, erupit (Cic., *Cat.*, II, 1, 1).

4<sup>o</sup>) in fixis quibusdam locutionibus;<sup>1</sup> v. g.: Iupiter optimus maximus - Volens propitius - Velitis iubeatis - Forte temere - Forte fortuna - Aequi boni facio.

5<sup>o</sup>) initio brevioris sententiae quae praecedentis causam aut effectum aut explicationem exprimit;<sup>2</sup> v. g.:

tione iungi; v. g.: *Aegritudines, irae, libidinesque* (Cic., *Tusc.*, I, 33, 80). - Poëtae audiuntur, leguntur, ediscuntur et inhaerescunt penitus in mentibus (Cic., *Tusc.*, III, 2, 3).

c) Si tres iunguntur notiones aut sententiae, potest coniunctio bis usurpari; v. g.: Compositam orationem et ornatam et artificio quidam distinctam (Cic., *De orat.*, I, 12, 50).

<sup>1</sup> Sic dicendum est: *L. Pisone (et) A. Gabinio consulibus* (T. L. I, 46, 1). - At, si magistratus cognomine tantum designentur, coniunctio exprimitur; v. g.: *Lepido et Tullo consulibus* (Cic., *Cat.*, I, 6, 15).

<sup>2</sup> a) Post propositionem imperativam, propositione posterior quae prioris effectum exprimit, apud Tullium, aut nullam in fronte coniunctionem admittit, aut *iam vel rum*, nunquam *et*; v. g.: Re-

Talibus viris non labor insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus: *virtus omnia domuerat* (causa) (SALL., *Cat.*, 7, 5).

Cogitasti, si ei reddidisses, te minus habiturum, rem nihil minus testamat futuram: *non reddidisti* (effectus) (Cic., *Verr.*, II, 4, 12, 29).

Supplicium in parricidas singulare ex cogitaverunt: insui (enim) voluerunt in culleum vivos (explicatio) (Cic., *Pro Rosc. Am.*, 25, 70).

II. - Post comparativos *plus, minus, amplius* non raro supprimunt coniunctio *quam*, manente eodem casu ac si adasset; v. g.:

Eo die milites sunt paulo *minus* (quam) *septingenti* desiderati (CAES., *De Bel. gal.*, VII, 51).

*Decem* haud *amplius* dierum frumentum in horreis fuit (TAC., *Hist.* IV, 52).

*Plus quingentos colaphos* infregit mihi (TER., *Ad.*, II, 1, 46).

*Sexdecim* non *amplius* eo anno *legionibus* defensum imperium est (T. L., XXX, 27).

III. - Initio sententiae omittuntur nonnunquam coniunctiones *si, etsi, ... etc....* et propositio subiecta in non subiectam, praesertim interrogativam, migrat; v. g.:

(Si) Furem aliquem aut rapacem accusaris? Vitanda tibi semper erit omnis avaritiae suspicio (Cic., *Verr.*, II, 3, 2, 4).

cordare de ceteris: intelliges iudicium meum et horum par atque unum fuisse (Cic., *Sall.*, 2, 5). - Haec reputent isti: videbunt... (Cic., *Tusc.*, I, 22, 51). - Recognosce tandem mecum noctem illam superiorem: *iam* intelliges (Cic., *Cat.*, I, 4, 4).

b) Sic saepe reticent *nam* et *enim* - Quas coniunctiones praeterea omittunt ante novam amplificationem, quae nihil est nisi praecedentis amplificationis explicatio; v. g.: Ut pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam quae ab honestis actionibus non sit aliena; sic in ipso ioco aliquod probi ingenii lumen eluceat. Duplex (enim) est omnino iocandi genus (Cic., *De Off.*, I, 29, 104).

(Si) Casus medicus levarit aegrum ex praecipi? Mater delira necabit (HOR., *Sat.*, II, 3, v. 292).

Malus civis Cn. Carbo fuit. (Etsi) Fuerit aliis: quando tibi esse coepit? (Cic., *Verr.*, I, 14, 37).

IV. - In duplice interrogatione indirecta cuius alterum membrum alteri membro vividius opponitur, priori membro nullam particulam, posteriori «an»<sup>1</sup> praeponimus; v. g.:

Quaero (utrum) verum an falsum sit.

Nihil interest dactylus sit extremus *an* creticus, quia postrema syllaba brevis *an* longa sit, ne in versu quidem refert (Cic., *Orat.*, 64, 217).

V. - Coniunctiones sic dictas «subordinantes» quae plures propositiones eiusdem generis regunt, Tullius solet semel tantum exprimere; v. g.:

Sed *quoniam* primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis, secundus *autem* multo lenior, tertius annus ita debet esse emendatus... (Cic., *Ad Quint.*, I, 1).

(*Ad proximum numerum*).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

<sup>1</sup> a) Potest ne pro *an* ponit: Albus aterne fuerit ignoras (Cic., *Phil.*, II, 16, 41).

b) Interdum Tullius vel utramque particulam supprimit; v. g.: Homo quid ageret, taceret (= taceretne) (*an*) responderet, quid faceret denique illa aetate et auctoritate praeditus nesciebat (Cic., *Verr.*, II, 3, 25, 62).

*Debet quisque proprias virtutes perpendere, et pro qualitate virtum curam aliorum suscipere, ne dum delectatur, loco gloriae fiat aliis auctor ruinae, et qui gravatur pondere suarum, velit fieri iudex alienarum calparum. Durum enim est, ut qui nescit tenere moderamina vitae sua, iudex fiat alienae.*

S. GREGORIUS.

## JOSEPHUS BENEDICTUS COTTOLENGO<sup>1</sup>

Beatissime Pater,

Vir vere magnus pro quo dicturi sumus, cuius memoria – ut sacrae litterae loquuntur – perpetuo in benedictione erit, natus est in urbe Braida a. d. v Idus maias anno MDCCLXXXVI a Iosepho Antonio Cottolengo et Benedicta Claretti optime moratis coniugibus, eique ad sacram fontem imposita sunt nomina Joseph Benedictus.

Infantulus e matris sinu et complexu piae loquelae semina hauriens, Iesu et Mariae nomina quae celeriter arripuerat, crebro interdui usurpabat. Adolescentulus, a ludis eius aetatis alienus, aequales in atrium ad mariale rosarium secum recitandum convocare vesperi consueverat: eamdem vero precationem sub noctem iterare domi, accitis parentibus, consanguineis, vicinis. A prima aetatula acceptos nummos aut frusta esculenta pauperibus donabat: quum autem coepit litterarum celebrare ludum, si qui inter viam mendici occurrisse, si qui condiscipuli pane carerent, cum iis et panem et obsonium, sibi ad ientandum a parentibus datum, sua sponte partiebatur. Nondum ex pueris egressus, olim, quum domi esset tacitus

<sup>1</sup> Die xix huius mensis martii MCMXXXIV, Pius Pp. XI sollemni ritu Sanctorum ordinibus addicebat Iosephum Benedictum Cottolengo, eum nempe virum, a quo mirabile illud christiana caritatis monumentum Augustae Taurinorum positum est, quod unicum per orbem universum perstat adhuc et in dies crescit. Cuius commemorationem non melius agere nos posse arbitrati sumus, quam clarissimi viri Augusti Milani, Advocatorum Sacrae Consistorialis Aulae Decani, *perorationem* vulgando, apud Summum Pontificem in S. Consistorio d. V huius mens. martii habitam nobisque ultro traditam; de quo peculiari erga nos novo favore amplissimas gratias auctori referimus.

atque in cogitatione defixus cubiculum quoddam baculo ultiro citroque dimetebatur. Tam nova in re deprehensus quaerenti matri cur ita ageret, respondit, nosse se velle quot lectulos eiusmodi cubiculum in egenorum usum continere posset: propositum sibi esse, quum in aetatem venisset, nosocomium in ea domo instituere. Qua profecto re portendere satis perspicue visus est quid esset aliquando instinctu afflatuque divino facturus.

Ecclesiasticae vitae initatus, sacram theologiam addiscere aggressus est, duce ac magistro Sacerdote quodam, qui ex Taurinensi Archigymnasio Braidam se recepit post Gallicarum copiarum in regionem Cisalpinam incursum.

Sacerdotio auctus, quum domi forisque aliquandiu ministerium sacrum sedulo studioseque exercuisset, Curionis sui consilio Augustam Taurinorum petiit: ibique sacerdotalem virtutum laudem cum doctrinae progressibus tam praecclare coniunxit, ut pietate, morum innocentia et impigritate ceteris admirationi esset, et, facto publice periculo, doctor in theologicis disciplinis ingenti cum plausu fuerit renuntiatus.

Interea anxi sollicitoque quum haeret animo quidnam sibi foret agendum ut divinae obsequeretur voluntati, Rector Taurinensis Congregationis a Christi corpore nuncupatae librum ei praebuit legendum de vita S. Vincentii a Paulo. Haec lectio tanto Cottolengum incidit desiderio Vincentianae Caritatis imitandae, ut perspicue intellexerit, quemadmodum Vincentius fuit Lutetiae Parisiorum, sic fieri se oportere Augustae Taurinorum magnum pauperum patrem aegrotorumque omnis generis consolatorem. Quapropter nihil cunctandum ratus ut viam sibi divinitus patefactam iniret, prope eamdein Corporis Christi aedem cubicula duo conductit, ibique quattuor aegrotos omnire auxilioque destitutos exceptit: quum

vero continentis alias cellas sibi locari curasset, senes iuvenesque ex utroque sexu vel infirmos vel inopes ibidem collacavit.

Quod hospitium post paulo sublatum civilis magistratus Decreto, querelis precibusque prope habitantium et indicam luem tunc grassantem pertimescentium obtento, haberi debet tamquam initium illius Domus nomine *parvae*, re *magnae*, quam Dei famulus extra Urbis moenia, Beata Virgine a Consolatione quasi viam et locum monstrante, fundavit.


Coepit opus ita in dies crescebat, ut novas domos antiquioribus adiungi oportet, quas omnes claustrum circumscriptas in unum paene oppidum coaluisse dicendum est.

Quas autem Dei famulus habita ratione sexus, aetatis, valetudinis, varii vitae instiuti singulares descripsit familias, iis omnibus fuit sua cuique Domus et platea Dei nomine, vel Beatae Virginis vel Sanctorum nuncupata. Familia iuvenum, secum, paralyticorum ex utroque sexu ab initio inductis accessere adulti, muti, comitiali morbo laborantes, monstra, corporis vel animi vitio obnoxia.

Huic velut civitati a venerabili Dei servo nomen impositum est: «*Parva Domus a Divina Providentia sub auspiciis S. Vincentii a Paulo*». Ostio tamquam insigne lignea superstat tabula his verbis inscripta: *Charitas Christi urget nos*.

Sic autem Joseph Benedictus eam et concepit animo et ordinavit, ut, in tanta Institutorum varietate, ea vere videretur a Deo condita domus excipiendis tum iis qui egeni vel aegroti ope quoquo pacto indigerent, tum iis qui alia vel alia via ad religiosam perfectionem contenderent.

Quibus omnibus animadversis, affirmari licet quemadmodum initio sic ad hunc diem nunquam prodigia in *Parva Domo* defecisse, utpote in qua novem fere millia hominum, nullis redditibus, stipe



sponte oblata alantur atque ad aeternam salutem adiuventur.

Praeclarum famuli sui fidem Deus perpetuo, ut ita dicamus, miraculo remuneratus est: nihilominus Ioseph Benedictus maxima animi demissione praesertim in prosperis rebus, fortitudine in adversis enituit: et si quando Deus auxilia retardando eius fidem et patientiam probare voluit, vel eum et Parvae Domus familias Diabolus exagitabat, constantem animum meritis locupletavit et adversarii astus delusit impetusque depulit.

Itaque Vir Dei diu multumque precibus vacare, saepe extra sensus vel in aëra raptus: corpus fatigare vigiliis, excruciare ciliciis et omne genus castigationibus: pauperes quoslibet, quantumvis ulceribus putidos, pediculis sordidos, adspectuque foedos atque abnormes adeo venerari, ut eos detecto capite exciperet deliciasque suas appellaret; aegrotos in oculis sic ferre, ut investigaret ipsem num vigiles essent excubiae et quavis hora ad eorum lectulos properaret: noctem saepe pervigilare totam, diem summis laboribus tere ut Parvae Domus incrementa provehernet. Beatam Virginem eā colere veneratione, tam ardenti prosequi studio, ut dignus habitus sit cui haud semel Eadem Virgo Magnae Matronae specie conspiendam se dederit. Denique iamdiu cipiens dissolvi et esse cum Christo non in Parvae domo, sed, ut ipse maluerat, Cherii apud germanum fratrem vita functus est sanctissima, pridie kal. maias anno MDCCXLII, aetatis suaee sexto et quinquagesimo.

Scilicet qui ita uni Deo adhaerebat, ut animum gereret ab omni humanarum rerum amore solutum, cogitavit perpenditque se non satis inopem et solum in Parvae domo moriturum fuisse, ubi tantopere diligebatur: visus est praeterea non verbis sed re ipsa profiteri voluisse Parvam Domum unice Dei opus habendum esse.

Sanctitatis fama post eius obitum latius in dies percrebente, de caelum honoriis Cottolengo tribuendis apud Sacrum Consilium tuendis ritibus causa instituta est, absolutisque iis omnibus quae in huiusmodi iudicio erant necessario pertractanda, probatis primum virtutibus, deinde miraculis, Iosepho Benedicto Cottolengo a clarae memoriae Benedicto XV Beatificationis honores die octava mens. aprilis MCMXVII, late adhuc flagrante terrimo bello, collati sunt.

Nuper quum nova prodigia ad Beati Cottolengo intercessionem a Deo patrata praedicarentur, apostolicis inquisitionibus primum Augustae Taurinorum habitis, dein ad iuris tramites sanationibus miraculo tribuendis in consuetâ triplici iudicii sede late discussis, Sanctitas vestra Decreto a. d. XII kal. martias currentis anni edidit: «constare de duobus miraculis a Deo per intercessionem beati Iosephi Benedicti Cottolengo patratis, nempe de instantaneâ, perfectâque sanatione tum sororis Beniamino Stradiotto a gravi mastoidite ab otite, tum Margaritae Massimino Bocca ab incurabili fistula cisto-clopica: et insequentि decreto diei XXIV mensis proxime elapsi *tuto* procedi posse ad Cottolenghi nostri canonizationem sancivit.

Quae quum ita sint, supremus altarium honor, beatissime Pater, quem pro Cottolengo flagitamus non solum accidet gratissimus Pedemontanis Episcopis totique nobilissimae subalpinae regioni, imprimisque Parvae Domui, providentissimi Dei perpetuo miraculo, sed, quod caput est et magis interest, edocebit homines inventorum progressionibus plus aequo elatos, amorem Dei ac proximi eā inter se necessitudine coniungi, ut, altero sublato, alter simul concidat necesse sit: amore autem proximi, quem graeco vocabulo *φιλανθρωπίαν* vocant, etsi miserorum necessitatibus aliquantulum prospicitur, ea tamen negligi principia animique adiu-

menta, quibus facilior et vel grata efficitur earum tolerantia aerumnarum, quae communi hominum conditioni sunt insitae.

Quapropter ad Sanctitatis Tuae pedes prostrati etiam atque etiam rogamus ut Iosephum Benedictum Cottolengo sanctorum fastis, beatissime Pater, quamprimum adscribi iubeas.

AUGUSTUS MILANI  
Sacri Consistorii Advocatorum  
Decanus.

## IN IOANNEM BOSCO<sup>1</sup>

*Nunc pium servum Domini Ioannem  
Atque praeciarum Fidei Magistrum,  
Multus qui fovit face Charitatis,  
Ore canamus:*

*Multiplex Illi variusque sensus,  
Cor fuit, caelum veluti serenum,  
Christus in quo Sol micuit benignus  
Lunaque Virgo.*

*Ecce de parvo pecoris magistro  
Ille fit sancti gregis Administer,  
Atque custodit vigilans capellas  
Laeta per arva.*

*Vidit in somnis recubans futura:  
Bestias multas, dociles in agnos  
Protinus versas, quibus est Maria  
Inclita Custos.*

*En amans magnus Pater orphanorum  
Ardet: errantes pueros in urbe  
Quaerit, et cunctos vocat angiportis  
Usque relictos:*

*Stringit ad pectus miseros foveque,  
Et docet leges pietatis illos,  
Ac viam blandus per amoena ludi  
Sternit ad astra.*

<sup>1</sup> Proximis kal. aprilibus et Ioannes Bosco in Sanctorum numerum a Pio PP. XI referetur. Ad tantum virum celebrandum Auctor clarissimus carmen hoc scripsit, quod pro sua humanitate, de qua debitas gratias reddimus, nobis tradidit edendum.

*At palaestras iam bene litteratas  
Condit, et fabris parat officinas,  
Edit et sacros sapiens libellos,  
Ac colit agros.*

*Candidum tanquam latitans rubetis  
Lilium crescit, redoletque Christum,  
Iamque virtutum virides recessus  
Mulcet odore.*

*Ponit Augustae pius Ille templum,  
Unde vis aegrif oritur salusque,  
Aedibus sacris vigiles Sorores  
Addit et artes.*

*Ecce per sudum vario colore  
Iam micant orbes, referunt et Irim,  
Plaudit e caelis operi Ioannis  
Christus amicus.*

*En Sacerdotes reserare doctos  
Ianuam Caeli Comitesque multos  
Advocat: gaudet documenta Divi  
Spargere Verbi.*

*Mittit in terras socios remotas,  
Qui ferunt fruges operum piorum,  
Ac levant aegros animos, recluso  
Fonte salutis.*

*Quanta nunc tatum legio per orbem  
Tendit ad Christum populos referre!  
Quanta nunc florum seges! utque rident  
Poma per agros!*

*Adiutrix Perpes vigilat Maria:  
Sanctitas morum nitet, et remotis  
Charitas terris operosa fervet,  
Ac beat omnes:*

*Ut volat verbum per inane vectum  
Aetheris fluctu, pia Charitatis  
Profluit sic Vis rapido volatu,  
Corde micante.*

*Perge de Caelis, Pater alme, prolem  
Hanc tuam vultu placido tueri,  
Tuque fac nobis pateat Supremi  
Gratia Regis.*

*Laus sit excelsae Triadi, Ioannem  
Quae pium nobis dedit et potentem,  
Cuius oratu mereamur astra  
Scandere Caeli.*

Radicena in Bruttis, mense martio MCMXXXIV.

FRANCISCUS SOFIA ALESSIO.

**SAPIENTUM PERVESTIGATIONES  
A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE  
LATINE VULGATAE**

**NOTITIAE.**

**DE ALTISSIMIS TENSIONIBUS ELECTRICIS.**

In officina technologica apud Massachusetts, ubi in athomorum disaggregationem inquisitiones peraguntur, dr. Van de Graff generatorem electrostaticum construxit, aptum ad tensionem electricam usque ad decem millia millium voltarum excitandam.

Tensio haec immittitur in sphaeras ex aluminio confectas, cuius diametru斯 quatuor metra cum dimidio attingit, super columnis insulantibus positas.

Sphaerae cavae sunt et in illa quae negativa electricitate pollet, notationum instrumenta collocantur; Observator ipse eam ingreditur, nam interius tensio electrica non manifestatur.

Tibia vero connectens sphaeras, tensionem dicit ad scintillam excitandam, quae athomorum disaggregationem producat.

Etiam in Gallia ad Ivry prope Parisios, in officina ad ceramicam condendam, exstant nunc transformatores ex quibus per series condensatorum educitur tensio electrica usque ad tria millia millium voltarum.

Longitudo scintillae, quae hic habetur, est quatuor metrorum.

**DE INVESTIGATIONIBUS CIRCA PROPAGATIONEM UNDARUM ELECTRICARUM IN ZONA POLARI.**

In primo conventu Regiae Institutionis Anglicae, die 27 mensis octobris superioris anni habito, Appleton doctor retulit quae anglica expeditio ad inquirendum de

undarum electricarum propagatione in zona artica colligere potuit.

Duplex expeditionis finis; invenire nempe causam cur undae prohibeantur saepe zonam articam transfretare, et qui essent influxus radiationis solaris in ionizationem stratum atmosphericorum. Feli- cies successere exitus.

Quo ad primum, spectat, diagrammata et photographicae picturae clare demonstrant frequentes polares tempestates ita atmosphericam ionizare, ut undae quaelibet electricae absorbeantur.

De actione solis videtur, praecipue saltem, ea fieri per radios ultraviolaceos.

Intensitas huiusmodi ionizationis, tempestate absente, minor fuit quam quae in Anglia fit, quod bene respondet altiori latitudini; nam solares radii iuxta polum magis inclinantur, et proinde minor est virtus eorum.

**DE STATU ELECTRICO IN FLORIBUS.**

Dominus M. Aggradi Taurinensis refert conclusiones quae deduci possunt ex inquisitionibus experimentis fultis ab ipso institutis in flores per rationem electricam, quae in hoc consistit: electrodos alicuius circuiti instrumenta ad mensuras electricas includentes immittere in substantias textiles floris, et quantitates tensionis et currentis forte existentium deducere.

Precipuae conclusiones ad haec resumti possunt;

1) in floribus omnibus semper ad- sunt tensiones et fluxus electrici;

2) quantitates electricae variae sunt pro diversis floribus partibus;

3) eadem textilis substantia fit ali quando polus negativus, vel positivus, iuxta naturam partis quacum coniungitur;

4) tum in floribus, tum etiam in fructibus, vis electromotoria intensior vel debilior erit iuxta statum conservationis et maturationis, et cum tempore decrescit si e plantis ea abscissa sunt.

**DE « ELECTRIZATIONE » PLUVIAE.**

Dum pluviae guttae aërem pertrans- eunt in suo descensu, iones qui in ipso aëre inveniuntur facile adhaerent sphæ- rulis aquae, ut bene praevideri potest.

Sed quum generatim numerus ionorum unius signi idem sit ac numerus alterius signi, nulla esset inde praevienda electricificatio in guttulis.

Doctor C. I. R. Wilson tamen, in rem acutius inquirens, asseruit probabilius plu- viam ditari electricitate ionorum qui sur- sum ascendunt, quia isti in occursum veniunt, dum iones descendentes diffici- lius guttulas pertingere possunt.

Res experimentis subiecta est, quorum recens I. P. Goth exitus retulit in con- ventu Regiae Societatis Londini, Wilsoni prævisionem confirmantes.

**COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>**

**III.**

**Arma scholastica.**

MICHAEL, AMBROSIUS.

MICHAEL. - Scholam petentibus nobis in dies singulos, ac pene incolentibus, quum instrumenta, ut aliis cuiusvis generis artifi- cibus, sua necessaria sint, illorumque appellations quaedam mihi exciderint, obsecro, quod sine molestia tua fiat, redige illas in memoriam meam, et veluti sub unum adspectum subiice universa.

AMBROSIUS. - Forsitan non subibunt animo omnia, quamquam adeo multa non sunt. Verum si quid nesciero, ait Plautinus Pseudotyndarus, id nescium tradam tibi.

MICH. - Non vertam vitio aut non re- cordari, aut nescire te quod ipsem vel nesciam vel non meminerim in praesentia.

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis*. — Passim retractavit hodie- nisque moribus aptavit I. F.

AMBR. - Interroges licet, quo com- modius accipias quae cupis.

MICH. - Sic agam, et ad duo capita, quo distinctius res agatur, argumentum totum revocabo.

AMBR. - Ad quae?

MICH. - Discipuli aut legunt aut scri- bunt; quocirca duorum generum instru- mentis indigent; unis quae ad lectionem ipsius inserviant, alteris quae ad scriptio- nem Videorne opportune distribuisse?

AMBR. - Et valde quidem.

MICH. - Enumera iam quae referuntur ad primum genus.

AMBR. - Liber, libellus, quo spectant pagina, pagella, margo seu ora libri, involu- crum seu operculum quo vestiuntur libri, ut ab iniuria vetustatis et pulverum conserventur. Huc filum, acum, quorum apud nos non infrequens est usus, ad folia connectenda, referre potes. Eodem pertinet pluteus.

MICH. - Quid est pluteus?

AMBR. - Pluteorum alias dicitur arma- riūm sive repositorium librorum, qui etiam in forulis reponuntur. Alius est tabula, seu scrinium, quod sibi sribentes subiiciunt: barbaris pulpum.

MICH. - Habeo ista; procede ad cetera.

AMBR. - Restant nomina secundi ordinis.

MICH. - Quaenam illa?

AMBR. - Charta, sive papyrus. Iam char- tarum alia vocatur Augusta, tenuis nempe et candida, ad epistolas accommodata: appellata sic est ab Augusto. Alia dentata; alia bibula, quae transmittit litteras; alia Claudiiana, seu Claudia, regia, imperialis, ampio folio et crassa; alia Liviana, secundae notae et bonitatis; alia emporica, seu em- poretica, mercibus involvendis idonea;

alia charta virgo, ex qua nullum est descriptum exemplar; alia pura, in qua nihil est litterarum; alia pergamen, quo- niā apud Pergamum, Asiae urbem, in- venta sit: etiam membrana dicitur. — Atramentum scriptorium sive librarium.

MICH. - Cur addidisti scriptorum sive librarium?

AMBR. - Quod aliud est atramentum fuligineum, quo utuntur typographi, aliud sutorium; quamquam consuetudo, quae est verborum domina, nihil solet adiicere. - Atramentarium. - Calamus absolute, seu calamus scriptorius, cui nunc addicitur pinnula chalybea, seu aurea, aut saltem inaurata...

MICH. - Praesertim quum de recentibus calamis agatur, qui atramentarii simul officio funguntur. Quo nomine eos appellaveris?

AMBR. - « Stylographium » dicere haud dubitaverim, ex nomine vulgo rei indito.

MICH. - Placet quidem. Sed procede ad ulteriora.

AMBR. - Cultellum, seu scalprum librarium; theca calamaria seu graphiaria; theca sive pixis pulveraria aut arenaria.

MICH. - Annon putas aliis quibusdam armis nos indigere?

AMBR. - Immo, sed praecipua recensui. Sunt ergo insuper forcipes, horologium, regula, circinus aeneus, et nonnunquam, praesertim in aestate, quum sirius ardor findit agros, et versiculi componuntur, ... moderatus generosi vini haustus.

MICH. - Optatissimum vero instrumentum; nominasses hoc primo loco!...

## ROMA SACRA

### Ex Suprema S. Congregatione S. Officii.

Per decreta diei VII mensis februarii MCMXXXIV damnata atque in Indicem librorum prohibitorum inserta sunt opera quae sequuntur:

ALFRED ROSENBERG, *Der Mythus des 20 Jahrhunderts.*

Liber omnia Ecclesiae catholicae dogmata, - ait decretum - imo et ipsius religionis

christianae fundamenta spernit ac penitus reicit; necessitatem propugnat novam religionem seu ecclesiam germanicam instituendi et principium enuntiat « novam hodie exurgere mythicam fidem; fidem mythicam sanguinis; fidem, qua creditur etiam divinam hominis naturam sanguine posse defendi; fidem scientia clarissima suffultam, qua statuitur septentrionalem sanguinem illud repraesentare mysterium, quo antiqua Sacra menta suffecta sunt ac superata ».

ERNST BERGMANN, *Die deutsche Nationalkirche.*

« Auctor religionem christianam, factum revelationis, necessitatem Redemptionis per Iesum Christum Crucifixum et gratiae divinae denegat; religionem vero christianam et speciatim catholicam tantummodo creationem culturae semiticae et romanae, ideoque indoli germanicae oppositam esse affirmat. Insuper asserit Auctor Vetus Testamentum iuuentuti germanicae esse periculo morali, conceptum charitatis christiana degenerationem populorum secumferre, utpote quae infirmorum ac physice debilium curam gerit simulque proli generationem ipsis permittit; sanguinem et genus, vulgo *Rasse*, exhibet ac propugnat tanquam unicum elementum progressus culturalis; novam religionem instituendam censem, fidei in Deum personalem substituendo atheismum purum seu pantheismum. Auctor praeterea exaggeratum et omnino radicalem nationalismum defendit, doctrinae necnon culturae christianaे prorsus contrarium ».

Per decretum autem insequenti die VIII d., damnatum et proscriptum est opus, cui titulus:

FRIEDRICH SCHMIDTKE, *Die Einwanderung Israels in Kanaan* (Breslau, 1933).

De opere hoc, quum quaesitum prius fuerit a Pontifica Commissione de Re Biblica quid esset sentendum, ipsa respondit, et SS. die XXVII mensis februarii MCMXXXIV confirmavit:

« R. D. Fridericus Schmidtke, Professor extraordinarius Veteris Testamenti in Facultate Theologica Universitatis Vratislavensis, in volumine de quo supra:

de Pentatecho disserens, placita criti-

cae rationalistiae sequitur, neglecto plane decreto Pontificiae Commissionis Biblicae d. d. 27 Junii 1906;

insuper, in historia Veteris Testamenti, nulla ratione habita decreti eiusdem Pontificiae Commissionis Biblicae d. d. 23 junii an. 1905, genus quoddam litterarum adstruit traditionum popularium falsa veris admixta referentium; contra perspicua Sacrorum Librorum testimonia asserit, inter alia, narrationes de Patriarchis, saltem magna ex parte, historiam non hominum singularium, sed tribuum exhibere; Iacob non esse filium Isaac, sed repraesentare tribum quamdam aramaicam; nec totam israeliticam gentem, sed partem tantum, maxime tribum Joseph, Aegyptum ingressam esse;

item, miracula plura Veteris Testimenti, vim textui sacro inferens, ut facta mere naturalia explicat.

Auctor proinde dogma inspirationis et inerrantiae biblicae, implicite saitem, negat; normas hermeneuticae catholicae penitus negligit; doctrinae catholicae Litteris Encyclicis « Providentissimus Deus » Leonis XIII et « Spiritus Paraclitus » Benedicti XV clarissime propositae contradicit.

Quapropter praefatum opus omnimodam reprobationem meretur et a scholis catholicis arceri debet ».

Hanc autem occasionem nacta, eadem Pontificalia Commissione interpretes catholicos commonefacit ut, reverentia, qua par est, pareant Constitutioni dogmaticae Concilii Vaticani, Decretum sacrosanctae Tridentinae Synodi renovanti, qua solemniter sanctum est, « ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christiana pertinientium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cuius est indicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctorum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari ».

Praeterea in mentem omnium Christifidelium revocat quae de decretorum Pontificiae Commissionis Biblicae auctoritate Pius X s. m., Motu Proprio « Praestantia Scripturae Sacrae », d. d. 18 novembris a. 1907, edixit:

« universos obstringi officio sententis Pontificialis Consilii de Re Biblica, sive quae adhuc sunt emissae, sive quae posthac edentur, perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum pertinentibus ad doctrinam probatis que a Pontifice, se subiciendi; nec posse notam tum detrectatae obedientiae, tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacare gravi, quotquot verbis scriptis sententias has tales impugnant idque praeter scandalum, quo offendant, ceteraque, quibus in causa esse coram Deo possint, alii ut plurimum, temere in his errante pronuntiatis ».

**Laudatio Alberti, Belgarum regis, ab excmo viro Antonio Bacci, Brevium ad Principes a secretis, coram Ss. dicta in exsequiis in Xystino Vaticani sacello celebratis.**

Quum tristissimum nuntium, paucis ante diebus, nobilem perculit Belgarum gentem, Albertum nempe Regem ob funestum nec opinatum casum improvisa esse subitaque morte interceptum, tum urbes, tum oppida, tum vel ultimi illius Regni pagi ac viculi, veluti teterrima maestitia nube offundi visa sunt; omnesque cuiusvis ordinis cives maximum fuere maerore confecti, quasi non supremum tantummodo publicae rei moderatorem, non in bellico dumtaxat discrimine strenuum invictum ducem animosumque pacis assertorem amisissent, sed patrem etiam amantissimum. Coram sacra augustae huius mortis maiestate, civilium etiam partium studia conticuere omnia; atque patriae caritas una, quae tantopere Regis vitam et operam incendit et aluit, Belgarum animos permovit.

Ac reapse non una de causa desideratissimum hunc Principem sui cives venerabantur, summoque prosequerantur amore; in Eo siquidem non tam diadematis decus avitaeque regii generis laudes enituere, quam egregiae animi dotes, quibus, auctoritate magis, omnibus praeire enitebatur. Si privatim enim, in sua agendi ratione, praclarum exemplum exstitit, in quem sui omnes intuerentur; si in domestica vita nihil antiquius habuit, quam dilectos sibi filios et christiano more institueret, et ad officium, etsi arduum, obeundum totis viribus informaret; attamen, quum de

Nationis suae fortuna, prosperitate libertateque ageretur, tum nec laboribus parcere, nec pericula defugere, nec suam ipsius periclitari vitam — qua erat animi strenuitate praeditus — non veritus est. Ita quidem ut gravissima ea Belgarum gentis tempestate, quum bellum fere ubique per universam Europam desaeviret, Albertus Rex, dux, Pater patriae ac veluti inclytum atque integerimum Nationis suae insigne admirabundis omnibus haberetur.

Atque in praesens, quandoquidem nondum residit, nedum conquiescit acerbūm hoc oeconomicarū rerū discrimen, quo omnes conflictantur populi communītatisque ordines, intenuim aegritudines relevandas, in utilēs locupletiū providentias industriasque excitandas, inque publicae rei incrementa provehenda, omni ope totoque pectore elaborabat.

Quodsi, quemadmodum adhuc usque persequi placuit, multis de causis habent Belgiae gentes, cur Regem amantissimum complorent, at non minore afficitur dolore Ecclesia, quae filium devotissimum christianumque veri nominis Principem desiderat. Ipsi etenim persuasum omnino erat patriae caritatem ex catholicae religionis observantia non minui, sed satius impensiusque flagrare; ex christiana legi obtemperatione non nobiles restinui animi sensus, sed augeri quam maxime, ex evangelica denique doctrina in sua luce collocata ac veluti fundamento posita, in qua hominum consortio niteretur, et vires per societatis venas permanare praestantissimas, et civilem coalescere confirmationique concordiam, et praesens etiam in aerumnis haberi solacium, in adversis rebus virtutis columen, in omnibus autem civitatis rationibus ordinem, prosperitatem, pacem. Quod quidem iudicium rectamque animi conscientiam non in privata solummodo Augusti huius Principis vigere vita, nec in ea ob inanem quendam pudorem pavide delitescere, sed in apertum prosilire, et in publica amplissimae auctoritatis obeunda munera vim exercere efficacitatemque suam ii praesertim gratulabantur, qui, frequentissimi utique, catholicam doctrinam in Belgica colunt, christianisque praecepsis obsequuntur.

Nihil igitur mirum si Albertus Rex, quae

sibi populo suo curis concredito aut laeta aut tristia occurrerent, haec saepenumero, occasione data, cum Santitate Tua, Beatissime Pater, per officiosas litteras communicare sollempne habuit; atque abs Te in maestitia solacium petere, in rebus asperis incitamentum ac paternarum precum auxilium; in laetitiis vero ac gaudiis regiae Domus Nationisque suae Tecum una immortales Deo Optimo Maximo referre grates. Qua autem erat in Apostolicam hanc Sedem pietate atque observantia eximia, semel atque iterum Romam adveniens, Sanctitatem Tuam pientissimo filii animo invisit, atque abs Te cum sibi, tum Belgarum genti universae Apostolicae Benedictionis donum efflagitavit. Cuius quidem pietatis observantiae documentum exstat mirabilis ea Iesu Christi cruci affixi imago, quam Sanctitati Tuae mnemosynon praebuit suum, quaeque tam affabre, tam pie divinam Redemptoris nostri caritatem praefert atque exprimit. Neque praeterendum est quod Ipse in amplissimarum Congregationum utilitatem gessit, non modo ad mercaturas et ad commercia quod attinet, sed etiam ad ea omnia promovenda, ex quibus hominum vita excultior ac felicior efficitur; ac praesertim ad eorum Missionalium incepta tuenda fovendaque, qui procul dubio praestantiorem utiliorumque in illarum gentium bonum navant operam.

Quapropter quum, haud multis abhinc annis, ad Congi oras appulsus est illasque terras invisit, innumerae indigenarum turbae, eorum praesertim qui evangelico lumine ac gratia recreati fuerant, elato plausu effusisque gaudiis Eum per triumphum exceperunt; sive que grati amantisque animi significationem Ipsi patefacere effrenato quodam, ut iisden moris est, laetitiae studiosaeque voluntatis certamine contenderunt.

Fas esto igitur omnibus dolori atque maerori modum imponere; atque ex hisce Alberti Regis egregie factis auspiciū sumere laetioris, quo Ipsum frui confidimus, aevi, caelestis nempe felicitatis. Id praestat christiana spei virtus, qua edocemur terrestrem hanc vitam, si evangelicis praecepsis conformetur, alteram parere vitam, non angelibus item periculisque trepidam, non fal-

lacibus aestuantem voluptatibus, sed firmam, perennem, ac deliciis affluentem sempiternis. Funereas igitur lacrimas cohibeant consanguinei necessariisque omnes; abstergeant Belgici cives: catholica religio admonet mortuorum feretra esse veluti secundae aetatis incunabula habenda, qua felices omnes, favente Deo, una simul coniungemur; per mortem siquidem «vita mutatur, non tollitur, et dissoluta terrestris huius incolatus domo, aeterna in caelis habitatio comparatur». Perpetuo in ea laetetur, enixe rogamus, et per haec funebria sacra suppliciter impetramus lectissima Regis anima; ex eaque suos respiciens omnes eorum soletur fletum, dolorem relevet, spem denique erigat atque adaugeat.

Iamvero mihi liceat, antequam in hac sanctissima sede amplissimoque coetu dicendi finem faciam, ad Augustum Virum mentem animumque arrigere, qui Belgiae rei in praesens gubernacula tractat, ac tanti nominis tantaeque virtutis hereditatem suscepit. Prosequatur Eum, queso, per totius suea vitae cursum, suorum populorum pietas, observantia, studium; ac gentis suea videat — optatissimum hoc esto prudentiae navigatione suea praemiu — fortunam adiectam, roboratam pacem, florentiaque cotidie magis prosperitatis incrementa; illius, inquam, prosperitatis, cuius firmamentum sunt et columen christiana virtus ac largius alacriusque in usum deducta evangelica praeepta; quandoquidem, ut Belgarum etiam historia docet, nihil magnum est unquam sine religione gestum.



## ANNALES

### Belgarum regis obitus.

Necopinatus Alberti, Belgarum regis, obitus, qui die xvii mens. Februarii tragee accidit ob lapsum augusti viri in praeupta, dum saxosum culmen ad Namurcum ascendit, non civium suorum tantum maerore perculit animum, sed orbis uni-

versi, qui eius virtutem excelsam domi bellique admiratus, singulari prope dicam cultu virum prosequebatur.

Unanimis itaque luctus et vita immatura praerepti memoriae concelebratio: unanime et votum, ut Leopuldus filius natu maior, qui ei succedit, paternam semitam sequutus, parem gloriam sit sibi et Belgarum populo comparatur.

Defunctus natus erat Bruxellis die viii mens. Aprilis MDCCCLXXV e Philippo Eugenio Belgarum principe, Flandriae Comite, Saxoniae Duce, atque Maria Aloisia, principe foemina Hohenzollern Sigmaringen. Die ii mens. Octobris MDCCCXIV Monachii uxorem duxerat Elisabeth Valeriam Gabrielam Mariam, Bavariae Ducissam, Caroli Theodori Ducis filiam. Belgarum in regno Leopuldum patrum d. xxiii mens. Decembris MDCCCCIX consequutus est. Proximo immanni bello, in quo Belgarum territorium a Germanis iniuria occupatum lateque vastatum est, summum copiarum suarum omnium imperium assumere non dubitavit, seque sapienter belli peritum non minus quam heroicum militem ostendere valuit.

Ut omnes norunt, Humberto principi, Italici regni heredi, nupsit eius filia Maria Iosepha, de cuius quidem dolore peculialem dolorem nostrum testamur.

\* \*

### Austrorum et Gallorum res.

Austrorum res parum abfuit ut in superium discrimen adducerentur, ex socialistarum et communistarum factionibus, qui, coitione facta magnaque armorum copia congesta, omnia signo dato subvertissent, nisi a gubernio in tempore detecti firma manu oppressi fuissent. Id profecto non sine sanguinis effusione hic inde factum est, nam coniurationis participes summa vi atque contentione restiterunt;

viribus tamen et animo tandem defecere, eoque magis quum viderint utriusque partis principes suam in fuga apud exteris gentes salutem quaerere. Neque Dollfuss eiusque in re publica collegae victoria abusi sunt; imo veniam poenitentibus, arma tradentibus concessere, omnesque ad pacis proficuos pro patria labores, inconsulte actis oblivione obrutis, permanter invitarunt.

In Gallia, si tumultus per vias cesserunt, animorum quies neque restituta est nec proxime restituetur, ob pecunaria praezeros scandala, quae in dies patefiunt. Sperandum est fore ut Doumergue, qui rerum gubernacula reapse assumpsit probusque atque prudens vir aestimatur, naven in tutum portum adducere queat.

\* \*

#### De armis ponendis disquisitiones.

De armis ponendis disquisitiones inter singulos singularum nationum administratos perdurant. His diebus, Eden, alter a secretis exterarum rerum in Anglia, Parisios, Berolinum ac deinde Romam venit, ubi dicitur cum Mussolini, Italicorum negotiorum duce, novum tum Anglorum tum Italorum propositorum examen instituisse, deque finibus assequendis convenisse, praezeros circa firmum fundamentum super quo generalis de re consensio institui possit.

POPULICOLA.

**HUMANAE REDEMPTIONIS  
ANNO SACRO LABENTE  
VOTA**

Praecepit ad finem Sanctus dum volvit Annus,  
Gratia quo Caeli tanta profusa fuit;  
Quo, nostrae exacto decimo nonoque salutis  
Saeclo, Divinum concelebratur Opus;

*Undique quo Gentes Romam petiere piandae  
Solvore percupidae corde calente preces:  
Summus queis Pastor superos decrevit ho-  
[nores]  
O cuncta in Christo sint recreata rogent;  
Et Populi optatam ad pacem bona corda ge-  
[rentes]  
Per Crucis exoptent tendere ad astra  
[viam]...*

Laureti in Piceno, mense martio an. MCMXXXIV.

IOANNES FRATINI.

#### VARIA

#### De ingrato Romanorum et Atheniensium animo in cives suos.<sup>1</sup>

Qui diversarum civitatum res gestas considerat, subinde exempla quaedam ingrati animi earum erga suos cives comprehendet; pauciora tamen Romae, quam vel apud Athenienses, vel apud aliam civitatem. Cuius rei rationem fuisse existimo, quod Romani causam non habuerint toties suos cives suspectos habendi, quoties Athenienses eamdem habuerunt. Nam post exactos reges nunquam amisit Roma libertatem usque ad tempora Syllae et Marii: itaque neque occasionem habebat de cibis suis suspicandi, quod quisquam eorum tyrannidem affectaret; et quia deerat suspicio, non habebat occasionem in quemquam quicquam durius patrandi. Contrarium accidit Atheniensibus, quos in ipso flore Pisistratus oppressit, et sub specie declarandae beneficentiae iis libertatem ademit. Itaque postquam

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI *De republica disputationes ex prima decade T. Livii, lib. I.* - Latine vertit H. Bindi.

libertatem deinde recuperassent, memores erant iniuriarum atque ipsius servitutis, quam perpessi fuerant, et vel ex levi occasione de suis cibis male suspicabantur, quumque severi libertatis defensores esse vellent, non delicta civium solummodo, verum etiam delictorum suspicionem persaepe puniebant. Hinc factum est ut tot viri excellentes partim exilio, partim etiam morte fuerint multati. Hinc leges « Ostracismi » et aliarum multarum, quibus populus adversus optimates utebatur, natae sunt. Nam, ut iidem scriptores testantur, populus qui libertatem recuperavit, severior est illius vindex, quam is, qui eam a maioribus suis acceptam conservavit. Haec si quis diligenter consideret, neque Athenienses ob hasce res vituperandos, neque laudandos Romanos intelliget; sed damnandas esse solummodo causas, quae Athenienses ad tantam auctoritatem permoverunt; quae si in urbem Romam incidissent, non magis quam Athenae, erga suos cives aut pia, aut misericors exstitisset. Id exemplo Collatini et P. Valerii constat, quorum ille ob solum Tarquiniorum nomen, quo vocabatur, in exilium missus est, quum tamen expellendis regibus sedulam operam impendisset. De P. Valerio autem male suspicari coeperunt ob id, quod Consul quum esset, domum in summa Velia, loco urbis editiori, extruere decrevisset; ob quam rem parum abfuit, quin eodem modo ut Collatinus puniretur. Quae quum ita sint, non dubium est quin Roma si eodem modo, quo Athenarum urbs, sensisset aliquos suorum ad tyrannidem aspirare, aut aliquoties ab aliquo oppressa fuisset, erga suos cives non se aliter, quam Athenienses, gessisset.

\* \*

#### Leo et Rana.

Leo, auditis Ranae clamoribus, quos illa toto rictu edebat quam maximos,

primum percelli animo valde coepit, quod crederet ingentem animantem esse auctorem tanti clamoris; animo tamen confirmato, circumspicere, et contra illum clamorem, quisquis esset, sese parare et ad pugnam accingere. Quum videt prorepen-tem Ranam de propinquuo lacu, ibi Leo, simul indignatione, simul etiam pudore affectus, pede illam conculcatam attrivit.

Doct fabula, non esse ad quemlibet strepitum expavescendum, neque nos inexplorata re terreri oportere.

\* \*

#### Pro iudicibus mensarum elegantibus.

PASCHALIUM ESCARUM ORDO:

*Promulsis ex ovis tostis ac tomacina.  
Ius regium.  
Mattea ex pipionibus.  
Lixulae ad Romanum morem.  
Agnus assus; Acetaria.  
Libum Paschale.*

\* \*

#### Iocosa.

TUCCIU in schola.  
MAGISTER: — Eho, Tucci, ad quid pulmo inservit?  
TUCCIU: — Ad feles nutriendos!

Magister discipulorum nomenclationem peragens, quemdam ex iis absentem notat, quaeritque utrum aegrotus sit.

— Ita est, magister, — respondit aliis, — lecto tenetur.

— Ex quo morbo?  
— Immodice dulcia comedit...  
TUCCIU. — O illum beatum!

bavit eventus. Nam quum pridie Non. Nov. primam itineris stationem reliquisset, inventit litteras satis iocosas motoria optime promoveri. Day addiderat sperare sese ceteros non assecuturos esse, quam ipsi adepti essent trigesimum punctum gradus octogesimi primi. Sed immatura fuit ea iactatio. Nam quum vix tria chilometra addidissent, asperam nactus viam omnia videre se testatus est aduersa, aliquantum petrolei et olei prodigitur ibi, et quum inde proserpsissent chilometra septem, in pyxide conditiva reliquerunt litteras: Fragmentum esse cylindrum motorium secundum Dayi. Qui unum reservaverat cylindrum, quo reiectum erat quod Lashly administrabat motorium. Quod longum erat motorium Dayi ita mutare, ut tribus moveretur cylindrīs, constituerant hoc relicto cum altero ire pergere. Sed iam postridie kal. Nov. relicta etiam hac altera traheā, nam saepius iisdem quibus antea vitiis defecerat, quemadmodum a Scotto imperatum erat, auxiliares antecesserant ipsi trahentes pondera.

Sed revertendum puto ad Scottum, principem. Qui quum ex promontorio « Armitage » traheā eexistent, eodem die revertendum statuit ad promontorium Evanium in hibernaculum, quo perventum est vesperi hora nona, confectis eo die chilometris duobus et quadraginta. Sed usus molliore calceamento sauciis pedibus pervenit et inflammata commissura ossium. Tandem kal. Nov. anno 1911 Scottus cum lectis viris et cum equulis iter poli ingressus est. Quinque horis ad promontorium Tabernarium pervenit surgende tempestate. Hic constituerunt tripertito incedere, et nocturna facere itinera. Aderant ad tabernam canes et cum magno photographico apparatu Ponting.

A. d. III Non. in primam stationem est ventum. Eum locum praeterierant motoriae traheae ante quinque dies. Scottus, quum pridie Nonas rescivisset fractum

cylindrum, exclamavit: Ergo effluxit illud somnium: magno nobis motoria fore usui. Postridie ex Cella Angulari e regione tria nigra puncta conspecta sunt. « Haud scio » inquit, « an sit relictum motorium cum traheis onerariis. O spem ereptam! Maiora de vehiculis sperare cooperam, quum viderem ascendere in Limen. » Et quum vidisset die postero factum quod suspicatus erat, iudicavit motoriis caeli noceri frigoribus, cui rei remedium excogitari posse, utilia esse posse in illis polaribus regionibus demonstratum esse.<sup>1</sup>


<sup>1</sup> Haec scribenti a tabellario affertur folium ephemeridis imaginatae, h. e. ornatae imaginibus, quod genus illustratas ephemerides vocant, datum ab amico qui anno ante interfluerat sermoni, quum iocantes fere testudines bellicas traiciendas in antarctidem contendemus, nam facile pervestigari illas regiones hodierno vehiculo, quod ad septuagena singulis horis emetiretur chilometra. Nunc in altera eius, quod dixi, foli pagina adumbrata video « amphibia technica » vehicula, quibus non modo in continentis utamur, verum, si usus fuerit, etiam per aquam et aera propellantis. Atque adeo imago illic expressa est dissectae per transverum « testudinis polaris » *Querschnitt durch einen Polartank, ein interessantes Projekt für ein Expeditionsfahrzeug zur Erforschung der Arktis;* h. e. « Forma construendi vehiculi articulorum regionum pervestigatoribus utilis ». Hoc tandem genus, qui in antarctidem transportaverint, nullo negotio totam Rossicam glaciem et ceteras partes illius terrae hominum pedibus nunquam tactas percurrent. Trium fere quum sint et quattuor contignationum, vel in annum cibaria capient, neque ullis in via cellis penariis opus erit, neque tentoriis, et qui intus resident, tuti ab iniuriis frigorū perbrevi tempore quamvis magnū chilometrum numerum confident. Mirum inquam, ni post paucos annos reperiantur qui se Scotti aut Amundseni via « polari testudine » ad illud terrae punctum pervehi velint, quod illi duo tantae molis itinere petierint.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,

Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

*Nuperrime prodiit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

**Editio altera locupletior.**

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venuuntur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

## FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 475 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 950, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXI

Romae, Mense Aprili MCMXXXIV

Fasc. IV



# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXIV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicica lib. 30 exaequans; ante soivendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

### DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

De quibusdam coniunctionibus eleganter usurpandis.

§ I. - *Coniunctiones copulativaे.*

I. - « *Et* » plerumque copulat notiones dissimiles, inter quas nullum est logicæ dependentiae vinculum;<sup>2</sup> « *que* » notioni praecedenti alteram adiungit cum ea connexam, vel ab ea pendentem;<sup>3</sup> v. g.:

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> Interdum « *et* » coniunctionis adversativæ locum tenet; v. g.: Quod equidem adhuc non amisi et videtis annos (CIC., *De Sen.*, 9). - Naves portum capere non potuerunt et paulo infra delatae sunt (CAES., *De bel. gal.*, IV, 36, 4).

<sup>3</sup> Hinc *a)* In plurimum enumerationem ultimam vocem cum praecedentibus connectit coniunctio « *que* » v. g.: Solis et lunae reliquorumque siderum ortus, obitus, motusque cognorunt (CIC.).

*b)* Saepē coniungit notiones fere eiusdem sensus; v. g.: Peto quaeque (CIC., *Ad Fam.*, V, 4, 2). - Sabinos equitatu fudit belloque devicit (CIC., *De rep.* II, 20, 36).

*c)* Conclusionem inducit aut consequentiam aut rationem seu causam aut, compendii instar, sententiam universalem; v. g.: Totaque de ratione humationis unum tenendum est (CIC., *Tusc.*, I, 43). - Iugurtham beneficiis vincere aggressus est statimque eum adoptavit (SALL., *Iug.*, 9, 3). - Ad tempus non venit, metusque eum impeditabat (SALL.,

Pulvis et umbra sumus (HOR., *Od.*, IV, 7).

Mater tua et soror (CIC.).

Ex Macedonum genere, duo multo ceteros antecesserunt rerum gestarum gloria: Philippus, Amyntae filius, et Alexander Magnus (CORN. NEP., *Reg.*, 2).

Ironia dissimulantiaque (CIC., *De or.*, II, 67, 270).

Vis amicitiae concordiaeque (CIC., *De Am.*, 7, 23).

Ius potestatemque habere.

II. - « *Atque (ac)* »<sup>1</sup> significantior est quam « *et* ». Inducere potest:

*1º) gradationem,*<sup>2</sup> v. g.: Quid ego

*Iug.*, 70, 5). - Omniaque orta occidunt et aucta senescunt (SALL., *Iug.*, 2, 3).

<sup>1</sup> *Ac* et *aque* hoc differunt quod *ac* ponitur insequente quavis consonante, praeter *c* et *q* (tum enim pro *ac* ponitur *et*); *atque* usurpatur insequente vocali (TURSELLINI).

*N.B.* - Invenitur aliquando *atque* ante consonantes (TURSELLINI).

<sup>2</sup> *a)* Ad gradationem exprimendam usurpari quoque potest « *ac paene* », quod maius quid aut vehementius addit, et idem valet quod « *et paene dicam* »; v. g.: Non dubitaverim me gravissimis tempestatisbus *ac paene* fulminibus obviam ferre (CIC., *De rep.*, I, 4, 7).

*b)* Item « *atque adeo* » saepe ad corrigendum simul et augendum adhibetur, quum comparantur similia; v. g.: Intra moenia atque adeo in senatu (CIC., *Cat.*, I, 2, 5). - Cum maximo detimento *atque adeo* exitio vectigalium (CIC., *Verr.*, III, 8). -

Ostiene incommodum *atque* illam labem  
*atque* ignominiam rei publicae querar? (Cic., *Pro Leg. Man.*, 12, 33).

Intra moenia *atque* in sinu urbis (Cic., *Cat.*, I, 25, 35).

O tempus miserum *atque* acerbum  
provinciae Siciliae! O casum illum multis  
innocentibus calamitosum *atque* funestum! (Cic., *De Suppl.*, 35, 92).

2o) transitionem ab una notione aut  
sententia ad alteram; v. g.:

*Ac me illud quidem praetereundum  
puto* (Cic., *Phil.*, XIII, 6, 12).

*Atque* hoc etiam animadvertisendum est (Cic., *De orat.*, II, 61, 251).

III. - Quum duo membra unius atque  
eiusdem sententiae coniunctione copula-  
tiva iunguntur, quorum alterutrum item  
duabus partibus constat coniunctione uni-  
tis, diversae usurpantur coniunctiones,  
perspicuitatis gratia; v. g.:

In morbum incidunt *ac* vehementer diu-  
*que* aegrotavit (Cic.).

Hi (Galli) contra vagantur laeti atque  
erecti passim toto foro, cum quibusdam  
minis *et* barbaro *atque* immani terrore  
verborum (Cic.).

Ad magnitudinem frigorum *et* tempe-  
statum vim *ac* fluminum praeclarum hoc  
sibi remedium compararat (Cic., *De Suppl.*,  
X, 26).

Quam legem corrigit, iudices, *atque adeo* totam  
tollit? (Cic., *Verr.*, III, 8). - Verres tot annis  
*atque adeo* saeculis inventus est (Cic., *Verr.*, III, 8).

NB. - Sic quum Cicero aliquid narravit et  
testimonia proferre parat, praemittere solet: « *Id  
adeo* (= potius) ex testibus, ex ipso senatus con-  
sulto cognoscite ».

c) Similiter corrigit et auget *immo* vel *immo  
vero*, quam contraria comparantur; v. g.: Causa  
igitur non bona est? *immo* optima, sed agetur  
foedissime (Cic., *Att.*, IX, 7). - Si patriam prodere  
conabitur pater, silebitne filius? *Immo vero* obse-  
rabit patrem, ne id faciat (Cic., *De Off.*, 3, 23).

<sup>1</sup> Transitioni pronomen relativum inservire  
potest; v. g.: In *quo* illud est vel maximum,  
quod... (Cic., *De orat.*, III, 44, 175). - In *quo*

IV. - « *Etiam* » aliquid gravius addit, <sup>1</sup>  
« quoque » rem fere aequalem; v. g.:

Multos liberalitate devinxerat; plures  
*etiam* opera forensi suos reddiderat (CORN.  
NEP., *Afc.*, 2).

Credo et has tabulas nihil profuturas;  
*etiam* plus suspicionis in eo crimine futu-  
rum (Cic., *Verr.*, VII, 39).

Voce, motu, forma *etiam* magnifica  
(Cic., *Brut.*, 75).

Non dubito quin tibi *quoque* id mo-  
lestum sit (Cic., *Attic.*, I, 5).

Leges quibus hodie *quoque* utuntur  
scripsit (Cic.).

### § II. - Coniunctiones disiunctivae.

I. - Coniunctio « *aut* » notiones ac  
sententias vere diversas disiungit. Saepe  
usurpatur ad separanda contraria, quorum  
unum excludit alterum, maxime si repe-  
tatur; v. g.:

Hic vincendum *aut* moriendum est  
(TIT. LIV., XXI, 43, 5).

Omnia bene sunt ei dicenda qui hoc  
se posse profitetur, *aut* eloquentiae nomen  
relinquendum (Cic., *De Orat.*, II, 2, 5).

Audendum est aliquid universis, *aut*  
omnia singulis patientia (TIT. LIV., 18, 7).

Officia omnia *aut* pleraque servans  
vive (Cic.).

Non multum *aut* nihil omnino Graecis  
ceditur (Cic.).

*Aut* prodesse volunt *aut* delectare  
poetae (HOR.).

*Aut* tace *aut* dic meliora silentio.

Improbi *aut* afficiuntur poena, *aut*

illud etiam notandum mihi videtur (Cic., *Orat.*, 18,  
58).

<sup>1</sup> *Etiam* ex *et* et *iam* conflatum esse appetit.  
Proinde coniunctio *et* praeponi ei non solet. Sed  
*pro et etiam* dicimus *atque etiam* (TURSELLINI);  
v. g.: Misereamini censeo (delinquere homines  
adulescentuli per ambitionem) *atque etiam* armatos  
dimittatis (SALL.).

semper sunt in metu ne afficiantur ali-  
quando (Cic.).

Mihi *aut* testis esse potes nullam esse  
artem salis, *aut*, si qua est, eam tu potis-  
simum nos docere (Cic., *De orat.*, II, 54,  
216).

*Aut* perdet *aut* peribit (TER.).

*Aut* vivam *aut* moriar (TER.).

*Aut* vivet cras *aut* non vivet (Cic.).

II. - Coniunctio « *vel* » non tam ma-  
gnum discrimen denotat et minus disiun-  
git.<sup>1</sup> Corrigit quoque aut etiam auget,  
praesertim si sequatur « *etiam*, *potius*,  
*dicam*, *ut verius dicam* »; v. g.:

Summum bonum vel a virtute profe-  
ctum vel in ipsa virtute situm est (Cic.).

Postremo si nullo alio pacto, *vel*  
(= saltem) foenore (TER., *Phor.*, 12, 1).

Auctores maximi quantum virtutis ha-  
beant, *vel* (= praesertim) hoc ipso co-  
gnoscimus quod imitari non possumus  
(QUINT.).

Occupationum mearum *vel* (= praes-  
ertim) hoc signum erit quod litterae sunt  
librarii manu (Cic., *Att.*, XIV, 16).

Sed tamen *vel* (= etiam) regnum malo  
quam liberum populum (Cic.).

Sed de nostris rebus satis, *vel* etiam  
nimium multa (Cic., *Ad Fam.*, IV, 14, 3).

Mihi placebat Pomponius, *vel* dicam  
minime displicebat (Cic., *Brut.*, 57, 207).

Iterum aut etiam saepius iterari potest;<sup>1</sup>  
v. g.:

Quis in rebus *vel* inveniendis *vel* diiu-  
dicandis acrior Aristotele fuit? (Cic.).

*Vel* emori *vel* cum spe vivere (Cic.,  
*Ad Fam.*, IX, 6).

Sunt ista quidem *vel* magna, *vel* potius  
maxima (Cic. *Ad Quint. fratr.*, II, 6).

Hanc tu mihi *vel* vi, *vel* clam, *vel* pre-  
cario fac tradas (TER., *Eun.*, II, 3).

Saturnius in historia multum satisfaciens  
*vel* brevitatem, *vel* luce, *vel* suavitatem, *vel*  
splendorem etiam et sublimitate narrandi  
(PI. I, 16).

III. - Coniunctio « *sive (seu)* »<sup>2</sup> denotat  
discrimen minoris momenti; v. g.:

Mavors, *sive* (= *vel*, si dicere mavis)  
Mars, Pallas, *sive* Minerva.

Ascanius florentem urbem matri *seu*  
novercae reliquit (TIT. LIV.).

Repetita, significat aut scriptorem incer-  
tum esse utram partem veram credat, aut  
utramque ab illo pariter affirmari; v. g.:

Ad litteras graecas addiscendas ego  
tibi *sive* comes, *sive* dux fui (Cic.).

<sup>1</sup> a) Repetitum non excludit aliam notionem.

b) Iteratum pro « *tum... tum* » usitatissimum  
est; v. g.: Res rusticæ *vel* fructus causa, *vel* oble-  
cationis invisiere (Cic., *Or.*, I, 58). - Multorum  
*vel* honori, *vel* periculo inservire (Cic., *Brut.*, 96).

<sup>2</sup> a) *Sive* proprie est coniunctio conditionalis,  
pro *vel si*, et ut talis interdum adhibetur, etiam  
repetita. Sic legimus: Postulo, *sive* aequum est,  
oro. - Dicebat consul, *sive* ad tuendam Ambraciā  
venirent Aetoli, apertos circa campos ad dimicā-  
dum esse; *sive* detrectarent certamen, oppugna-  
tionem fore haud difficultem (TIT. LIV.).

NB. - *Seu*, pro *sive*, poëtis solum familiare est.

b) *Sive* interdum auget, praesertim cum particu-  
lis *potius*, *etiam*; v. g.: Nihil perturbatius  
hoc ab urbe discessu *sive* potius turpissima fuga  
(Cic.).

Ilo loco libentissime uti soleo, *sive* quid mecum cogito, *sive* quid aut scribo aut lego (Cic., *De Leg.*, 2, 1).

Si civi Romano licet esse Gaditanum, *sive* exsilio, *sive* refectione huius civitatis, quid est quamobrem civi Gaditano in hanc civitatem venire non licet? (Cic.).

Homines nobiles, *seu* recte, *seu* perpetram facere coeperunt, in utroque excellunt (Cic.).

IV. — Enclitica « *ve* » usurpat ad disiungendas voces quae non sunt tanti momenti, *sive* in propositione primaria, *sive*, quod frequentius est, in propositionibus subiectis. Denotat discimen quod parvi refert aut solum est in vocibus; v. g.:

Post hanc concionem duabus tribusve horis nuntii venerunt (Cic.).

*Meusve tuusve.*

In hac tam praecipi festinatione, quae me rotae pronive gurgitis ac verticis modo nusquam patitur consistere (VEL. PATERC.).

Non satis est iudicare quid faciendum non faciendumve sit (Cic.).

(*Ad proximum numerum*).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

### DE LUDOVICI ARIOSTI FABULA, QUAE "ROLANDUS FURENS"<sup>1</sup> INSCRIBITUR

Poëma *Rolandus* seu *Orlandus Furens* maximum Ludovici Ariosti opus, quod ad epicum genus pertinet, rebus fabulisque contextum, anno millesimo quingentesimo quinto salutis nostrae inchoatum, primum quadraginta libros complectens editum, anno millesimo quingentesimo altero et tricesimo post Ch. n. quadraginta sex libris omnino conflatum, perfectum est.

<sup>1</sup> Italice: *Orlando furioso*.

Clarus Regiensis poëta, Matthaei Boiardi fabulae narrationem, quae *Rolandus amore captus*<sup>1</sup> inscribitur, sequutus, praesertim nobis effingit Rolandum amore furentem, quod Angelica, una omnium puellarum pulcherrima, quae unquam in orientis solis terris exstiterit, Medoro, infimo servorum et nullius nominis, nupserit.

Quod in rerum et fabularum expositione maximi momenti est, quasi totius operis machina; nam, Medoro et Angelica e scaena dilapsis, narratio omni fere deletatione caret, ac postquam ad Rolandi furorem progressa est, in leviora desinit.

Si quis vero hoc opus brevi comprehendere velit, summis quidem in angustiis atque difficultatibus versatur, quod potissima interdum si non negleguntur, saltem seponuntur, et undique poëmatis permultae digressiones obiiciuntur, quas qui legat adeo a re distrahit, ut aegre aliquid perspicere possit, inanemque laborem prosequi videatur.

Cuius operis res trifariam dividi possunt, quas in proœmio ipse poëta nobis exponit. Is enim ait sibi in animo esse canere bellum, quod Christiani, Carolo Magno duce, contra Islamistas gesserunt, simulque Rolandi labores, qui Angelicae amore captus ad insaniam pervenit; postrem Rogeri et Bradamantis, ex quibus principes Atestini originem duxerunt, iustas et celebres nuptias.

Quibus alveis ceterarum digressionum cursus profluit.

Ex dramatis personis praincipis Rinaldus eminent, vir strenuus in primis, in periculis constans, qui Polynexi insidiis, Ginevram, pulchram Anglorum regis filiam, liberat, et Ariodanti forti equiti restituit.

Cloridani et Medori digressus ex Aeneide depromptus videtur, nobisque in mentem Eurialum et Nisum revocat; illi

<sup>1</sup> Italice: *Orlando innamorato*.

exercitus Islamistarum milites, noctu Darinelli regis corpus recuperare conati, a Christianis, dum fugiunt, intercepti, variae fortunae succumbunt: Cloridanus graviter vulneratus cito diem obit supremum, Medorus autem Angelicae curis atque amore convalescit et, fortunatus quidem vir, cui contigerit, — quod complures strenui et nobilissimi viri frustra concupiverunt, — ut pulchram morosamque Angelicam uxorem duceret.

Primas partes agit etiam Astolphus, Othonis Anglorum regis filius, audax, amorum sollicitus, itemque incautus et hilaris, qui in myrtum ab Alcina dolos struente conversus, deinde a Melissa liberatus, postremo in lunam, Sancto Iohanne adiutore, Rolandi consilium captum processit, quod illi restituit rationemque donavit.

Apud Islamistarum exercitum viri strenui non desunt, in quibus praesertim est habendus Rodomons, vir ferus, gloriosus, qui Parisios ingressus depopulatur; insolens, omnium contemptor, vulneratus gratiam recusat, necari mavult, eiusque animus, corpore solitus, apud inferos quoque duram atque indomitam pervicaciam servat.

Morphisa, Islamistarum virago, mulieres sensus non ignorat, et quasi Bradamantis aemula, se Rogeri sororem esse intellegit, quae quidem cum fratre ad veram religionem et fidem convertitur.

Qui ceterique viri quum suo ingenio, suaque figura sint praediti, unusquisque ipse vivit, ac natura sua agit.

Eadem constantia ac simplicitate vera et improbabilia effinguntur: en Alcina, vetustissima saga, quae ut florida puellula feminine blanditiis ac tenui risu Rogerum adlectum ad se suis voluptatibus vincit; ecce Melissa, bona vates, in miseros amores misericors, quae Bradamanti open fert, eiusque amatorem Alcinæ beneficiis servatum tegit; et Logistica, prudens diva,

quae illum et Astolphum beneficiis prosequitur; denique Magus Atlas, dolorum et fraudum magister, Rogeri fidus custos, omnia expertus atque conatus, ne hic Islamistarum cultum respuat, neve Christicola fiat; quae omnes, ut uno verbo dicam, effictiones, non mentis sunt commenta, sed corpora et animi, et nobiscum vivunt atque agunt.

Et interdum poëta leniter inter versus subridet, suumque blandum nostro commiscet risum, voce sua quasi monitrus: « Quid vobis videtur? » Et laeti nos sistimus, umbras oculis circumspecturi, quae cito tenues evanescunt in auras.

At in tanto opere non desunt obscena et probrosa, quae si artis lenocinio effinguntur, adulescentulorum animo obesse possunt; cavendum esse igitur arbitramur, ne *Rolandus furens* poëma integrum legatur ab iis, quibus, ut Iuvenalis admonet, « magna debetur reverentia ».

*Cunei.*

PETRUS CONTI.

### IOANNES BOSCO<sup>1</sup>

Ioannis Bosco vitae curriculum persequenti, vix calculum adiiciendum mihi vi sum est unanimi omnium, qui de eo scriperunt, opinioni; eum scilicet inter magis conspicuos christiana plebis magistros esse accensendum.

Profecto inter potentiores in terris dominantes locum non habuit; non leges iussit, non evigilata volumina posteritati reliquit; sed gloriam quae videtur factis docere, faciem ardentem Iesu Christi cari-

<sup>1</sup> Ex peroratione habita in S. Consistorio d. xvii mens. Decembris MCMXXXIII ab Auctore, cui ob facultatem ultro oblatam orationem suam in nostro Commentario edendi, amplissimas gratias referimus.

tatis in manibus tenens et agitans, quam spirituali suae nobilissimae soboli postea transtulit tamquam lumen ad revelationem gentium.

In pago vulgo *Bechi* nuncupato, Castri novi Astensis Municipii, ortum habuit die decimasexta mensis augusti MDCCXXV, ex pauperrima familia, pastoriae arti et arvis colendis addicta, minor natus inter filios tres ex coniugibus Francisco Bosco et Margarita Occhiena. Familiae Bosco egestatis monumentum adhuc crebris visitatoribus exstat in domuncula, ubi Ioanni prima illuxit dies. Biennis, patre fuit orbus: itaque tantum a vidua matre, pietate praestanti, a teneris unguiculis circa religionem et mores prima habuit rudimenta.

Apud sacerdotem Ioannem Calosso litterarum primis elementis vacavit, et statim in puer eluxit egregia indoles, acre ingenium, tenacissima memoria, ita ut quum scholas postea celebraret, et quidquid a magistris tradebatur, statim in memoriam reduceret, et condiscipulos discendi celeritate atque intelligentiae acumine longe superaret.

Beato Iosepho Cafasso, et Augustae Taurinorum tunc temporis Archiepiscopo Aloysio Fransoni ipsaque matre probantibus, in Cheriense Seminarium fuit deinde ingressus, in eoque in philosophicas ac theologicas disciplinas per sexennium summa cum laude incubuit.

In taurinensi vero presbyteratu die quinta mens. iunii MDCCXLII sacerdotio auctus est ab ipso Archiepiscopo Fransoni, ac postriedie, primum augustum altaris sacrificium in Ecclesia Divo Francisco Assisiensi dicata, litavit. B. Iosepho Cafasso a caeremoniis apud ipsum fungente. Etsi autem sacerdotii officiis exactissime deinceps esset intentus, animum continuo suaे missioni convertebat, quam, quum annos ageret novem, quasi divina inspiratione in somniis acceperat; pauperes scilicet et derelictos plebis adolescentes adiuvandi, ad fru-

gem meliorem revocandi, suasione, ludis et iucundis recreationibus eos alliciendo. Pervenit ita ad perfectissimam illam educationis rationem in paedagogica disciplina, quae tutissimum ei iter indicaret.

Primaeva operis Ioannis nostri sedes, sub *Oratori* nomine, fuit an. MDCCXLIV, sub tectorio quadam ad Valdocco. Plaga, tunc temporis, haec erat suburbana Augustae Taurinorum, inhospita ac prope deserta quippe ignominiae nota insignis; hodie vero innumeris affluens aedificiis quae, Ioannis industria et labor pro adolescentibus ad religionis cultum et omnis generis artium excolendis excitavit; horum quasi centrum, Mariae Christianorum auxiliij templum splendidissimum refulget.

Neque illic tantum; Oratoria, namque, vivente adhuc eorum auctore, tamquam sinapis evangelica arbor, multiplicata sunt, contradictionibus, persecutionibus, difficultatibusque omnibus feliciter superatis, eo fortius ingravescientibus, quo magis opus ipsum religioni civiliique consortio tam utile propagines suas extenderet.

Ut autem eiusdem perennitati prospiceret, suadentibus B. Iosepho Cafasso, et ipso Pio IX sanctae memoriae summo Pontifice, Piam Societatem S. Francisci Salesii et tractu temporis *Institutum Filiarum Mariae Auxiliatricis* condidit.

Utriusque Familiae domus ad millequingentas, sodales universi fere ad viginti millium numerum totum orbem modo numerantur; millia millium utriusque sexus iuvenum ab iis scientia et omnigenis artium disciplinis instituuntur: infirmorum, imo et leprosorum curam eius filii et filiae volenti animo suscipiunt; nec desunt qui contagione affecti, caritatis victimae mortem oppetierunt.

Nec silentio praetereunda «Cooperatum», quos appellavit, institutio, fidelium plerumque laicorum, pariter a Pio IX adprobata, validum certe auxilium paro-

chis, Episcopis, et pro rerum adjunctis ipso summo Pontifici.

Praecipua vero recordatione dignissimae existant sollicitudines et strenui labores Ioannis Bosco, ut barbaras gentes Catholicae adiungeret religioni. Missionales viros e sua religiosa familia usque ad extremas Americae meridionalis oras, duce illuc Ioanne Cagliero, discipulo sibi carissimo, qui inter Purpuratos Patres demum fuit cooptatus, legavit ad eas evangelizandas, et plurimi iam Salesiani alumni successerunt, qui hac, illac per orbem Christum ethnicis gentibus, pari virtute strenue inferunt. Denique postquam, ineffabili animi sui gaudio, templum per insigne Augustae Taurinorum excitavit in honorem Beatae Virginis Christianorum Opiferae, et in Urbe, anno MDCCCLXXXVII, consecrationi adesse ei datum est Ecclesiae, nunc Basilicae, Sacratissimo Cordi Iesu dicatae, pie et sancte in Domino supremum obiit diem Taurinorum Augustae, die trigesima prima mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXVIII.

Ubi nuncium mortis eius vulgatum fuit, lamentabantur omnes sublatum a terris virum sanctitatem praecellarum; hinc a Papa Pio X anno MCMVII «Beatificationis et Canonizationis» causa est introducta. Beatificationis autem solemnia in Vaticana Basilica, die secunda mens. Iunii anno millesimo nonagesimo undetrigesimo celebrata fuere.

Resumpta in sequenti anno ad ultiora causa, atque super duabus miris sanationibus Apostolicis processibus instructis favorabilique lata sententia, nihil denique restabat quam ut Ioannes Bosco in sanctorum numerum adscisceretur. Quod quidem Pius PP. XI perficere voluit, saecularia humanae Redemptionis mysteria conclusurus, hisce kalendis Aprilibus MCMXXXIV, Christi anastasi sacris, inusitata pompa, inter ovantes atque gratulantes gentes, quae ad rem ex orbe universo Romam convenere: Ioannes enim

Bosco singularem populorum omnium voluntatem nostris diebus sibi conciliare valuit.

IOANNES GUASCO  
S. Consistorialis Aulae advocatus.

## CHRISTIANORUM PASCHA ET HIEROSOLYMAE RECORDATIO

Quum memoria Christi mortem subuentis, atque se divina virtute ad novam vitam excitantis ubique terrarum his diebus a Christianis celebretur; omnium oculi, ut ita dicam, sua sponte coniici, omniumque cogitationes in Hierosolymam conferri videntur, praesertim in templum immanni magnitudine, quod quadraginta circiter sacellis Calvarium, Sanctum Sepulcrum, ac cetera id genus complectitur loca, quae Christus aut patiens, aut moriens, aut resurgens perpetuo digna reddidit honore. Ceterum immensum illud aedificium, seu, ut rectius loquar, aedificiorum collectio, neque exquisita arte, neque diviti cultu ornatum apparet, ut nitebat quondam regali Constantini munificentia. Etsi tot tantaque ornamenta sive catholici nominis hostibus infensissimis, sive temporum vetustate sunt deleta, maximum tamen incolume adhuc manet Christi sepulcrum.

Puto equidem neminem fore, vel dubii tenebris obcaecatum, qui quum illum sanctum adeat locum, intimis animi sensibus vehementissime non excitetur ac quodammodo pervadatur: illic oculi, demisso in terram intuitu, quiescere; genua, sacro quodam terrore perculta, flecti; lingua conticescere, ac mens ipsa, tanta vi magnitudinis obruta, plane deficere.

Longum est huius enumerare vicissitudines sanctuarii, quod vicies ferro ignique direptum, totidem restitutum est, ac plu-

ries ab imis iterum excitatum fundamentis. Potentium conatus divinae repugnantes virtuti irriti semper habendi sunt, ut historia abunde nos edocet: ratus Hadrianus imperator Calvarii ac Sancti Sepulcri memoriam plane perfecteque se deleturum, Iovis ac Veneris cultui ea loca ducavit: sed incepta non est assecutus. Nam centum nonaginta et uno post annis immortalis Constantinus, idolis deiectis confactusque, sanctuarium in pristinum restituit cultum: auspice autem Helena, eius matre, luxuriosum atque immanis ibi molis templum, decem circiter annis, exstruendum curavit. Nam muri, ob regalem eius liberalitatem, ornati sunt exquisitiore marmore, ac lacunar ipsum tanta vi auri obductum nituit, ut aureo, si ita loqui fas est, aequori, fulgidaque luce mirifice coruscanti simile esse videretur. Sed Cosroes, Persarum rex, auro ceterisque thesauris direptis, flammis templum dedit; adeo ut Hierosolymae praesul Modestus illud ab imis fundamentis instauraverit quindecim circiter annis. Sed kaliffus Hakem, qui Aegypti Neron cognomento dicebatur, anno millesimo decimo post Christum natum sanctuarium solo aequavit, quod postea Christianorum sumptibus Christi sepulcrum undique invisentium ad unguem in pristinum restitutum fuit. Postquam e Turcarum manibus Hierosolymam Gothfridus e Bulnionio abripuit, in primis statuit ut sancta aedes nunquam Christi orbaretur sacerdotibus, qui divina officia quotidie peragerent, externoque cultui digne prospicerent: at vero temporum vicissitudinibus factum est, ut dominus Dei solitudine ac squalore obsita miserum in modum tabesceret, donec fratribus a Francisco Assisiati institutis sanctuarii cultus et decor anno christiano millesimo ducentesimo trigesimo creditus est. Hactenus de exacti temporibus calamitatibus: pauca nunc de praesenti templi statu.

Nostris hisce diebus templi forma, ex stylo romano atque *ogivali saraceno*, illi ferme linearum arti respondet, quam Modestus, ut diximus, Hierosolymae praesul instituit, si ea excipias, quae sensim processu temporis per milites a Cruce nuncupatos innovata accepimus. Immani magnitudine sanctuarium quattuor praecipuis constat partibus, nempe aede, ut dicitur, orbiculata, quae Christi amplectitur sepulcrum, sacello Franciscano, quod Christo dicatum est Virgini Matri se ostendenti; Calvarii templo et subterraneo fano Crucis inventae sacro. Quattuor hae partes per aediculas, sacella, ambulacra iunctae vi-cissim ac sociatae sunt; triplici insuper coenobiorum ordine circumdantur, quae incolunt non modo Franciscales, verum etiam Graeci atque Armenii a Romano Pontifice dissidentes, Syri, Copheti, ceterique, adeo ut diu noctuque precibus, hymnis, cantibus sancta resonent loca diverso ritu atque idiomate. Varia igitur templa, plurima sacella, aediculae, coenobia, aedes Turcarum excubias agentium, haec omnia in unum collecta, quod supra diximus, aedificium constituant quattuor milium metrorum quadratorum superficiem occupans, in qua omnia continentur, quae ad Christum in crucem actum, aut mortuum, aut sepultum, aut denique ad novam excitatum vitam referuntur. Ibi enim videre licet lapidem, in quo Christum e cruce depositum unguentis atque aromatibus delinitum ac syndone involutum accepimus; columnam, cui devinctum flagellis caesum audivimus; Iosephi ab Arimathea atque Gothfridi e Bulnionio sepulcrum. Multa quoque, quae spectentur, digna sunt, uti sacella sancto Longino, piis foeminis Christum quaerentibus, Mariaeque a Magdala dicata: utrinque aediculae in quibus multa Christi morientis commemorantur, veluti locus, in quo milites Redemptoris vestem partiti sunt inter se, in quo Virgo repraesentatur septem

doloribus conflictata, in quo denique, ut cetera praeteream, mundi Servatorem crucifixus affixum memoriae traditum est.

Dolendum id tamen, Sancta Loca adhuc sub haereticorum potestate esse, atque haereticos ipsos ibi sacra peragere, qui in Dei domo saepe mercatum impudenter habent, eamque vel sanguine inficere non dubitant, quum de sacris faciendis una cum catholicis iniuria contendunt. Proh Deum immortalem! Quamdiu cum dedecore religionis nostrae Calvarium et Christi sepulcrum ultra erit ita profanatum?

HERSILUS.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE  
LATINE VULGATAE

### NOTITIAE.

DE RESONANTIA IN AMPULLIS THERMOIONICIS.

Postquam felices exitus a pluribus, sed a Marconi praesertim, per microundas habiti sunt, inquisitiones, tum theoricae tum experimentales, circa modum agendi ampullarum, quae ad huiusmodi undas excitandas inserviunt, frequentissimae factae sunt.

Plura iam innotescunt; sed aliquid novi invenimus praesertim in experientiis a Gill et Donaldson institutis in ampulla thermoionica, in qua crates posita est ad tensionem quamdam positivam, quam per V definiemus; et anodus ad debilem tensionem negativam.

Haec, ut novimus, est dispositio, quae inducitur in ampullam, quam sub nomine Barkhausen cognoscimus.

Sed quod noviter auctores induxerunt est in addito potentiali quodam al-

terno in anodum. Dicamus λ longitudinem undae, quae huic potentiali respondeat. Excitatur tunc quaedam resonantia in electronibus et manifestatur fluxus currentis electricae ad anodum.

Intentio huius currentis maxima evadit pro determinata quodam λ, si tensio pervenit ad determinatum quemdam valorem quem V<sup>m</sup> dicemus.

Experientiae ostendunt V<sup>m</sup> esse in ratione inversa cum λ quadro.

Res, ut appareat, valde eorum interest, qui rationes huiusmodi phoenomenorum perquirunt.

### DE CONDUCIBILITATE ELECTRICA LACTIS.

Conducibilitas electrica lactis, iuxta doctorem Antonium Montefredine, duplum optime adhiberi potest, tum nempe ad detegendam praesentiam substantiae adulterantis, tum etiam ad speciem animalium determinandam, ex quibus lac deductum est: est enim proprietas vere specifica.

### ISOTOPES ELEMENTORUM RARORUM

Doctor Aston, notissimus in inquirendis isotopibus, patefecit in commentario « Nature » novos isotopes ab ipso detectos in elementis rarissimis.

Neodymium, cuius numerus atomicus 60, tres habet frequentiores isotopes; nempe 142, 144, 146 in ordine decrescenti intentionis, et duos debiliores, 143 et 145.

Samarium, 62, habet intensum binarium 152 et 154, et ternarium 147, 148, 149.

Europium, 63, habet 151 et 153 pariter intensos.

Gadolinium, 64, habet 155, 156, 157, 158, et 160.

Terbium denique, 65, habet tantum atomos, quorum « massa » versatur per 159, nec aliud apparuit, quamvis pondus atomicum 159, 3 videatur innuere alicui isotopi graviori.

## DE TABULA SISMICA ITALICAE REGIONIS.

I. B. Alfano, Lyncaeus, tabulam demonstrativam tum sismicam tum vulcanicam Italiae descripsit, in qua referuntur omnes terrae motus intensioris gradus qui habiti sunt ab initio vulgaris aevi usque ab hodiernos dies.

Ex inspectione huiusmodi descriptionis deducit Auctor phoenomenon vulcano-sismicum ad unitatem reduci et cum elevatione continentali et maris depressione coniungi.

DE PERMANENTIA QUARUMDAM SUBSTANTIA-  
RUM VIVENTIUM IN INFIMIS GRADIBUS CA-  
LORIS.

Ex iis quae doctor Zirpolo expertus est in micro-organismis viventibus ad infimos caloris gradus expositis usque ad gradus qui in officina criogenica Leidensi attinguntur, haec Auctor ipse dedit:

Micro-organismata luminescentia possunt permanere per aliquot momenta, et per horas etiam, sub minimis caloribus.

Lux primo minuitur, postea evanescit, sed reddit statim ac communes conditiones iterum inducuntur.

Causae huius permansionis plures esse possunt: maxima resistentia substantiarum proteicarum, abundantia colloidum hydrophilorum, praevalentia aquae in statu complexionis super quantitatem aquae liquidae, quae sola crystalli instar concrescit, quem tamen protoplasma ipsum minime attingatur.

Hinc substantiae istae reversibles apparent si exponuntur infimis caloribus; e contra irreversiles sunt si ad sexaginta gradus centesimales adducantur; nam tunc protoplasma coagulatur.

Limites ergo permansionis pro huiusmobi micro-organismis sunt ducenti septuaginta et unus gradus negativi et sexaginta gradus positivi.

## DE SILICOFLAGELLATIS FOXILIBUS ITALICIS-

Inveniuntur, ut notum est, praesertim in tripolis ex origine marina plantonica, et in iis frequentissima adsunt.

Species eorum quae cognoscuntur sunt septuaginta septem, quarum triginta circiter extant inter viventia.

Reverendus vir Zanon, Lyncaeus, in depositis marinis italicis triginta et quatuor species detexit, quarum quatuordecim nondum ab aliis designatas.

Singulari nota dignum hoc appareat, quod nempe in mesozoico Auctor duas invenerit species flagellatorum, quarum prima est ex simplicioribus, mesocena polymorpha var. triangula, hodie extincta, alia e contra ex complexioribus, Distephanus speculum, cognita etiam inter viventia.

En species spectabilis inter micro-organismata quae stabilis permanit ex antiquissimis temporibus geologicis usque ad nostros dies.

DE REBUS PALAEOLITHICIS AC PRAEDYNA-  
STICIS IN AEGYPTO COLLECTIS.

In sessione augurali anni academici, quae praesentia Beatissimi Domini Nostri Pii XI condecorata est, doctor Albertus Tulli, Lyncaeus, ea quae ipse in Aegypto collegit his verbis latine proposuit et illustravit:

«Quum munificentia ac liberalitate Sanctitatis Vestrae, Beatissime Pater, ad antiquitatis monumenta vetustate collapsa investiganda, mensibus nuper elapsis, Aegyptum peragrassem, rem insolentem, quae pro itinere, Deo favente, peracto, terra marique, gratias singulares agens, per grati animi testimonium diceret, Augustae ac Regali benignitati Vestrae, devoto animo donaturus summa ope collegandam curavi.

Scilicet, ergo, palaeolithica ac praedynastica, quae et Bovier Lapierre S. I., inve-

stigator subtilis, et nos in vastitate Libyca, peraestuante sole, collegimus, iamque Vestrae Maiestati humillime oblata sunt, nunc in tanto tamque hominum doctorum conventu, paucis verbis explananda videntur.

Rem tum ad defendendam, tum ad offendendam, praescelleanum, quod calosianum etiam vocatur, tertia fulgente glaciali aetate, e pleistocenicis exsurgens vetustissimis temporibus, instrumentum hoc perutile videndumst.

O vere admirabilem opulentiam rerum tantarum antiquarum!

Ex alluvionum ordinibus, qui apud Abbassiehensem terram nuper reperti sunt, suppellectilem copiosam, eamque praediluvii aetatibus tribuendam, tum scelleannam, tum asceuleannam, tum musterianam et miram et venustam pree oculis habemus.

Cultri rectis ordinantur lineis, asciaeque, assulaeque sagittarumque mucrones, omnes e fayumica terra, iisque apud Karunensem lacum, neolithicam aetatem adfirmantes atque, muta loquela rerum, eam manufestariam clamantes.

Quae quidem supellex in Palaestina et in Syria, in Mesopotamia minime vero, excavationibus non adhuc confectis, similima eademque reperitur; attamen ad Palaestinensium gentium cum primaevi Aegyptiis tribubus copulationem confirmandam, si quis temporum fontes et capitla viderit, quidquid de galitensi homine cogitandum est, aequa suppeditat.

Praedynastica autem nostra — haud novam usurpamus vocem — neolithicam istam aetatem, a quibusdam perscrutatoribus de-negatam, iam fuisse demonstrant ac probant.

Quid mirum?

Rebus propositis, eoque pretiosissimis, neolithicas dies evasisse profitemur, laetantibus hominibus primaevi Aegyptiis ».

DE TABULA GEOLOGICA STATUS CIVITATIS  
VATICANAЕ

Ioachim de Angelis d'Ossat, Lyncaeus, opportunitatem carpens ex multiplicibus excavationibus in territorio vaticano recens peractis, primitivos stratus pluribus in locis recognovit, ita ut simul cum iis quae iam antea cognita erant, tabulam geologicam Civitatis Vaticanae delineare potuerit.

In ea accurate statuuntur fines pro depositis pliocenicis profundioris maris, quorum faunam foxilem iam cognovimus, et litus et orae minutim assignantur.

Certiores etiam apparent limites formationum terrestrium aevi quaternarii tum eolici (dunae) tum vulcanici (thophi antiqui).

Clare etiam nunc patet notomia recentioris pallii fluvialis tiberinae vallis.

In promptu autem Auctor iam habet commentarium, referens etiam evolutionem chronologicam demonstrationis geopaleontologicae Vaticanani Collis.

NUMISMA AUREUM PRO CONVENTU MATHE-  
MATICORUM EX OMNIBUS GENTIBUS.

Anglicus commentarius *Nature* retulit descriptionem et figuram numismatis, quo, auctore dre. Fields ex Studiorum Universitate Torontina in Canada, praeclari mathematici, qui ad conventum eudem venerint, donabuntur.

Numisma imaginem Archimedis, qui mathematicorum summus habetur, exhibit, cum inscriptione circulari a Manlio poëta deprompta: « Transire suum pectus mundoque potiri ».

Retro appareat delineatio cylindri et spherae, quorum rationes statuere Archimedes contendit, et laureae frondes, et inscriptio: « Congregati ex toto orbe mathematici ob scripta insignia tribuere... »; addetur scilicet nomen eius, qui praemium vicerit.

## HORAE SUBSECIVAE

## REX ALNORUM

"W. GOETHE'S ERLKOENIG" CARMEN  
LATINE REDDITUM

*Quisnam per tenebras equitat sic serus, et austrum?  
Est pater is, quocum filiolusque simul;  
commodus ille humero puerum complectitur, ipsum  
securus cingens atque tempore foven.*

*— Fili mi, quare faciem sic anxius abdis?  
— Alnorum regem nonne tuere, pater?  
Quem regem alnorum chlamys atque corona deco-  
[rant?]  
— Est nebulae tantum, mi puer, illa strues.*

*« Huc ades, eia veni mecum, puer optime, ludos  
iucundos tecum ludere namque volo;  
floribus ornantur varie mea litora pictis,  
auro texta quidem serica, mater habet ».*

*— Mi pater, alme pater, dic, nonne quod exhibet  
[audis  
alnorum leni rex modo voce mihi?  
— Eia quiesce, quiesce puer dilecte: susurrat  
per siccas frondes ventus at ipse ruens. —  
— Grate puelle, mihi comitem te adiungere visne?*

*Hic tibi filiolae nam bene prospicient;  
sunt mihi filiolae choreis de nocte suetae,  
mulsus eris, laetus cantibus atque choris ».*

*— Mi pater, alme pater, dic mi, nonne inspicis  
[illuc  
regis filiolas ista per atra loca? —*

*— Fili mi, fili mi, prorsus et omnia cerno:  
sic veterum saticum livida forma patet. —*

*« Carus es ipse mihi, specieque tua trahor: ergo,  
sponte quod ire negas, vi subigere mea ». —*

*— Mi pater, alme pater, nunc rex me stringit et  
[urget!  
Heu, iam rex ictum contulit atque mihi! —*

*Hinc pater horret, equi celerans quatit ungula  
[callem,*

*stat puer intra humeros flens gemitusque ciens,  
arripit ille domus tandem vix limen anhelus;  
at puer in gremio morte solutus erat.*

I. FAV.

## AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecpta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.<sup>1</sup>

§ 582. — Idem (in *Coacis*) ait: Sanguinum spuentibus confort, ut sint sine febre, leviter doleant, sputum tenue sit ad dies bis septem: febrim, tussire contumaciter et recentem semper sanguinem excernere, malum.

§ 583. — BALLONIUS ait: In validis tussibus, praesertim quum inanes sunt, dolorem audivimus tantum in ventriculo natum, ut necessario opitulandum ipsi ventriculo fuerit. Quemadmodum difficultas respirationis facit, ut sympathiae dolores in partibus ventris inferioribus orientur, sic difficultas aliqua spirandi oritur ob laesionem doloremque partium in ventre contentarum, et tunc est opitulandum partibus ventris inferioris relichto thorace et partibus eius. Causa saepe latet in hypochondriis.

§ 584. — Qui tussiculosus est, stridulam habet vocem, impeditamque, praeter rationem emaciatur, dum genae rubicundum, floridumque aliquod habent, et in ceteris pendulae videntur, pulmonicus esse dicitur, id est tabidus aut phthisicus esse.

§ 585. — Diuturnus lateris dolor, qui ordinariis remediis non cedit, teste HIPPOCRATE (*Coac. l. 1*) in suppuratum abit. Tuberculum hunc in pulmone esse BALLONIUS asserit.

§ 586. — HIPPOCRATES (*De morbis*, l. 2) describit morbum, quem vocat σπάσμον τοῦ ὄρόπον τοῦ πλεύμονος, sive convulsionem articularum pulmonis.

§ 587. — Omnes fere hypochondriaci, per sympathiam quamdam occultam tho-

<sup>1</sup> Cf. fasc. mens. ianuarii MCMXXXIV.

racem dolent, et medici existimant in pulmonibus latere malum, aut in costis, quum id fiat tantum ratione dispositionis hypochondriacae, in qua flatus excitantur pessimi, qui oberrantes dolorem pectori inferunt. Unde etiam ante diximus δυστυίαν contigere posse, propter affectum et messengerii et ventris inferioris.

§ 588. — HIPPOCRATES (L. 5 *Epidem.*) praeclera praecpta dedit de instituendis purgationibus. In purgationibus instituendis, ventres subpurgabis in morbis, quum matura fuerint, infra, ubi consedisse videris: signum habens, si nec anxxii, aut capite gravati fuerint, aut quum post exacerbationes cessarint: sursum vero in exacerbationibus. Tunc enim sera sponte elevantur, quum anxxii et capite gravati fuissent se se iactarunt.

§ 589. — Incredibilia sunt symptomata, quae eveniunt in principiis accessorum. Hinc HIERONYMUS GABUVINIUS narrat quemdam iuvenem vidisse se febre quotidiana laborantem, qui, simul ac accessio prehenderet, syncopizaret; deinde epileptico modo conveltebatur.

§ 590. — Videmus in paucorum dierum febre corpus ita saepe resiccati, ut marasmodes pene reddatur: id quod maxime biliosis accidere solet.

§ 591. — BALLONIUS observavit quod somnus in multis morbis acutis labore faciat, convulsiones et timores afferat. Per somnum non solvuntur febres, imo extenduntur, dolores augmentur, fluxiones multiplicantur, crescent inflammaciones.

§ 592. — HIPPOCRATES (*de vet. medicina*) abunde docet, in salsis et acutis fluxionibus mitificandum esse, non evacuandum.

§ 593. — Idem (*In Coacis*) ait: Quibus salsuginosa sputa et tussis supprimuntur, his corpus velut a pustulis rubescit.

(Sequetur)

I. FAM.

67

## COLLOQUIA LATINA

IV

Formulae petendarum facultatum<sup>1</sup>

LUDIMAGISTER; NICOLAUS  
et CRISPINUS discipuli

LUDIMAGISTER. — Quas ob res, Nicolae, consueverunt a magistris potestatem petere pueri?

NICOLAUS. — Ob duas potissimum.

LUD. — Scilicet?...

NIC. — Ob exitum e schola et absentiā a schola ad tempus.

LUD. — Quapropter solent exire a ludo?

NIC. — Vel ut corpus levent, vel ut emant aliquid necessarium. Item ob causam aliquam omnino fortuitam.

LUD. — Velim petitiones alias iis verbis iteris, quibus a me accepistis. Agite, pueri, auscultate atque operam date, et quae dicentur percipite.

NIC. — Caput, dentes, venter mihi dolent, praecceptor; quocirca, precor, fac mihi copiam eundi domum.

Febriculam sentio: tua cum venia domum me recipere concupisco.

Necesse habeo exire, praecceptor, ad hoc illudve emendum: si permittis, exibo, et post paulo revertar.

Vocor domum a servo, ab ancilla: possumne abire?

LUD. — Quomodo, Crispine, absentiae facultas roganda est?

CRISPINUS. — Hoc illudve negotium mihi curandum, transactum reddendum, perficiendum est; hospitibus serviendum; aegrotanti sorori, fratri ministrandum.

Parentes mei hanc, illam rem ut pergerem mihi praeceperunt; huc, illuc me

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis*. — Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

*mittunt; quamobrem hodie, cras, biduo, triduo in ludo adesse non potero.*

*Hac de re certiorem te facere volui, amatissime praceptor, quo id te conscio ac non repugnante fieret.*

*A scholis abfui heri, nudius tertius, quattuor, quinque dies, etc., ob hanc, ob illam causam; quam excusationem ne repudies, te vehementer oro.*

LUD. - Hisce phrasibus edico a me protestam petant omnes, et usitatum sibi luculentamque barbariem valere iubeant. Qui contra venerit, is et quod petet non impetrabit, et modis accipietur tam misericordia, ut posthac omnes barbarismos odio vatiniano oderit.

## ANNALES

### **Novae de ponendis armis disceptationes.**

Genevae Concilium praepositorum Conventui de ponendis armis, cuius quindecim Civitates sunt participes, congregatum est, praeside Henderson, qui eventus a mense Octobri superioris anni ad hodier nos dies resumpsit, animadversiones conferens a maioribus nationibus propositas tum de minuendis armis quae nunc sunt; tum de paribus iuribus statuendis quum Germaniae exercitum suum armis ad defensionem munire licuerit; denique de securitate; in qua quidem quaestione et pignora continerentur ad pactiones recte exequendas, quae decernerentur. Est immo de securitate hoc argumentum, in quo maxima et nunc intercedit sententiarum discrepancia. Henderson vero minime desperat, Anglicumque gubernium conciliatoris partes sibi assumpsit. Postremae Gallicae litterae, ante oculos ponentes, pignora aleae respondere debere, certiorem

fieri Gallorum nomine requirebant, quo Germanici belli apparatus iam pervenissent, et quo producendi essent; congruens indubie postulatio, ex qua deduci quoque licet, Galliam demum inclinem factam esse ad aliquam armorum auctionem Germaniae concedendam. Anglia huiusmodi postulata ad Germaniam transmisit; ex parte vero sua a Germania causas repetit, quibus rationes expensi pro armis immoda incrementa recens habuerint.

Dum scribimus, Germanorum responsum exspectatur.

\* \* \*

### **Gallicae res.**

Doumergue ad Gallicum aerarium restaurandum parsimoniae viae praefracte ingressus, institutorum stipendia atque etiam emeritae militiae commoda per decretum minuit, partium, quarum intererat, reclamations commovens; quas tamen auctoritate sua compescere valuit, atque etiam, prouti dictant, minitatus, se ab incoepio pro patriae salute opere recessurum, et ad agrum suum, quo, Cincinnatus alter, se receperat, reversurum.

\* \* \*

### **Pacis foedera.**

Austrorum Hungarorumque administratorum collegii Praesides, Dollfuss et Goemboes, cum Mussolini, Italicorum negotiorum duce, Romam convenere ad foedus inter tres nationes ferendum, cuius haec essent capita:

I. - Ut nationes ipsae concordi animo sociam operam promoverent, tum ad populorum suorum bonum, tum etiam ceterarum Europae gentium;

II. - Quo magis in dies commerciorum ceterarumque oeconomicarum rerum progressum et incrementum vicissim curarent;

III. - Itali ci gubernii iam aliquot men-

sibus propositis rationes de Danubiana quaestione solvenda, Austria et Hungaria pro sua parte ratas haberent.

\* \* \*

### **Regia funera.**

Hagae supremum obiit diem Emma, Batavi regni quondam regina. Postquam marito viduata est, Guilelmae filiolae tutelam optime exercuit; quum autem haec regnum obtinuit, a publicis rebus omnino abstinuit atque in privatum civium bonum unice intendit; quo factum est, ut iure meritoque omnium civium ordo eius mortem valde nunc deploret.

POPULICOLA.

## VARIA

### **Eosdem casus saepe diversis genibus accidere.<sup>1</sup>**

Si quis praesentes res conferat cum praeteritis, et quae iam olim gesta sunt cum iis comparare volet, quae subinde fieri videmus; is facile intelliget eadem et nunc et olim vitia regnare, easdem cupiditates, eosdem denique furores hominum animos exagitare. Quo fit, ut qui in Reipublicae administratione res aliquas diligenter examinet, facile queat de futuris providere, et futura pericula iisdem remediis avertere, quibus veteres usi sunt, siquidem illa in promptu fuerint; aut, si non suppetant, de iis cogitare queat. Sed quia negligitur haec contemplatio, aut certe ab iis qui res antiquas legunt non intelligitur; ab iis vero qui Rempublicam administrant plane nesciunt; idcirco fit, ut subinde eadem incendia eademque mala ut olim oriuntur.

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI *Disputationibus de Republica ex prima decade T. Livii, lib. I. - Latine reddidit H. Bindi.*

Anno p. C. n. MCDLXXXIV amiserant Florentini magnam imperii partem, quum, inter cetera, Pisae quoque defecissent: idcirco ut id recuperarent, bellum gerere cogebantur; sed quia praepotentes erant hostes, a quibus hae fuerant ablatae, magnos sumptus faciebant Florentini, nec tamen quidquam praeculari gerebant. Sumptuum magnitudo populo gravis erat, atque illinc multae querelae oriebantur adversus decemviros, qui antiqua consuetudine in Republica Florentinorum rebus bellicis praefecti erant; quae res eo usque aucta est, ut publice omnes auderent in Decemviros referre causas et bellorum et onerum, quae ob bella ferenda essent, assererentque, si hic magistratus a Republica tolleretur, fore etiam ut finis bellorum sequeretur. Hinc accidit ut, quum tempus esset Decemviros eligendi, nullos prioribus surrogare voluerint, et rei quoque bellicae curam Senatui commiserint. Sed hoc ipsum Reipublicae tam perniciosum fuit ut, non modo finem bellis imponere, ut vulgo putabatur, nequiverit, verum novas bellorum causas pepererit. Nam sublati iis qui prius bellum prudentia quadam ac rei militaris peritia administrabant, praeter Pisas, etiam Aretium amiserunt, et multa alia loca; quamobrem agnito suo errore Florentinus populus, quumque animadvertisset ea mala non ex medico, sed ipso febris incendio nasci, intermissum Decemvirorum magistratum restituerunt.

Huic casui similis alias fuit Romae, quum adversus Consules plebs flagrare coepisset. Nam quum illic quoque subinde nova bella repullarent, ut ne respirandi quidem facultas dari videretur, existimare debebant id accidere sibi propter ambitionem vicinorum, qui eos opprimere conarentur; sed ipsi causas in Consules reiiciebant, et Patriciorum cupiditates, tamquam si ii, quum Romae plebem tribunitia potestate munitam vexare satis non possent, eam extra urbem educere, et sub

Consulum imperio fatigare, vel plane opprimere vellent. Idecirco necesse esse aut tolli Consulum imperium, aut certe legibus ita limitari, ut neque domi, neque militiae plebi molestum esse posset. Qui primus ea de re legem rogavit fuit Terentius, Tribunus plebis, qui suadebat ut quinqueviri eligerentur ad limitandam Consulum potentiam. Ob eam rem quamvis Patres vehementissime indignarentur, atque imperii maiestatem imminutam contenderent, si sua dignitas ipsis non aliter conservaretur; tamen vicit Tribunorum pertinacia, ut exstingui Consulum nomen oportuerit. In quorum locum quem Tribuni consulari potestate crearentur, Consulis appellationem odio prosequabantur, rem ipsam atque potentiam retinebant sub alio nomine; idque eo usque observatum, donec errore cognito, sicut Florentini ad Decemviros, ita illi ad Consules redierunt.

\*\*\*

**Carbonarius et Fullo.**

Conduxerat perquam spacioas aedes Carbonarius; itaque invitauit Fullonem habitantem angustius, ad se uti commigret. Negavit Fullo sibi hoc faciendum, neque fieri omnino oportere: — « Quid commercii — inquit — inter nos esse possit, quum quae ego forte eluendo nitida reddidisse, ea tu fuligine et maculis repleres? »

Docet fabula dissimilia non recte coniungi.

\*\*\*

**Pro iudicibus mensarum eleganticibus.**

ESCARUM ORDO:

*Puls ex furfuricula.**Asellus marinus elixus, garo piperato conditus.**Perna cum pisis.**Turdi inter crustula veru per ignem acti.**Poma mulso confecta.***Iocosa.**

Tuccium Pater ad equiria ducit, eumque monet:

— Ab eculeo illo disce; qui nondum tertium vitae annum absolvit, iamque quinquaginta libellarum millia lucratus est!

Tuccius in schola.

MAGISTER. — Age, Tucci, recenseas mihi corpora illa caelestia, quibus directa ratio est cum nostro orbe.

TUCCIU PROMPTE: — Monoplana, biplana, aeronaves dirigibiles...

\*\*\*

**Aenigmata.**

## I.

Me dulce et niveum tibi saepe dat alma capella;

Matris et ex mamma parvulus ore trahit.  
In calicem me nunc, quaeso, te fundere noli,  
Ni saltem minimum hoc alterum abesse  
scias.

Si facias aliter, pueri, cui pocula donas,  
Haec res tota frequens ora genasque luet.

## II.

Non prius, ipse etenim haud habeo tibi, amica secundum.

Sacra Iovi totum urbs Hellade in occidua.  
Aenigmata in superiore fasciculo proposita hic respondent: 1) *A-via*; 2) *Mel-os*.

**LIBRI DONO ACCEPTI**

ORAZIO, *Epistole scelte e commentate da PAOLO ROASENDA.* — Edid. Societas Editrix Internationalis Augustae Taurinorum, Mediolani, Genuae, Parmae, Romae, Catanae; ven. lib. 3,50.

RAPHAELIS PAONE, *Eugenitus. Carmen.* — Ex off. typ. « Abenavolo » E. Riccio, Teani, 1933.

**DE ROBERTI SCOTTI****NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO**

Et mobile quoddam operculum curvatum erat et unum ex manubriis carebat energemate. Quae vitia dum corriguntur, reliquum diei abit spatium. Postero die post horam decimam traheae proserpere coeperunt, interdum constiterunt, sed unum adversum erat, quod, simulatque Day in glaciem tenui tectam nive direxit, revulsae sunt catenae. Vehementer mea interest — haec paulo post meridiem eius diei euntes prospiciens traheas Scottus — vehementer mea interest hoc genere vehiculorum profici, etiamsi nobis ad polum prooperantibus non magno sint commodo. Si quid dederint adiumenti, ostensum erit his vehiculis universam mutari posse in polaribus regionibus vecturam onerum. Qui viderit hodie moventes machinas, fatebitur esse perutiles, et quae fuerant vitia, omnia mechanica fuerunt vitia. Hora post meridiem prima nuntiatum est traheas sex confecisse chilometra. Sed postero die in « Lingua Glaciali » difficilior traheis via, Scottus cum septem sociis statim secutus est. Sed mirum, nullae principio in illa regione prospectae traheae sunt, pro trahis putabantur rara phocarum corpora in glacie iacentia. Tandem ab altera « linguae » parte prospectae sunt et impressa nivi vestigia signabant iter. Movebantur traheae, etiam salebrosam glaciem facile videbantur transire. Quum illae ab « Armitage » absent chilometra quatuor, Scottus assecutus est. Qui administrabant affirmaverunt rem bene procedere, nullam in machinis, ubi semel coepissent moveri, esse moram, sed cylindros et magis posteriores nimium calefieri, contra generatorium gasis ambiente

aura citius refrigerescere; ad temperandum incitari oportere motorium, post consistendum et motorium obtegendum, quoad aequabiliter diffundatur calor. Quum ibi ientatum esset, Lashly traheae percurrit usque ad promontorium. Day, quum principio aegerrime laborasset salebrosa glacie, totam fere horam conatus procedere coepit tam cito, ut viri diutius pares esse non possent. Coorto turbine, festivum erat traheam videre currentem per nives et nebulas.

Postridie, a. d. VI kal. Nov. circiter decimam horam prior Lashly omnibus spectantibus incitavit motorium, prior ad limen Rossi, quod inde aberat chilometris novem, pervenit. Sed ibi, quod absumperat unguentum, constitit. Day, quum se novis extricasset difficultatibus, celeriter sequitur traditoque socio oleo, maxima qua potest velocitate ascendit in aequor Rossicum, omnium digariorum primus. Qui procul stant, clamorem tollunt laetitiae. Interim Lashly suum motorium expedierat et minus quidem celeriter, sed tamen perpetuo acclivem glacie aditum superavit.

Hae traheae, — inquit Scottus, — consiliis meis non sunt necessariae, neque, si non multum iuverint, mirabor. Sed tamen admirationi fuerunt etiam nautis nostris, quorum antea nunquam magna fuisset fiducia. « Si ita haec vehicula properant, inquit Edgar Evans, qui volumus? Sed expectandus effectus est. Nemo has traheas magni faciet, nisi prius ducenta saltem chilometra confecta viderit. »

A cylindris Scottus timebat, quos mallet ferratos, et quam recte timuisset, pro-

tos et nives. Equuli, ex quo Amphoriam Cellam reliquerant, incidentes unguis scrobes effodiebant in vicina et tricena centimetra altitudinis. IV kal. Dec. equulus est occisus; cui nomen *Sino vel Tonitruo* erat, unde satiati sunt canes quater et partim homines. Praecesserat ceteros paucis diebus, nam is locus, ad quem equulos peryehere onera Scottus voluerat, inde aberat chilometra non amplius centum triginta, et supererant pabuli h. e. compressi feni socci quattuor. Interfectus tertius mannulus est kal. Dec. Quo die quum mane, relicto victu in Cella Liminari meridiana, progreedi coepissent lucente sole, ad dextram conspexerunt montes partim praeruptos, sed non nimium confragosos, quo adspectu terrae etiam bestias iuvari cognitum est in vastis tractibus adeo caarentibus varietate.

Postridie kal. Scottus summo cum dolore Bowers tertium equulum capitum damnavit, nam is ductaverat bestiam. Sed quid faceremus, inquit Scottus, aliud deficiente iam pabulo et tacto gradu octagesimo tertio, et concepta spe reliquum nos iter sine opera equorum perfecturos? Plane yidebatur praestare alere canes, et Victor — nam hoc ille equulus erat nomine — tam obeso erat corpore, ut facile quinques pasceret canes. Tum ex omnibus mannullis supererant sex.

Die solis, qui fuit a. d. III. Non. Dec., in statione undetrigesimal — nam totum iter habuit stationes septuaginta — bene mane coorta procella et equorum everrit vallum et traheas immanibus nivium aggeribus sepelivit. Reverso post meridiem sole, prosecti sunt, et novo furenti turbine aegre consecerunt eo die chilometra viginti, Tripertito adhuc in illis locis socii Scotti faciebant itinere, qui kal. Dec. sic constituerat ut secum essent Wilson, Oates, Keohane, cum Bowers, ut essent Edgar Evans, Cherry-Garrard, Crean; cum Ed. Evans tribuno, Atkinson, Wright, Lashly,

Illis igitur diebus Scottus saepe queritur de tempestate: «Caeli, inquit, rationes funditus videntur emotae. Quae perturbatio si fuerit etiam in glaciali Beardmore, perinqua erit nostra condicio. Iam, inquam, tempus est Fortunae rotam in nostra verti commoda, quae adhuc parum savit». Et eo qui secutus est die: «Hac — inquit — tempestate nullo pacto iter facere possumus. Neque quisquam reperiatur, qui hunc caeli statum explicet. Barometri columna, quae heri alta erat millimetra septingenta quadraginta septem, paulo post, quis non miretur? excrevit in millimetra septingenta et undesexaginta. Vix ego iam quum confero meteorologicas rationes, quibus, qui ante nos in iisdem fuere locis, utebantur cum nostris, aegritudinem cohibeo.


Eodem quo ista scripsit die, qui fuit pridie Nonas, continuato per sudum cursu in trigesimam stationem pervenerunt, effectis chilometris viginti quattuor, spatio horarum sex; quo toto tempore clare conspiciebantur linea menta terrae. E regione erat mons Hope et porta glacialis, ad quod iter erat. Equuli eo die satis procedebant bene; canes se prorsus insignes praebebant, quibus quod nihil erat pabuli, quartus mannulus dedit non minus optimus superioribus. Tum carne equina et bestiae vescebantur et homines, quibus haud spernendus cibis est visus. «Huius bidui atrocitate, — inquit Scottus, — decem dumtaxat vel undecim chilometra perdidimus. Sed fac hunc aërium tumultum perpetuari, quid nobis fiet ascendentibus glaciali, ubi multo magis quam usquam alibi sereno opus sit nobis caelo?».

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreensis,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.


# ALMA ROMA



QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

*Nuperrime prodiit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIII, paucorum exemplarum quae supersunt pretium constituimus libellorum 475 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 950, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXI

Romae, Mense Maio MCMXXXIV

Fasc. V

# ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXIV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicis lib. 30 exaequa*ns*; ante solvendum recto*que* tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

### DE HODIERNAE VITAE RATIONE RENOVANDA

#### MEDITATIONES<sup>1</sup>

VII.

#### Novus rerum ordo.

Origines repetens rerum hominumque primas, Deum inveni obvium; Eundem inveni ultimos prospiciens rerum atque hominum fines; tamen meis oculis non adspexi, meis hisce auribus non audivi nec manibus attractavi meis; oh utinam videre, audire unquam possim! Numquis vidit? Numquis audivit? Ita quidem; multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, novissime locutus est nobis in Filio. Hunc igitur quaero, hunc interrogo, Christum, dico, Filium Dei vivi.

Hunc non esse mythum quendam sed verum hominem facile concedet qui res animo pacato perpenderit; hunc praetereire, hunc ignorare non possumus; si enim vere inter homines ut homo vixit, adolevit, docuit, mira quae feruntur operatus est; si tandem vere mortuus, vere resur-

rexit, necesse est concedamus eum non hominem tantum, sed et verum esse Deum: idcirco Deum illum quem audire colloquenter cupiebamus, alia via, per historiam scilicet, nobis occurrentem habemus.

Evidem non ignoro complures esse hodie qui praesumant ordinem socialem atque moralem reficere posthabito Christo; et tamen praedicent in studiis omne genus plurimum esse historicae rationi indulgendum. Hos despere censeo; nam inter omnes res hoc in orbe terrarum per saecula gestas nihil profecto verius, nihil certius, nihil nobilius quam vita Christi, quam christiana religio per omnes terras mire diffusa; ut inestricabile aenigma, quod dicunt, videretur rerum historia sine Christo; nec aliud haberet vita nostra quo firmius niteretur. Quin? Num certiora quae feruntur de vetustissimis populis Asiae, Aegypti, Graeciae atque ipsa de Roma? Nonne haec antiquiora? Nonne angustiora? Nonne minus alte populorum animis insculpta? Nonne Paulus in Areopago confidenter clamavit totam suam fidem corruere et evanescere si Christus non resurrexisset vere a mortuis? Nonne exinde nova populorum historia et vita initium et statum capit? Fateor igitur candide scientiam veri nominis non esse ullam quae

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Martii.

Christum ignoret; nec posse ulla ratione vitam nostram ad meliorem frugem revo-  
cari, nisi ad Christum redeamus, Eiusque perscrutemur et hauriamus vitam, doctrinam, praecepta.

Hic autem Christus quam supra expe-  
riebamur nostram omnium contentionem ad beatam vitam, sitim Dei in nobis non praepedit, non improbat, immo vero et iuvat et adauget et compleat, seipsum praebens et exemplum imitandum et virium supernaturalium donatorem ditissimum; ita ut studium illud quo flagrabamus exprimendi eo perfectius in nobis imaginem Dei, et crescat ipsum et fiduciam adaugeat, videaturque Deus nobis propior factus, ineffabili quadam charitate. Hanc qui ignorant, deficiant necesse est in via; desperent se unquam posse iustitiam aut honestatem quamlibet veri nominis restaurare; qui autem hanc tenet, is proculdubio propositum assequetur suum, is unus vere totam vivet vitam, is unus optime de Patria merebitur.

Idque profecto mirandum, quod originem hominis esse plane divinam, eiusdem autem perfectionem quaerendam in similitudine quadam divina aptius cotidie exprimenda, eiusdem denique destinationem prope divinam virtutum exercitio et oratione consequendam, ac demum ultimum finem, esse in coniunctione quadam cum Deo ponendum, omnes ferme cuiusque aetatis cuiusque populi sapientes intuiti quodammodo sint: quam eandem opinionem Christus non sustulit sed confirmavit; qui altius equidem transtulit omnia, in ordinem plane viribus naturae superiorem, sed in eadem linea ascendentem.

Eapropter similitudinem illam ad quam nati sumus ineffabiliter Ipse adauget et virtute nova complet, novaque natura, ut filii Dei vere nominemur et simus: neque id extrinsecus, quasi imposito pallio non nostro, sed intrinsecus, insito novae germine vitae: destinationem autem nostram

ad visionem usque ineffabilem et veluti possessionem Dei effert, quae exsuperat omnem sensum.

Non duo igitur motus ad beatitatem, alter naturalis, alter vero supernaturalis; nec duo honestates, ut possit christianus esse naturaliter bonus, non autem supernaturaliter in concreto; ut possit beatitatem naturalem cupere, non autem supernaturalis illinc incipit ubi cessat natura, sed tota natura hominis redempti et christiani fit in suis ipsis principiis supernaturalis. Unus itaque idemque motus ascensionalis omnium hominum ad Deum; ita quidem ut in iis qui sint gratia donati idem motus suam naturam intrinsecam suamque virtutem mutet altiusque contendat atque attingat, quo sine gratia nequaquam posset. Neque duo ordines morales ut alter alteri praeeat necessario: ut quis debeat per certum temporis intervallum curriculum naturalis honestatis percurre, eo que tantum expleto possit ad supernaturalis progredi; sed unus dumtaxat, licet in eo possimus et debeamus mente duplarem veluti faciem distinguere, eo quod qui supernaturali careant gratia possint honestatem quadam et debeant naturalem servare: sed ita tamen ut nemo, post partam omnibus a Christo Redemptionem, speret sese posse naturaliter esse honestum seposita aut spreta supernaturali honestate; se posse impune Redemptionem respuere, fastidire, studiose ignorare; siquidem inter naturalis honestatis praecepta hoc primum est, Deum cognoscere pro viribus, amare, praedicare, ideoque eiusdem praecepta et avide haurire et sarta tecta servare.

SYLVIUS ROMANI.

Incassum laborat in acquisitione virtutum, qui eas alibi, quam in Christo quaerit.

S. GREGORIUS.

## DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

### De quibusdam coniunctionibus ele- ganter usurpandis.

#### § III. - Coniunctiones adversatae.

I. - « *At* »<sup>2</sup> multiplices et egregios habet usus:

1º) Res vehementer opponit; <sup>3</sup> v. g.:

Maiores nostri Tusculanos in civitatem receperunt; *at* Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt (CIC., *Off.*, I, 11, 35).

Reiectis pilis, cominus gladiis, pugnatum est; *at* Germani, phalange facta, impetus gladiorum exceperunt (CAES., *De Bel. Gal.*, I, 52, 4).

Misi pro amicitia, qui hoc diceret; *at* ille, vos audientibus ... (CIC., *Phil.*, I, 5).

*At* ego non nego (CIC., *Phil.*, II, 4).

<sup>1</sup> Ctr. fasc. sup.

<sup>2</sup> Apud poetas et in stilo quotidiano ac familiari usurpat etiam *ast*.

<sup>3</sup> 1) Hinc usurpat post propositionem conditionalem pro « *saltē* »; v. g.:

Si pars aliqua circumventa cederit, *at* reliquos servari posse (CAES., *De Bel. Gal.*, VI, 40, 2). - Quintius Naevium obsecravit, ut aliquam, si non propinquitatis, *at* aetatis suae; si non hominis, *at* humanitatis rationem haberet (CIC., *Quint.*, 31). - Esse omnia, si minus in re, *at* verbis consecutus (CIC., *Dom.*, 50).

NB. - a) Potest etiam usurpari post qualemcumque propositionem subiectam: v. g.: Id quum omnibus mirum videretur, *at* ille... (CORN. NEP., *Iph.*, 13, 4).

b) Attamen vel *at...* tamen oppositionem auget post propositionem concessivam, et eam plerumque negativam; v. g.: Quamquam negent nec virtutes nec vita crescere, attamen utrumque eorum fundi quodammodo et quasi dilatari putant (CIC., *De Fin.*, 3, 15). - Atque ei etsi nequaquam parem illius ingenio, *at* pro nostro tamen studio meritam gratiam referamus (CIC., *De orat.*, III, 4, 14).

2) « *At* » quum opponit, saepe sibi adsciscit « *contra* »; v. g.: *At* hi contra (SALL., *Cat.*, 12).

2º) objectionem aut inducit<sup>1</sup> aut refellit, ac proinde servit

a) aut anteoccupationi; v. g.:

*At* memoria minuitur (CIC., *De Sen.*).

*At* in perturbata republica vivimus.

Quis negat? (CIC., *Fam.*, 6).

*At* ego suasi. Scilicet is animus erat Milonis, ut sine suasore prodesse rei publicae non posset. - *At* laetus sum. Quid ergo? In tanta laetitia cunctae civitatis, me unum tristem esse oportebat? (CIC., *Phil.*, 12, 9).

b) aut subiectioni; v. g.:

Domus tibi deerat? *At* habebas. - Pe-  
cunia superabat? *At* egebas (CIC., *Or.*, 6, 7).

Quid ita? Ne vitiosum fieret opus? *At* erat probatio tua. Ne parum locuples esset? *At* erat, et esset amplius, si velles (CIC., *Verr.*, III, 55).

Quid tandem te impedit? Mosne maiorum? *At* persaepe etiam privati in hac republica perniciosos cives morte multarunt. An leges...? *At...* (CIC., *Cat.*, I, 11, 38).

Nihil est, inquis, quod scribas? *At* hoc ipsum scribe, nihil esse quod scribas (PI.).

3º) in principiis saepe continuat orationem;<sup>2</sup> v. g.:

<sup>1</sup> Ad inducendam objectionem, Cicero saepe usurpat « *at enim, at vero* »; v. g.: *At enim* in praetura petitione prior renuntiatus est Servius (CIC., *Pro Mur.*, 17). - *At enim* te in disciplinam meam tradideras. Nae tu, si id fecisses... (CIC., *Phil.*, II, 2). - *At enim* nihil novi fiat contra exempla atque instituta maiorum (CIC., *Pro Lege Man.*, 20). - *At vero* malum est liberos amittere. Malum, nisi hoc peius sit, haec sufferre et perpeti (CIC., *Fam.*, IV, 5).

<sup>2</sup> Hinc inservit

a) ad transeundum v. g. narrationibus; v. g.: *At* Marius, multis diebus et laboribus consumptis... (SALL., *Iug.*, 93, 1). - *At* eodem tempore... (CIC., *De div.*, I, 34, 74). - *At* Platon, quum in eunis parvulo dormienti apes in labellis consedissent... (CIC., *De div.*, I, 36, 78).

NB. - Ad transeundum, utuntur quoque coniunctione « *sed* »; v. g.: *Sed* ea divisa hoc modo dicebantur (SALL., *Cat.*, 43, 2).

Item coniunctione « *vero* », sive sola, sive pae-

*At* videte hominis audaciam (Cic., *Dom.*, 44).

*At* quae est ista tertia decuria? (Cic., *Phil.*, 1, 8).

II. - Coniunctiones «*sed*» et «*verum*» notiones et sententias non tam vehementer opponunt quam «*at*». Tamen, post propositionem negativam, Latini eas usurpare solent, non autem «*at*»; <sup>1</sup> v. g.:

Est philosophi habere non errantem et vagam, *sed* stabilem certamque sententiam (Cic., *De nat. deor.*, II, 1, 2).

Nec id ad voluptatem refero, *sed* ad communitatem vitae atque victus (Cic., *Fam.*, IX, 24).

viis adverbii *iam* aut *nunc*, quum transitur ad aliquid gravius; v. g.: Illud *vero* ab Aristotele animadversum quis potest non mirari? (Cic., *De Nat. deor.*, II, 49, 125). - *Iam vero* illa notiora, quanto se opere custodiant bestiae (Cic., *De Nat. deor.*, II, 49, 126). - *Nunc vero*, quum loquar apud senatores... (Cic., *Verr.*, VII, 67).

Etiam dempta coniunctione *vero*, aliquando *nunc* transitioni servit; v. g.: *Nunc* ad epistolam venio (Cic., *Fam.*, XV, 31). - Habes consilia nostra: *nunc* cognosce de Bruto (Cic., *Att.*, V, 21).

b) interdum ad incipiendam propositionem minorem syllogismi; v. g.: *At* quae isti bona numerant, ne ipsi quidem honesta vocant. Solum igitur bonum quod honestum (Cic., *Tusc.*, V, 15, 44). - *At* nemo sapiens nisi fortis. Non cadit ergo in sapientem aegritudo (Cic., *Tusc.*, III, 7, 14).

NB. - Tunc fere «*atqui*» usurpatur; v. g.: *Atqui* semper ita affectus est. Semper igitur sapiens beatus est (Cic., *Tusc.*, V, 15, 43).

Conclusio quae ex praecedentibus patet, post *atqui* reticeri potest; v. g.: *Atqui*, Milone intercepto, Claudius haec assequebatur (Cic., *Pro Mil.*, 12, 32).

Minor syllogismi incipit non raro coniunctione *autem*; v. g.: Quae qui recipit, recipiat idem necesse est timiditatem et ignaviam. Non cadunt *autem* haec in virum fortis. Igitur ne aegritudo quidem (Cic., *Tusc.*, III, 7, 14).

<sup>1</sup> a) Tamen *at* aliquando sic usurpatum legitur.

b) *Verum* coniungitur libenter cum *tamen* (TURSELLINI).

c) Post non modo, non solum, non tantum, coniunctionibus «*sed*» et «*verum*» additur particula *etiam*, quum a minori ad maius procedimus.

Neque res publica consules haberet, *sed* mercatores provinciarum (Cic., *Fam.*, 1, 6).

Non quid nobis utile, *verum* quid oratori necessarium sit quaerimus (Cic., *De orat.*, I, 60, 254).

Si prorogatur, actum est. *Verum* per facile resisti potest (Cic.).

Spero omnino te venturum. *Verum* parum confido (Cic.).

III. - Praeterea utuntur coniunctionibus «*sed*» et «*verum*», ut ad propositionem revertant,

1<sup>o</sup>) sive post digressionem; v. g.:

*Sed* de hoc alias. Nunc redeo ad augurium (Cic., *De Am.*, 1, 1).

*Verum*, si placet, ad reliqua pergamus (Cic., *De or.*, III, 13, 51).

2<sup>o</sup>) sive post parenthesis; <sup>1</sup> v. g.:

Scripsit igitur his fere verbis (sunt enim mihi nota) *sed* scriptum est ita (Cic., *Acad.*, II, 32, 102).

IV. - «*Sed*» contraria directe opponit; «*autem*» et «*vero*» diversa magis copulantur quam opponunt; <sup>2</sup> v. g.:

<sup>1</sup> Post parenthesis usurpari praeterea possunt *sed tamen*, *verum tamen*, *igitur*, *itaque*, *nam*; v. g.: Saepe ego doctos homines (quid dico saepe? immo non nunquam) sed tamen audivi (Cic., *De orat.*, II, 90, 360).

<sup>2</sup> Vero a) praeter oppositionem, saepe denotat oppositionem ad aliquid gravius; v. g.: Illud *vero* (quod dicturus sum) plane non est ferendum.

b) praeterea inservit ad respondendum affirmative, suppresso saepe interrogationis verbo; v. g.: Sed tu orationes nobis veteres explicabis? *Vero*, inquam, Brute (Cic., *Brut.*, 87). - Dasne, aut manere animos post mortem, aut morte ipsa interire? *Do vero* (Cic., *Tusc.*, 1, 11). - Quaero, si hoc emptoribus vendor non dixerit, num id iniuste fecerit? *Ille vero* (Cic., *Off.*, 3, 13).

NB. - Hinc non raro legitur in principio epistolae, ubi significat *vere*, *profecto*, et servit responsioni; v. g.: Ego *vero*, Servi, vellem, ut scribis, in meo gravissimo casu adfuisse (Cic., *Fam.*, VI, 6). - Tu *vero* confice professionem, si potes (Cic., *Fam.*, XVI, 23).

Similiter, *sed* gravius, respondetur affirmative

Non odio adductus alicuius, *sed* spe, non corrigendae, *sed* sanandae civitatis (Cic., *Att.*, 1, 15).

Est finitimus oratori poëta, numeris adstrictior paulo, verborum *autem* licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius (Cic., *De or.*, 1, 16).

#### § IV. - Coniunctiones conclusivae.

I. - «*Ergo*» et «*igitur*» inferunt conclusionem in fine ratiocinii. «*igitur*» minus habet gravitatis et indicat consequentiam, quae quasi per se intelligitur; v. g.:

*Omne ergo* animal intereat necesse est (Cic., *De Nat. deor.*, III, 13, 33).

Si mentiris, mentiris, mentiris autem; mentiris igitur (Cic., *Acad.*, II, 30, 96).

Praeterea, «*igitur*» narrationem aut amplificationem qualecumque concludit; v. g.:

Fuisti *igitur* apud Laecam illa nocte (Cic., *Cat.*, I, 4, 9).

Haec *igitur* et alia innumerabilia quum cernimus, possumusne dubitare quin iis aliquis praesit effector? (Cic., *Tusc.*, I, 28, 78).

II. - Ad significandum rem seu factum ex altera quae praecedit effluere, usurpant «*itaque*», v. g.:

per *enim vero*; v. g.: *Enim vero* hoc ferendum non est (Cic., *Verr.*, I, 26). - *Enim vero*, Dave, nil loci est segnitiae neque socordiae (TER., *Andr.*, I, 3).

c) facit ut elueat vox cui postponitur. Et eleganter postponitur negationi; v. g.: *Minime vero*; *neque vero* - coniunctionibus et vel *aut* in enumeratione; v. g.: *Is* et per se, et per suos, et *vero* etiam per alienos defenditur (Cic., *Pro Mur.*, 22). - Si quis esset, aut si etiam unquam fuisset, *aut vero* si esse posset (Cic., *De Or.*, I, 17). - Postponitur adverbio *nunc* et demum, at non frequenter, coniunctioni *sed*; v. g.: *Sed vero* intelligi sic oportet (Cic., *Leg.*, 2, 4).

NB. - Eluet etiam totum membrum; v. g.: Musica Romanis moribus abest a principis persona; saltare vero etiam in vitio ponitur (CORN. NEP., *Epam.*, I, 2).

Hinc, in epistolis, Tullius usurpat *vero* in responsis sive affirmativis sive negativis.

Aristides aequalis fere fuit Themistocli. *Itaque* cum eo de principatu contendit (CORN. NEP., *Arist.*, I, 1).

*Itaque* ad fanum ex urbe tota concurrit (Cic., *Sign.*, 43, 95).

*Itaque* confido ita esse omnia, ut et oporteat et velimus (Cic., *Att.*, I, 5, 2).

*Itaque* haec vobis provincia, non modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis est defendenda (Cic., *Pro Leg. Man.*, 6, 14).

III. - «*Proinde*» seu «*proin*» significat «*ideo*» vel «*quamobrem*». Ad iubendum aut hortandum usurpatur, cum imperativo aut coniunctivo; v. g.:

*Proinde* abite (CAES., *De Bel. Gal.*, VII, 50, 6).

*Proinde* bono animo sis (Cic.).

*Proinde*, si sapis, vide (Cic., *Verr.*, IV, 29).

*Proinde* fac magnum animum habeas (Cic., *Fam.*, XII, 6).

*Proin* tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita (TER., *Eun.*, 1, 1).

#### § V. - Coniunctiones causales.

I. - Ad probationem inducendam, fere indiscriminatim utuntur coniunctionibus causalibus «*nam*» et «*enim*»; <sup>1</sup> v. g.:

*Nam* omnis civitas Helvetia in quatuor pagos divisa est (CAES., *De Bel. Gal.*, I, 12, 4).

Duo sunt *enim* divinandi genera (Cic., *De div.*, I, 6, 11).

S. Leonardi in Helvetia.

(*Ad proximum numerum*).

I. Jss.

<sup>1</sup> a) «*Enim*» et «*etenim*» continuant interdum orationem; v. g.: Attende *enim* diligenter (Cic., *Verr.*, IV, 33). - *Etenim* rem totam cognoscit (Cic., *Verr.*, IV, 69).

b) «*Quippe*» usurpari potest pro «*nam*» (TURSELLINI); v. g.: Leve nomen habet utraque res; *quippe* leve est totum hoc, risum movere (Cic., *Or.*, 2, 54).

MARGARITA THERESIA REDI<sup>1</sup>

Pulcherrimos inter flores, qui Ecclesiae nullo non tempore ornarunt viridarium, iucundiorum ille octavodecimo saeculo prae ceteris spiravit odorem, quem lilii candore et rosae venustate nitentem Etruriae in convallibus Dei providentia excitavit. Virgo, cuius causam apud augustissimum Summi Pontificis solium, frequenti in hoc virorum perillustrium coetu, dicere ingredior, haud magnifica illa peregit facinora, ob quae sive in fide propaganda aut tuenda, sive in charitate exercenda, nostrorum heroum nomina sunt late orbem pervagata; non tamen, vel domesticos inter parietes, vel in pio secessu ad minorem pervenisse sanctitatis gradum, nec minora praecclare gestarum virtutum specimina dedisse visa est.

Maria Anna, e nobilissima Rediorum familia, quam maiores ingenio et doctrina illustraverunt, Idibus Iuliis, anno millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, Arretii in lucem est suscepta; die vero sequenti, in quem incidebat festum Deiparae a Carmelo, lustrali aqua abluta: futuri velut in praesagium eam infanti reservatum iri sortem, ut nova quadam gemma Carmeli ordinem decoraret.

Septimum nec attigerat annum, quum Maria Anna caduca despiceret et caelestibus acquiescere coepit. Itaque non puerilibus recreari ludis, sed de Deo loqui in deliciis habebat, utque mentem ad Deum converteret, eius opera mirari. Etenim quum divino afflato maturitatis suppleretur defectus, ad christiana sapientiae praeculta ita vivendi rationem formave-

rat, ut si poëtae nostri sententiam cordi haberet infixam:

*O insensata cura dei mortali  
Quanto son difetti vi sillogismi  
Qui che ti fanno in basso batter l'ali.<sup>1</sup>*

In quo tamen tanta simplicitate praestabat ut, quamvis hic divini amoris aestus in parvula singulariter prorsus deflagraret, nil aliud se facere putaret, quam quod omnibus commune esset.

Iustusmodi sane pueritia splendidiorem adolescentiam portendebat. Mariae Annae parentes, religionis cultus praeculari, paterno non defuerunt muneri, hunc potissimum intendentibus ut filiam non modo erudirent litteris, sed pietatis sensibus magis magisque imbuerent. Quod ut praestarent, monialibus Benedictinis in Florentino S. Apolloniae monasterio filiam instituendam crediderunt; ubi quidem haec omnium sibi admirationem conciliavit. Magistrae ex nutu pendebat: nullas, ne nimias quidem, sui officii negligebat partes; aequalibus indulgebat, eaque cum illis suavitate plena colloquia serebat, quae animum a terrenis abstractum et in superna abreptum manifesto ostenderent.

Quum sextodecimum ageret annum ad paternam domum Maria Anna est reversa: quae tamen senserat iam se ad altiora vocari. Forma licet speciosissima, vitae spernebat illecebras; quippe quae desiderio exardesceret ut ad sacra reverteretur claustra, et Carmeli regulam profiteretur. Septem vix apud parentes Maria Anna transegit menses; hoc sibi proponens, ut experiretur, an sui corporis gracilitas illius regulae rigorem toleraret. Clam, verita ne parentes maerore afficeret, noctu straminea in culcita iacebat; per diem vero ab epulis gustu suavioribus abstinebat, quicquid autem cibi sibi subtrahere posset, id in pauperes distribuebat. Quum

<sup>1</sup> Ex peroratione ab Auctore habita in S. Consistorio d. v mens. Martii MCMXXXIV.

<sup>1</sup> DANTIS ALIGHERII Par., XI, 1-3.

denique experimentum prospere cessisset, desiderium, huc usque compressum, Maria Anna parentibus aperuit. Sed Deus puerilae fidelitatem duro adhuc certamine probare volebat. Pater filiam a se divelli, quam in oculis gestabat, aegerime ferebat: quamvis autem filiae non resisteret, ne videretur Deo resistere, angorem, quo conficiebatur, non facile dissimulabat: ex quo Mariae Annae animus diversos in affectus acerrima non sine pugna distrahebatur. Hinc enim timebat ne Dei, si pietate erga patrem se moveri sineret, reluctaretur mandatis; inde vere anceps haerebat, an Deo fieret accepta, si ei tantum dolorem afferret, quem non modo summa reverentia sed singulari, ex ipsa naturae lege, amore prosequebatur. Verum caelum suspicioendo, ea constantia, quam supernum auxilium confirmabat, a proposito non recessit. Itaque kalendis septembribus anno millesimo septuagesimo sexagesimo quarto, Florentiae in Carmelite S. Theresiae monasterio est cooptata: ibi mense martio sequentis anni, Margaritae Theresiae a Sacratissimo Corde Iesu sibi assumpto nomine, sacram induit vestem; mox, anno transacto, ad religiosae disciplinae praescripta, monastica vota nuncupavit.

Quae fuerit Margaritae Theresiae monrum innocentia, quique vitae splendor, brevi sex annorum, quod illi superfuit, terrestris mansionis spatio, non mihi, quin huius orationis praetergrediar fines, facile dictu est: quum illi, quae tam exiguo curriculo virtutum omnium, in quibus cernitur sanctitas, attigit fastigium, divinae sapientiae elogium merito aptari possit: «*Consummata in brevi explevit tempora multa*».

Mirus animi candor, quem nec per verba iocosa obscurari patiebatur; ita quidem, ut quum famulam quondam audivisset paullo licentius sormocinantem, exemplo aufugerit, et lacrymis secreto in loco diu se tradiderit.


Eximia humilitas: in tanta conscientiae integritate, ut qui illam moderabantur, nec ullam detegherent peccati labeculam, flagellis tamen corpus excruciat, nec modo demisse de se sentiebat, sed se omnibus in monasterio, vel ancillis ibi in famulatum assumptis, peiorem existimabat: hoc sibi vitio vertens, se scandalo ac pravo exemplo omnibus esse. Si vero forte de culpa non admissa reprehenderetur, nec querelas movebat, nec immo se quodammodo excusabat, sed reprehendant ut de beneficio accepto gratias agebat.

Invicta constantia, qua tum corporis infirmitates, tum animi sustinuit angores; itaque, quum aegrotaret, nec de regulae austerritate, nisi obedientiae lege adstringeretur, deflexit; quumque, velut in supremam fidelitatis probationem, Deus eius animum adeo perturbari siverit, ut in precibus fundendis, in suis obeundis officiis, non amplius caelesti perfunderetur gaudio, sed humano opprimeretur taedio, crucem libenter est amplexa: quae enim pati et silere, ex Christi amore, constituerat nec solatium in cruciatibus querere videbatur.

Ardens pietatis studium, quo Deum colebat et ad caeleste convivium eo vultu, qui animum proderet in sublimia elatum accedebat. Quo sane studio ita alias incendebat, ut nihil haberent optatius quam eius exempla aemulari.

Singularis ei denique caritas, qua omnibus in monasterio se totam devovebat: aegrotarum monialium curam suscipiebat, in easque, quas fractas videret animo, consolandas incumbebat. Quae officia tanta benevolentia, tantaque comitate explebat, ut si quibus fortè vel morbi vis vel aerumnae morsus querelas et aspera verba ex ore eliceret, ea benigno exciperet vultu et dulci eloquio mulceret.

Sed iam hora adventabat, divino consilio praestituta, qua Margarita Theresia,



exsilium egressa, in patriam advolaret. Improviso morbo, florente aetate, correpta, acerbissimos ex eo dolores, non modo fortiter, sed iucunde pertulit; denique Nonis Martii anno millesimo septagesimo septuagesimo sponsi amplexu fructa est.

Sanctitatis fama, quae, viventem adhuc, Margaritam Theresiam comitata fuerat, post eius mortem adeo percrebuit, ut, iustis vix solutis, Florentinus Archiepiscopus de Dei famulae vita et virtutibus inquisitionem susciperet. Cuius actis Romam missis, Pius huius nominis VII, qui tunc Petri Cathedram tenebat, ut causa rite institueretur suo chirographo mandavit. Iis vero peractis, quae canonicae prescribunt leges, de heroicis famulae Dei virtutibus constare auctoritate Gregorii Papae XVI, octavo Kalendas Maias anno millesimo octagesimo trigesimo nono, sollemniter pronunciatum est. Post haec sexaginta per annos causa est in suspenso relicta, dum ineunte saeculo vigesimo, ea resumpta, et de binis miraculis quae a Deo, Dei famula deprecante, dicebantur patrata, investigatione facta, haec quinto Nonas Martias anno millesimo nongentesimo vicesimo nono approbata sunt.

Denique octavo Idus Maias eiusdem anni decretum «tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Dei Servae Theresiae Margaritae Redi a Sanctissimo Corde Iesu beatificationem» et per litteras Apostolicas quinto Idus Iunias, ut Dei famula in Beatarum referretur fastos edictum est.

Sed fideles, Beatae opem iterum iterumque experti, maioribus hanc augeri honoribus summopere cupiebant. Qua re ad Apostolicam Sedem undique confluencia vota benigne excepta sunt; quumque alia duo dicerentur accessisse miracula, an de hisce constaret ex Beatae deprecatione repetendis inquisitum est. De quo octavo Kalendas Februarias p. e. legitime constare Summus Pontifex pronunciavit: mox vero duodecimo Kalendas Martias

decrevit »tuto procedi posse ad Beatae Margaritae Theresiae a Sanctissimo Corde Iesu canonizationem.»

Ita factum est ut die xix sup. mens. Martii MCMXXXIV, una cum Iosepho Cottolengo, Parvae Domus a Divina Providentia Augustae Taurinorum conditore, ac Pompilio M. Pirrotti, Sacerdote e Scholis Piis, et Margarita Theresia Redi in Sanctorum coetum sollemniter a Pio Pp. XI adscita fuerit.

VINCENTIUS SACCONI.  
S. Consistorii Advocatus.

## DIVINI SPIRITUS REPRÆSENTATIO

APUD URBEVETANAM CIVITATEM

Notus in orbe universo ritus est, quo sabbato maioris hebdomadae utuntur Florentini; quum scilicet Angelorum hymnum in sacris eiusdem diei sollemnibus sacerdos canere incipit, volans ignis — (*columbellam vulgo nuncupant*) — ab altari ad currum regio more paratum transit, magnumque ibi fragorem, ignem et fumum excitat, constricta chartis calamisque pyrograna succendens, pro curru miro artificio disposita; proindeque ad altare reddit.

Non paucos vero ignorare censeo parem apud Urbevetanam civitatem in festo Pentecostes usum: parem quidem, sed aliquid mage humanum urbanumque praeferentem. Quod quidem non modo recordatione dignum mihi videtur, sed quod *Almae Romae* lectores probe cognoscant.

Itaque ubi ille dies advenit, quasi laetitia urbs tota exsultet, iam a sublucano tempore Urbevetana civitas a maximo natu ad puellum, stipatas undeque protruens in vias, densatur in foro coram tem-

pli portento — neque enim aliter frons illa aedificii caelo digna nuncupanda est — talisque affluit ac tanta apparet, ut in forum universam penitus civitatem demigrasse putaveris. Ascendent interea e finitimiis oppidis, vicisque et villis visuri rustici, quibus magnum argumentum est messis futurae, magna que portendit ritus, si secundis rebus omnia processerint. Atque haec omnia sunt, quorum memoria servatur si res praesagio responderit, atque in testimonium veritatis vocatur; minime vero si res aliter a praenuntiata ceciderit. Meridiana hora ritum absolvet, et votis et omnibus precibus quaeritur, invocatur ut adesse festinet.

Iamque super marmoreis gradibus, unde in templum aditus, erigitur aedicula lignea, auro et versicolori marmore cusrans, ad modum octagonae turris, architecturae, quam gothicam dicunt, templo ipsi maximo mirifice consonae. Haec autem turris quasi basis fit aedificii totius; quippe inde emicant octo columnulae, quas ordo coronat, ut integrum tabernaculum conficiatur, eorum instar, in quibus ex auro, ex argento, ex aere dolatis martyrum, xiv saeculo, reliquiae magnificentissime conabantur, quorum fama et arte hactenus tempa nostra florent et fulgent. Ab ordine capitellorum atque epistylio fornix ellyptica pulcherrime emicat, obelis, pyramidibus, simulacralis, floribus, sertis ubique consita, quasi in caelum tenderet, ipsum templi maximi aedificium frontemque imitata. Per intercolumnia vero prouidenti patent quotquot sub tabernaculo sunt: Deipara et Apostoli in preces effusi venturum Paraclytum exspectantes; patent insuper interiora coenaculi myrto, rosis, denique omnicoloribus floribus per parietes dimisis insignia, interserta, distineta, in encarpos, in lemniscos, in coronas distributis. Haec in gradibus et ante limina templi. Coram autem iis, toto foro interposito, in via quae in prospectu, sug-

gestum attollitur altitudine et contignatione spectabile, sericis pannis, aureis, purpureis, aulaeis undique fulgens, et super haec omnia eminet centrum quadam radios ex argento et auro conflatos undique diffundens et meridiano coram sole, solis instar, exardens, quod circumdant pictae nubes, millibus ab iride ad subfuscum distinctae coloribus, per quas angeli apparent seu librati pennis, seu quatientes alas, seu niveis induiti palliis, quasi veneraturi divinum Flamen, cui solium ipso in medio fulgoris. Flaminis autem divini imago vivens columba est.

Atqui meridies instat: turbae haerent inter se, nec in toto foro pedi locus est; densusque viro vir. Pueri exsilientes omnia implent sonitu tintinnabulis, tibiis, tympanis, tubis, dum propior musica civitatis hic ad suggestum, illic ad tabernaculum bipertito agmine implet aërem concentibus.

Iamque sacrum in templo litatum est; iamque Episcopus magno sacerdotum clericorumque comitatu, dum tremor tremorque, — tanta exspectatio est, — resipientium ossa quatit, ex hypetro Saracennii palatii, quod contra coenaculum est, appareat, signumque absolvendae caeremoniae dat. Tonant crepitantque nil nocentia pylocrasta a suggesto, et inter fumeas nubes et fulgurantes ignes, apertis patenis, sequentibus eam radiis, in quibus micabat, per deductum filum candida columba totam transtans plateam in coenaculum ruit, ibique stat. At in hoc incenditur compositus interior coenaculo ignis, vivaeque flammæ ardent pone Deiparae caput, pone capita Apostolorum, circumque hos et super et undique favillae, recursantes ignes, fragor omnia complent, dum aeneae campanae e turribus occupant aërem fragore, sonitu, tinnitu, dum plausus clamorque intuentium ferunt aethra, dum quo sunt instrumenta musica inflantur, nec fortasse cor exstat, in quod

non irrepat et serpat nescio quid usque ad lacrimas oculos inclinans. Felix in quem penna columbae casu delapsa ceciderit; quum illa e suo paradiso in coenaculum labitur! Experientia notuit — ita seniores — omnia illi in bonum converti, calamitates, siquae fuerint, ab eius familia domo excedere, bona omnia in eum convenire, aequa tamen conditioni.

Resne acta est? Delicatissimum quid restat adhuc. Clericus, violacea ueste ornatus, tabernaculum ingreditur, territamque tot fragoribus ignibusque columbam e sole illo radioso dissolvit, et refert. I, felix animal! Non te aestuentes campi, non hiemes, non milvii, non fames, non insidia, non nives ultra videbunt. Daberis solemne donum recentiori sponsae pulcherrimae, quae te omnino magno suscipiet, servabitque diu caram suavemque recordationem felicissimorum dierum, et pignus prosperitatis futurae!

A. F.

### NON OMNIS MORIAR!<sup>1</sup>

*Non morosa mihi sed adest iucunda senectus  
Quam minime horrescam nec removere velim;  
Nam si deficiunt iuvenales corpora vires,  
Non ita vis mentis debilitata fuit,  
Nec iam turbatur vitiorum motibus atque  
Mundanos fluctus ipsa serena videt.*

<sup>1</sup> Clarissimus auctor, Commentarii nostri socius, carminum suorum, quae, pro humilitate sua, inter amicos tantum vulgabat, fasciculum, a nobis iterum iterumque requisitus, recens ad nos miserat, cum facultate, que magis placerent, in *Alma Roma* edendi. Sed paulo post nuncium eius obitus ad nos delatum est! Tributum honoris ita postumum hodie viro desideratissimo moerenti animo solvimus hisce versibus, qui eius animi nobilem cursum digne concludere videntur. — I. F.

*Martini sancti est equidem quae dicitur aestas,  
Quam propere certe saeva sequetur hiems.  
Quid refert? Possum interea indulgere quieti  
Atque actae vitae tempora respicere.  
Heu! quot amicorum sum solus paene superstes,  
Quos leto iuvenes sors celerata dedit,  
Dum me, qui fueram a pueris infirmus et aeger,  
Tam multos annos iam numerare sinit.  
Quam multa ignarus tiro peccata patravi  
Ob laudis studium somnia vana sequens!  
Indignabar enim quod plerumque ambitioni  
Et non virtuti redditus esset honos,  
Quodque homines inter fiducia nulla vigeret,  
Nullus amor, contra lior et usque dolus.  
Tunc irasceret, placide nunc omnia specto,  
Quantum sit recolens ad mala pronus homo.  
Namque Deum esse scio qui prospicit atque gubernat,  
Attribuetque olim iura cuique sua.  
Nititur hacce fide mea iam proiecta senectus,  
Quam non omnino proxima fata movent.  
Iam foliis similes, quibus arbor luxuriosa  
Vere nitescebat, nunc spoliata iacet,  
Unus post alium multi excessere sodales,  
Et vivos digiti pernumerare valent:  
Qui quoque, cum gelidus ventus decusserit omnes  
Arboreas frondes, rite cademus humili.  
Quid refert? mortem solummodo corpus obibit,  
Ast animus contra vividus effugiet.*

*Non omnis moriar: prolectere corpora  
Solum mors poterit, tangere non valet  
Quem nobis animum iam Dominus dedit,  
Cum primum geniti sumus.  
Mors tamquam exitus est carcere ab horrido  
Illis qui niteant moribus optimis,  
Ast affert reliquis terribilem metum  
Qui sese male gesserint.  
Defunctos etenim iudicium manet  
Quo gestas hominum res Deus inspicit,  
Et quae quisque meret, vel bona vel mala,  
Cunctis distribuit statim.  
Quae spes immo fides non modo mitigat  
Aerumnas senibus, sed quoque suscitat  
Quamdam laetitiam, si bene vixerint,  
Propter proxima praemia.*

*Et quando invalidis obvia venerit  
Mors, quisquis poterit dicere firmiter:  
Non omnis moriar, nam melior mei  
Pars vitam incipiet novam,  
Quae, nostra hac potior, non mala continet,  
Non fraudes hominum, non odia acria,  
Sed mores placidos, omnia sed bona  
Quae cuiusque animus petat!  
Senis  
MANFREDUS TARCHI.*

### EX BATAVIA.

#### De certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXXXIII

Accepimus, et libenter edimus:

De quadringinta quattuor carminibus in certamine an. MCMXXXIII exhibitis ita est iudicatum:

Praemium aureum reportavit nemo. Sumptibus legati in volumen recipietur carmen c. t. *Prometheus*, si poëta eius scidulae aperiendae dederit veniam.

Sequuntur omnium carminum nomina:

1. *Noctilucae*.
2. *Alae! Sursum!*
3. *Puerorum epistulae*.
4. *Servorum Amores*.
5. *Imperiali via ad clivum Capitolinum*.
6. *Thusnelda*.
7. *Divo Paulo Athaenis Morante*.
8. *Gulielmo Marconi*.
9. *Ars Longa*.
10. *Nox tranquilla*.
11. *Hymnus in Solem*.
12. *Vespere ad Ripas Padi*.
13. *De Fascibus Renovatis*.
14. *Haec Lusimus Vacui*.
15. *Roma*.
16. *Pueri Rixantes*.
17. *Fides Servata*.
18. *Icarus*.
19. *Fabulae*.
20. *Tellus Mater carmen*.
21. *Crux Matris*.
22. *Anatome*.
23. *Vox Aeterna*.
24. *In Basilica S. Petri*.
25. *De Sacello Funebri*.
26. *Flamma Dei*.
27. *De Fuga in Aegyptum*.
28. *De Iesu Puer*.
29. *Ave, Maria!*
30. *Oratio Thomae*.
31. *Fasces Renovati*.
32. *In Christi Regis simulacrum*.
33. *Esequiae Pueri*.
34. *Pompeii*.
35. *Prometheus*.
36. *Menander*.
37. *Catulli Aegrimonia*.
38. *ΕΙΛΩΛΑ*.

39. *Prima classis altera*. 40. *Aetherea Somnia*. 41. *Heu, Miserande Puer!* 42. *Militum qui in Alpibus pro patria ceciderunt chorus*. 43. *Ad amicum epistula*. 44. *Ulixes*.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentative privati nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kal. Ian. a. MCMXXXVmittantur ad *het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam*, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in transcribendo portable prelum britannicum (*type-writer*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, si scidulae aperiendae venia dabitur. Id autem ante Kal. Iul. proximas fieri debet.

Exitus certaminis postremum in conventu Ordinis mense Aprili MCMXXXV pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, die 1<sup>a</sup> m. Maii, a. MCMXXXIV.

P. SCHOLTEN  
Ord. lit. acad. reg. ab actis.

### REVOCATIO

*Socios, qui huius anni subnotationis pretium nondum solverunt, rogamus, ultius ne remoren tur rationes suas nobiscum componere.*

**SAPIENTUM PERVESTIGATIONES**  
A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE  
LATINE VULGATAE

**NOTAE.**

**DE PRAESENTI STATU QUAESTIONIS CIRCA  
NUBES OBSCURAS COSMICAS.**

Iam plus quam tres anni sunt a quo e vita decessit P. Hagen; itaque opportunum videtur ut brevi quaedam referantur, quae ad quaestionem de nubibus obscuris cosmicis pertinent.

Regionem stellis vacuam inter duo brachia Viae Lacteae tamquam nebulosam observavit P. Hagen, quem, antea, ipsam constituere genuinam separationem opinatus esset. At in regione Cephei, ubi Schalin ex studiis photographicis invenit nebulas obscuras lucem absorbentes, Hagen caelum clarum animadvertis.

Pauci sunt qui nubes cosmicas "visualliter", inspicere conati sunt; inter quos eminet astronomus de Kérolyr. Cuius descriptio singularium regionum Herschelii satis congruit cum descriptione P. Hagen. Occurrunt tamen variationes non nullae.

In signo Orionis professor Graff visualliter nubem rubram reperit, quae partim nubibus densis P. Hagen respondet; est tamen notabilis quaedam discrepantia, quae ulteriore investigatione indiget.

Astronomi Elvey et Rudnick frustra usi sunt electrophotometro ad detegendam variationem lucis in nubibus cosmicis diversae concretionis.

De problemate photographico nubium optime meruit astronomus Haedrich Vin-dobonensis, tempori et labori non parcens ut in laminis photographicis tenuissimum nebulosarum velum ex caeli claritate diffusa emergendum curaret.

De nubium genuina existentia adhuc

dissentient astronomi. Dr. Bottlinger eas tamquam phenomenon physiologicum explicari serio est conatus ex praevalentia visionis extraforealis qua percipitur claritas coeli diffusa in regionibus a via lactea multum dissitis, ubi rarae sunt stellae lucidae quae impediant visionem extraforealem, sicut fit in regionibus viae lacteae vicinis. At non apparet quomodo in hac hypothesi reddatur ratio rerum singulorum, quae in configuratione nubium conspectae sunt.

Negari tamen nequit diversas adesse causas tum ex parte subiecti, tum obiecti, quae aestimationem concretionis nubium inficere possint.

Quapropter necessariae videntur novae eaeque accuratae animadversiones in alias regiones ab astronomicis expertis selectas cum instrumentis variorum generum.

Valde optanda remanet autem exploratio hemisphaerae australis.

I. STEIN.

**NOTITIAE.**

**DE NOVA RATIONE IN MODULANDIS UNDIS  
ELECTRICIS.**

Vulgo, ut notum est, modulatio undae portantis, in transmissione radiophonica, fit per variationem amplitudinis, quamvis adsint et aliae rationes, ut modulatio per variationem frequentiae vel phasis, quam tamen in praxim fere nunquam inducantur.

Novissima nunc ratio a Marconiana Societate experimento subiecta est, quae of the floating carrier dicta est: h. e. fluctuantis undae.

Iuxta hanc methodum intensio emissionis omnino ab ipsa modulatione gubernatur, ita ut nulla, vel fere nulla, sit absente sono transmittendo, et augeatur iuxta vim ipsius soni transmittendi.

Postquam probationes et mensurae in officinis peractae sunt, methodus ipsa in

publicam etiam transmissionem experi- menti gratia per aliquot dies inducta est, et omnino optatis satisfecit.

Praecipuum autem commodum est, ut patet, in deminutione vis erogatae, sed et relate ad doctrinam res consideratione digna appetat.

**DE NOVO CRYSTALLO OSCILLANTE**

Doctores S. Matsumura et S. Ishikaro ex Iaponia detegerunt proprietates oscillatores in turmalina, eiusque qualitates et frequentias excitatas statuerunt.

Vulgo turmalina eodem modo se habet ac «quarzum». Experimenta peracta sunt etiam ad altissimas frequentias excitandas per emissoriam stationem in summitate montis Fuji positam; h. e. ad altitudinem trium millium septingentorum et octoginta metrorum, ita ut plures per circuitum inquirere potuerint in intensitatem receptionis.

**COLLOQUIA LATINA**

V.

**Euntes in Iudum<sup>1</sup>**

ANTONIUS, MARCELLUS.

ANTONIUS. — Securusne ac timore expeditus in sphaeristerium vadis, Marcelle?

MARCELLUS. — Quid tibi ista percunctatio vis? Explicandum; non enim satis intello.

ANT. — Fabor ergo apertius. Contextuisti epistolam quam a nobis hodie requiret Praeceptor?

MARC. — Contextui et descriptam porto mecum.

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progimnasmata latinitatis*. — Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

ANT. — Praecurrit alacritas tua meam tarditatem. Quamquam haud ita pigritia me, ut chartae penuria, qua premebar, remorata est, fecitque ut meam non totam descripserim; serius quippe adeptus sum papyrum.

MARC. — Quid acturus, si poposcerit?

ANT. — Dum vestras emendat, interea quod reliquum est, nullo negotio describam. Hoc concessurum mihi spes est, si quidem aliis alias concessit.

MARC. — Ostende tuam scriptiōnēm.

ANT. — Hem!

MARC. — Quam foede tu pingis litteras! Gallinam scripsisse arbitror. Quam item vacillant versus!

ANT. — Dummodo legi queat scriptura, parvi duco tristia sint an laeta, pulchria visu an deformia elementa: versus ad amussim nequeo dirigere, quantumvis coner. Atqui non tam valde utraque laude mihi ante stas.

MARC. — Iudicium caeci.

ANT. — Aliter doceat me praceptor, si ipsi displiceo cum ipsis illepidis invenustis que characteribus.

MARC. — Abhorrent istae partes ab eius munere.

ANT. — At unde discam tandem? Quid tu nunc mihi auctor es?

MARC. — Aliquem peritum virum pacta pecunia conducant parentes tui, quem ad hanc rem magistrum capias.

ANT. — Attamen doctrina quoque spectati, et clari homines plerumque inscite atque indecora efformant figurās istas.

MARC. — Dici aliter non potest; verum non idcirco sunt docti, et tamen multi illorum decenter.

ANT. — Parentes mei — quod vitium se-nectus affert — attentiores sunt ad rem quam sat est; defraudant genium suum: vereor ut illis persuadeam.

MARC. — Adhibe procuratorem Magistrum, cuius unum verbum hic plus valebit quam centum tua.

ANT. - Rogabo ut hoc mihi opus surripiat.

MARC. - Ceterum, quae heri explicata sunt in Cicerone, si te forte nominaverit, poteris repetere?

ANT. - Nisi ipsem optuletur, parum bene; oblitus enim sum quorumdam, et quem domi interrogem habeo, praeter parietes, neminem.

MARC. - Haerenti subveniet. Ego insuper, quoad facere potuero, tibi opem feram.

ANT. - Mi optime Marcella, sponden' te mutuum esse facturum mecum, si in eodem luto haesitavero? Si necessitudo postulaverit?

MARC. - Spondeo firmiter.

ANT. - Salva res est.

## ANNALES

### Ex Iaponia.

Iaponia iterum universi orbis oculos animumque in se convertit. Qui enim illic exteris negotiis est praepositus, Hirota, publice professus est tempus advenisse quo civili rationi, quam a « patente porta » vulgo nuncupant, tandem aliquando finis imponatur. Inde enim factum esse ut Europae civitates in suam rationem, consuetudinem utilitatemque verterent officia cum extremo Oriente inita; Asiam, ex adverso, Asiaticorum tantum esse debere sub Iaponiae inspectione in universam Orientis civilem rationem, ne Sinarum quidem gentis exclusa. Propter hanc imprudentiam interpretationes variae vivacesque exortae ubique sunt; quin imo tum Anglicum tum Foederatarum Civitatum Septentrionalis Americae gubernium vehementes reclamationes ad Iaponicum misere; quod mentem suam explanare ita

studuit: se nempe non « patentis portae » rationem abolere omnino velle; non tamen se extraneum esse posse illicitis Sinarum conatibus ut ratione eadem abutentur.

Resne hic subsistet?

\* \*

### Arabum civile bellum.

Interea ex Arabia civile bellum nunciatur ab Ibn Saud, Saudianae provinciae regulo, excitatum, Yemen territorium sibi addicere contendente. Yemen autem senex *Imannus*, qui bellum abhorret, Fuad, Aegypti regis, intercessionem invocavit, suaque copias ex Hodeida urbe Sanam contraxit, ut Yemen caput hoc valide muniret.

\* \*

### Novum in Hispania administrorum collegium.

Dissentientibus Hispanicis administris, itemque Reipublicae praeside, de progressionibus novo regimini afferendis deque venia atque oblivione damnatis politicis concedenda, Lerroux eiusque collegae a muniberis suis se abdicarunt. Quamquam horum maxima pars in officium restituta est, praeside Samper, iam industriis prefectus, qui coram legatorum coetu legibus ferendis fidem suam totiusque administratorum collegii interposuit ab inita conciliationis via minime recessum iri.

Fiat!

\* \*

In Austria nova ex integro civitatis constitutio amplissimis suffragiis decreta est.

POPULICOLA.

*Vir prudens dirigit gressus suos.*

PROVERB.

## VARIA

### Quantum praesidii in verae religionis recto usu haberi queat.<sup>1</sup>

Samnites a Romanis persaepe paelio superati, et demum in Thuscia amissi exercitu ac ducibus militaribus, plane fracti esse videbantur, quum neque a Thuscis, Gallis aut Umbris, qui socii fuerant et una cum ipsis erant devicti, auxilium exspectare possent. Eoque iam redierat illorum res, ut de illis Livius dicat: Nec suis neque externis viribus iam stare poterant; tamen bello non abstinebant, adeo ne infelicitate quidem defensae libertatis taedebat; et vinci, quam non tentare victoriam malebant. — Ad huiusmodi angustias adducti, quum extrema quaeque experiri decrevissent, et intelligenter tamen se vincere non posse, nisi obstinatissimos haberent ad dimicandum militum animos, ad religionem ceu supremum remedium confugerunt. Nam ex libro vetere, sacerdote Ovio Pacio, homine magno natu, sacrificium ex antiqua Samnitum religione petierunt. Sacrificio perfecto, eorum Imperator per viatorem iubebat acciri nobilissimum quemque. Apparatus Sacri talis erat, qui animum religione perfundere posset. Nam locus erat cratibus conceptus in mediis castris, puteisque atque linteis confectus, patens ducentos pariter pedes in omnes partes. In medio aerae, victimaeque circa caesae et circumstantes centuriones strictis gladiis. Admovebatur altaris miles, ut victimam magis, quam ut Sacri particeps, adigebaturque iureirando, quae visa auditaque in eo loco essent, non enuntiaturum: deinde iurare cogebatur diro quadam carmine, in execracionem capitis familiaeque et stirpis composito, nisiisset in paelium quo Imperatores duxissent; et si aut ipse ex acie fugisset, aut si quem fugientem vidisset, non extemplo occidisset. Id primum quidam abnuentes iurare: obtruncati circa altaria sunt: iacentes deinde inter strages victimarum, documento ceteris fuerunt ne abnuerent. Hoc sacramento adstrictos, ut maiore religione tenerentur, variis etiam signis ornaverunt: nam ex quadraginta millibus quos collegerant, medium circiter partem vestimentis albis induerunt, iisque arma, insignia et cristatas galeas attribuerunt, ut inter ceteros eminerent; tandemque ad Aquiloniam considerunt. Sed adversus eos tamen Papyri consul dimicatus, ea omnia parvi fecit, et suos alloquens: Non, inquit, cristas vulnera facere, sed per picta atque aurata scuta transire Romanum pilum, et candorem vestium fulgentemque aciem, ubi res ferogeratur, cruentari. Haec omnia denique in illorum caput transitura, quum nefando sacro hominum pecudumque caudem miscuerint, et ob fracta toties foedera, Deos, cives atque hostes adversus sese irritarint. In conflictu tandem vicere Romani, quod illorum virtus maiorem Samnitibus metum incussisset, ob memoriam toties acceptae cladis, quam iis religio potuerit, vel virtutis vel pertinaciae, ad pugnandum infundere.

Quae etsi ita sint, videmus tamen manifeste eos rebus tantopere afflictis, ad religionem tamquam ad extrellum remedium confugisse, nec in ulla alia re tantam spem recuperandae virtutis posuisse; ex quo intelligere licet quantum praesidii quis in verae religionis recto usu habere queat.

\* \*

### Asinus silvestris.

Silvestris Asinus prostratum in sole mansuetum Asinum cernens, beatum illum iudicabat animo suo, qui et cute nitida

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI *Disputationibus de Republica ex prima decade T. Livii, lib. I.* - Latine reddidit H. Bindi.

et bene habito corpore esset. At mox videns eundem et onera ferre et ab agitatore fuste caedi: — « Non ego te — inquit — magis beatum esse duco: intellico enim cum quanta calamitate tua bona confusa sint ».

Fabula docet quae videantur commoda cum acerbitate saepe coniuncta esse.

\* \*

### Pro iudicibus mensarum elegantibus.

#### ESCARUM ORDO:

*Collyra ex pasta regia.*  
*Gadus merlucius elixus, garo piperato conspersus.*  
*Cistulae pullorum extis repletae.*  
*Pectus vitulinum in pistriño coctum cum solanis tuberosis recentibus.*  
*Scriblita millefolium.*

\* \*

### Locosa.

In horto zoologico.

— Haud quidem intelligere valeo quam de causa hae grues stent pede in uno.

TUCCIUS. — Procul dubio si ambos sustulissent, in terram decidissent.

Tuccius induit personam tragicam, seque dans avunculo in conspectum:

— Avuncule, — clamat — numne inter noscere vales qui sim?

— Aedepo! es nepos meus Tuccius!

— Atqui ego putaveram me adeo deformatum redditum esse, ut amplius agnoscere non possem!

### Aenigmata.

I.

(vulgo *Rebus*)

#### domus QUIES

II.

*Totum si a toto studeas cor vellere, lector  
 Conspice, Aegeis insula surgit aquis.  
 At si dimidio cordis plus sumere nolis  
 In galea reliquum tunc rutilare vides.  
 Relictam sume, at cordis par altera desit:  
 Quod restat Thraci non semel iura dedit.  
 Integer ecce tibi subigas, qui cuspidi naves  
 Incursus hostis vel superare queas.*

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Lacrima*; 2) *Dondona*.

### LIBRORUM RECENSIO

CLODOMIRUS ROSATI, *D. Francisci Assisiensis ex obitu;*  
*S. Antonii Patavini honoris causa;*  
*Ad honorem Sancti Aurelii Augustini;*  
*Iesu Christo Redemptori.*

S. Franciscum, nota facie et virtute fulgentem, auctor rogat, ut hominibus, tot malis laborantibus, subveniat.

Cuiuslibet preces et vota exaudit S. Antonius, cuius auctor bona et miracula celebrat. Non modo urbes, quae eius ortum et obitum aspicerunt, altera quae genuit, quae possidet altera corpus; sed universus terrae orbis eum colit.

Sancti Augustini, qui ceteros, ut aquila supervolat, auctor mentem et opera laudat, matrem Monicam memorat et ipsum orat, ut, non modo peccatores emendet, sed Ecclesiam tutetur.

Auctor ortum, vitam et obitum Christi celebrat, et Eum orat, ut, redeunte redemtionis anno, pacem in terras referat.

C. Rosati, maiora moliturus, variis metris, exametris, distichis, sapphicis, alchaicis, facili Musa utitur, fidem et mores aequo studio tutandos prospicit.

Anconae.

I. GARAVANI.

### DE ROBERTI SCOTTI

[26]

#### NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

Sequuta est atrocissima progredientium luctatio. Quidam Shackletonis socius in commentariis suis XVIII kal. Ian. anno 1909 scripsit eo die se totius mensis spatio primum adversa usum esse tempestate. Scottus contra et Scotti socii incredibilibus urgebantur procellis et extraordinaria caeli afflictabantur inclemencia. Adde illarum regionum frigora plerumque trigesimum gradum tenentia, adde effusas desuper nives, adde viae inaudita incommoda: intelliges Scottum scribere potuisse nullos unquam homines tulisse peiora quam postremis mensibus ipse et socii exhausissent. Impediebat iter non modo molles nives vestigio alte cedentes et passim diffissa glacies et solum sparsum nonnullis locis crystallis, sed cotidie fere illi nivium cumuli, qui ab Scotto *sastrugi* vocitantur. Sunt autem cumuli vel valla nivea, quae ventorum flamine in varias torquentur figuræ et fluitantibus vexillis similes etiam vexilla nivea<sup>1</sup> appellantur, per quas tractare traheas ingens est labor. Itaque saepe in commentariis queritur vel de soli foeditate, vel de adversa tempestate, vel de periculo sic assidue facinori imminenti, maxime quoties non impletus erat diurnus numerus chilometrum.

Perventum igitur est XVII kal. Dec. ad Cellam Amphoriam, quae facile est inventa. Abest is locus ab hibernaculo chilometra ducenta quadraginta unum. Data quies ibi bestiis. In reliquum tempus constituta chilometra vicena quaterna. Illius avenae, quam Scottus anno superiore hic

<sup>1</sup> Germanis: *Schneefähnen*.

resperserat venti observandi causa nullum est repertum vestigium. A. d. XII kal. Nov. procul conspectum signum viae maius, et ad punctum trigesimum gradus octogesimi primi iam sextum diem expectabant, qui relictis motoriis traheis praecurrerant. Qui bona quidem esse videbantur valetudine, sed premi se fame affirmabant. Scottus iussit secum procedere viam tridui, postea Day et Hooper redire ad Promontorium Euanum. Salvere illi sunt iussi VIII kal.

Postridie unus ex equalis quem Iehu vocitabant, inutilem prius bestiam postea tam fortiter opus facientem, ut inderent nomen « Miraculum Liminis » traiectus est plumbo. Dedit cenas quattuor canibus. Quum perventum esset ad trigesimum quintum punctum gradus octogesimi secundi in Cella Liminari media,<sup>2</sup> octonum dierum victum deposuerunt singulis, qui ex antarctide essent reversuri. Inde aegerime processum est propter adversos ven-

<sup>1</sup> Hic te monitum volo me instituisse Rossi glaciem « Limen Rossi » vocare. Cella igitur Liminaris erit *Barriermendepot*. Etiam illud tene numerari a circulo aequinoctiali ad utrumque globi polum nonagenos gradus latitudinis, inter se distantes chilometra centena undena. Singuli autem gradus dividuntur in sexagenas partes aequabiles, quas geographi minutus vel potius minutos (gradus) vocant; nos puncta fecimus. Quod porrigitur inter bina puncta intervallum et ipsum secatur in sexagenas partes, quae secundi ab aliis, a nobis scripula vocantur. Itaque ubi legeris: «perventum ad punctum trigesimum quintum octogesimi secundi gradus», intelliges distare quedam ab aequinoctiali circulo gradibus octoginta uno et triginta quinque punctis. Gradus, ut diximus, est spatium chilometrum centum undecim, puncta definitur metra millena octingena quinquagena; scripula metra tricenna et centimetra octogena.

superne pendentes, perpetuum haurire auribus strepitum cadentis nivis et inflatae tentorii telae, attractare vestimenta tenaci humentia madore, sibi concium esse extra tentorium undique album et sine colore opponi murum! Postrema illa nos cura sollicitat et angit: sic ad irritum cadere atque ineluctabiliter cadere totum consilium nostrum. Sed fortasse his ipsis difficultatibus vires nostrae ad extremos exagitantur conatus».

A. d. VI. Idus intermittente paulum vento primum effoderunt traheas, deinde tentoria in alium mota sunt locum. Et iam redeunte luce coeperant sperare, quum novae tenebrae obortae sunt, novae cadere coeperunt nives. Post meridiem Eduardus Evans subditis lignis pedalibus conatus est trahere pondus. Et promoverunt traheam quattuor onustam viris; sed ubi coeperunt depositis vehere pedalibus, ad genua usque impressere nivem et adhibitus equulus immersus ad ventrem est. Sed vesperi thermometrum descendit infra zerum usque ad gradum tertium et solis radii, qui rari nubium penetrabant stratus, hominibus reddiderunt spem itineris. Neque ea fecellit. Nam postridie hora octava profecti totumque diem luctati cum difficultatibus viae, ad vesperum venerunt ad locum, a quo non nimium longo spatio aberant illae fauces, quas Shackleton «Por tam Invectionis» nominaverat. Ibi statione facta equulos ad unum omnes interfecerunt, qua ex re illa statio—sunt trigesima prima,—Lanionia dicta est. «Inviti, inquit Scottus, fecimus ut tam mature caedemus post tot labores bestias, sed erat necesse». Canes non male currebant, sed ob eam rem non satis in eis adiumenti, quod per tantas nives impares erant maioribus oneribus. Est apud Scottum regionem illam fuisse pulcherrimam. Nam tres immenses scopuli saxi graniti Portae illius dextrum murum faciebant, montis Hope pars prominens sinistrum. Et quem omnia

opplerentur adhuc nivibus et dubia esset rerum fiducia, omnes sociis hilariter iocabantur.

Postero die, qui fuit a. d. IV. Id. Dec, quum merces recte distributae in traheas essent, profecti, facilius movebant onera, quam erant opinati. Et quod animadverterant massa nivea ligno facile adhaerente atque congelante factum esse, ut vix promoverent traheas, diligenter harum pedes abraserant et siccaverant. Ubi autem Shackleton duram giaciem invenerat, Scotti socii ita laborabant in tractandis traheis, ut iumenta vehentia nivalia aratra. Non igitur mirum, quod Aktinson duci nuntiavit Wrighti paene absumptas vires esse. Etiam Lashly vehendo vehementer debilitatus erat. Quid futurum est — exclaimat sociorum princeps, — si sociorum franguntur vires? Se ipsum opipare valere confirmat, neque se quidquam sollicitari pro illis, quos ipse duceret: Edgarem Evans robustissimum esse hominem, Oates et Wilsonem valere. Antequam stationem trigesimam secundam reliquerunt, instruxerunt Cellam glacialis inferiorem. Tum usi diligenter pedalibus, ipsum glacial ascenderunt vix animadverentes multisdam se transcendere glaciem. Simulatque compressa glacies superata est, Scottus canes consistere iussit. Tota supelleculi constipata in traheas tres, Mears et Dimitri cum canibus redire coeperunt.

Ex reliquis sociis, quod parum cavebant, quinque obcaecati erant nivibus. Paucis diebus post, XVI. kal. Ian., metra mille et septuaginta magno labore ascenderant, et mons Hope longe remotus adhuc videbatur.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonea,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

# ALMA ROMA

QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.



*Nuperrime prodiit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorein venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ilis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 475 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 950, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXI

Romae, Mense Iunio MCMXXXIV

Fasc. VI

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXIV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicica lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96*.

### EX AMERICIS.

#### De discrimine inter Paraguayanensem et Bolivianam civitatem

Iam duo fere annos iuniores Americae Meridionalis populi, civitates nempe Paraguayanensis atque Boliviana, bello exitiali et eo funestissimo miserrime dilacerantur.

Quae fuerint proeliandi causae haud facile discerneret; plurimae, sicuti ego aestimo, sunt, sed fortasse praecipua, pomum videlicet discordiarum, est contentio diu agitata de possessione illius regionis, quae vulgo *Chaco Boreal* audit, in qua duo populi iura sibi inesse sumunt. Quae causa non est insolita apud nos; plures enim in America Meridionali, et quidem inter alias nationes, exortae sunt praeteritis annis de finibus definiendis lites; quae tamen, Dei providentia, bona favente Praesidum voluntate, alicuius nationis arbitrio feliciter solutae sunt, quum recursus insano bello minime fieret. Bolivianis vero et Paraguayanis visum est armis litem dirimere, et sic lacrimabili fato tot ruinas, tot cadaverum acervos, tot cruoris rivulos provocavere!

*Qui non mortalia pectora cogit auri sacra fames?*

Incredibile memoratu est qua sollicitudine, quo ferventi studio finitimi populi et imprimis Respublica Argentina, Brasiliana atque Cilena (quae, formula contracta, ABC americanum vocantur) paci belligerantibus ferendae operam dederint. Propositiones conciliatorias edere, castra invicare, moderatores supremos illorum populorum per litteras etiam rogare, in duicias proponere, prorsus nihil intemperatum relinquere, quo ad mitiores bellantes verterentur cogitationes.

Suprema etiam Nationum Societas, plurimis ad utriusque reipublicae Praesides admonitionibus sive per litteras sive per telegrammata frustratis, legatos misit, qui cum illis de pace agerent: ii, quo facilius sua cuique iura decernere possent, res in theatro bellicarum operationum, ut aiunt, perpendere statuerunt. Sed inlustrium illorum hominum altissima rerum civilium sapientia atque peritia, populorum cupiditati insatiablem satisfaciundae impar omnino evasere; ex quo factum est ut post aliquot inanis laboris menses, desperata conflictus solutione, infecta re domum revertere coacti fuerint.

Quid plura? Anno praeterito labente, Conventus Panamericanus xi, Montevideo in urbe Uruguaianae civitatis capite, pra-

sentibus totius Americae Meridionalis nationum legatis, sollemniter celebratus est. In eo conventu summi illi viri, quum de rebus plurimis disputarent quae ad Americanorum populorum incrementum pertinenterent, oculis ad nationes sorores belligrantes conversis, enixis precibus ab eis flagitaverunt ut, odio et ambitione depositis, de pace cogitarent; quas preces audire illae visae sunt, nam arma ad tempus deponere et interim tractatus conciliationis sedulo considerare statuerunt, ex quo pacem denuo in Americam advenisse optimus quisque arbitrabatur. Sed frustra tempore induciarum elapso, quolibet conciliationis proposito relecto, armorum strepitus rursus et quidem infensius intonuit.

Quod ad rem militarem pertinet, Paraguiani etsi numero multo inferiores, Bolivianis tamen cum virtute, tum rei militaris peritia longe praestare videntur; accedit quod locus ubi bellum geritur prope est urbibus et oppidis Paraguianis, imo ipsi in suo territorio dimicant, et potius suarum rerum defensores quam alienarum invasores sunt; ex quo fit ut milites, arma, impedimenta sive per naves (multa sunt in ea regione flumina) sive per currus facillime atque celerrime transvehi possint. Quisquis igitur colligit victoriam hactenus his arridere.

In tanta rerum perturbatione et Summi Pontificis vox pacifica audita est, et veluti arcus pluvius in caelo rubro sanguine fumante splenduit. Pio XI rogante, iam antea bello gerendo destiterant utriusque republicae Praesides. Quae si postea perficere non potuit, praestitit tamen ut humanitatis actus eae nationes exercerent, quem ad modum bello Europeo novissimo Benedicti XV rogatu nationes bellantes egerant; scilicet ut festo Nativitatis Domini a proeliando abstinerent, ut captivos conmutarent, ut militibus eorumque familiis opitularentur; quarum legationum auctor fuit Excmus atque Rmns

Philippus Cortesi in Argentina finitimisque nationibus Nuntius Apostolicus, qui hoc ineunte anno Assumptionem, urbem Paraguaianorum caput, petiit ibique captivos Bolivianos armis ferendis impares in patriam restituendos curavit.

Adestne periculum, ut ceterae nationes Americae Meridionalis, et praesertim finitiae, alia aliam iuvantes belli incendio funestissimo abripiantur? Nondum, divina opitulante Providentia, haec calamitas advenit: imo plures pacto sese non miscendi alieno bello sese adstrinxerunt; et pactum servavere. Quid erit in posterum? Quae dies novissima immanis belli? Una Dei scientia id novit. Faxit ut periculum huiusmodi ab iunioribus istis populis procul sit; quae spes etiam ex proximo Eucharistico Oecumenico XXXII Coetu Bonis Auribus mense Octobri celebrando affulgere videtur. Hostia Immaculata Agni pacis primo in America Meridionali tam sollemniter extollenda, sit reconciliationis praeconium optatissimum, sitque pacis Americanae signum perenne!

Corduba (Arg. Rep.), mense Maio MCMXXXIV.  
P. ARDIZZONE.

## DE AVITO POËTA EIUSQUE POËMATE DISCIPULIS, EXEMPLIO, PROPONENDO

Alcimus Ecdicius Avitus, Viennae in Gallia natus, medio quinto saeculo floruit. Patrem viennensem Episcopum anno nonagesimo et quadringentesimo in eadem episcopali cathedra exceptit, ibique ad annum quingentesimum sextum et vigesimum, fidem orthodoxam ab omni haeretica labore defendens, sanctissime sedit. Burgundiorum Regem Sigismundum, Gondebaldi filium, ex arianorum errore ad catholicae doctrina apprime clarus e *Genesi* atque

*Exodo* materiam deducens mosaicam narrationem exametris luculenter exornavit, eiusque poëmata ita inscribuntur:

*De origine mundi.*  
*De peccato originali.*  
*De sententia Dei.*  
*De diluvio mundi.*  
*De transitu maris rubri.*

Ex his tria prima poëmata, argumentum Miltonio illi anglo subministrasse videntur; talis ac tanta est rerum congruētia. Reliquit etiam:

*De consolatoria castitatis laude.*  
*Homilias.*  
*Epistolas;*

quae omnia in MIGNE (*Patrologia Latina*) continentur. Epistolae magni ponderis sunt, si historicam fidem illius temporis respexeris.

Inter poëtas christianos qui a VI ad VIII saeculum floruerunt, Avitus longe praestat. Nil prorsus amittens de eo quod ipse habet suum, Vergilium, Sidonium Apollinarem, Iuvencum atque Sedulium imitantur, nullaque habita cunctatione, ex eorum flumine aquas haurit, sed cum salis mica; cuius rei causa ea quae invenit in suam potestatem deducit atque ita nova poëmata condit. Singulas partes subtiliter resipienti, facile apparebit rem omnem sapienter esse distributam atque omnia quae sequuntur cum principiis ita congruere, ut nihil quod in argumentum non cadat, inveniatur. Singulae res singulari cura pinguntur, ita tamen ut ea proclivitas atque illud studium, legentem non officiant. In versibus, qui clare atque concinne procedunt, agnominationem plerumque repieres; inveniendarum copia eum nitere intelliges eumque ad excogitandum ingeniosum atque sollerter repereris. Fabulam ex artis scenicae legibus ita panagit, ut non sine laude cum Miltonii illo *Paradiso amissio* conferri possit. Neque Marius Victor († 425) qui Moësis expositionem secutus ab origine mundi ad eversio-

nem Sodomis fabulam dicit; neque Dracontius qui, ineunte v saeculo, *Hexameron* quamdam reliquit, ii sunt qui cum Avito conferri possint.

Specimen dabimus in quo beatam *Protoplasmorum* vitam, in *Paradiso terrestri*, luculenter canit:

*Utitur interea, venturi nescia casus,*  
*Libertas secura bonis, fruiturque beata*  
*ubertate loci. Largos hinc porrigit illis*  
*tellus prompta cibos: fruticis quin alter opimi*  
*sumitur assiduus tenui de cespite fructus.*  
*At si curvati secundo pondere rami*  
*mitia submittunt sublimi ex arbore poma,*  
*protenus in florem vacuus turgescere palmes*  
*incipit inque novis fetum promittere gemmis.*  
*Iam si praedulces delectat carpere somnos,*  
*mollibus in pratis pictaque recumbit herba.*  
*Cumque voluptati, sacrum nemus offerat omnes*  
*delicias opibusque novis se praebat amplum;*  
*sic epulas tamen hi capiunt escamque requirunt,*  
*compellit quod nulla fanes nec lassa favenda*  
*indignus hortatur compleri viscera venter.*  
*Et nisi concessum libuisset noscere pastum,*  
*esuries ignota cibos non pasceret ullus*  
*nullaque constantem fulcirent pabula vitam.*  
*Tunc mens intactos serbabat candida visus,*  
*Angelicae qualis narratur gloria vitae*  
*sidereas habitare domos, qualemque redemptis*  
*spondet reddendam mortis post tempora Christus.*  
*Cessabit gemitus, luxus, metus, ira, voluptas,*  
*fraus, dolor atque dolus, maeror, discordia, livor;*  
*nullus egens, nullus cupiens, sed pace sub una*  
*sufficiet cunctis sanctorum gloria, Christus.*

Quae retulimus non inepte cum aurea Ovidii aetate conferri possunt. Sed hic praetereundum non est Ovidium poëtam fuisse non equidem magnis cogitatis opinionibusque informatum, ut se Vergilius atque Horatius ostendunt; nec eum magnis affectibus animique motibus compulsum esse, ut Tibullus Catullusque se praebent. Ovidius magnis animis magnoque furore poëtico non gaudet, tenuiter ac leviter cogitata, ipse mirifica arte exornat. Quod certe in Avito nostro non cadit; ipse enim non falsa canit, sed omnia vera sinceraque fide proposita; non poëticæ artis floribus ille tantum enutritur, sed Christi fide, cuius in defensionem virginis virginitatis florem ob-

tulerunt, martyres vero ipsum sanguinem effuderunt. Quibus propositis rebus, Ovidium audiamus. Ipse pene eadem canit quae Avitus, sed non eadem Camoena:

*Aurea prima sata est aetas quae vindice nullo sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat. Poena, metus aberant; nec verba minantia fixo aere legebantur, nec supplex turba timebat iudicis ora sui, sed erant sine vindice tuti. Nondum caesa suis primum ut viseret orben montibus in liquidas pinus descenderat undas nullaque mortales praeter sua litora norant. Nondum praecepites cingebant oppida fossae; non tuba directi, non aeris cornua flexi, non galeae, non ensis erat: sine militis usu mollia securae peragebant otia gentes. Ipsa quoque immunis rastroque intacta nec ullis saucia vomeribus per se dabat omnia tellus; contentique cibis, nullo cogente, creatis arbuteos fetus montanaque fraga legebant cornaque et in duris haerentia mora rubetis, et quae deciderant patula Iovis arbore glandes. Ver erat aeternum, placidique tepernitibus auris, mulcebant Zephyri natos sine semine flores. Mox etiam fruges tellus inarata ferebat, nec renovatus ager gravidis canebat aristis; flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant, flavaque de viridi stillabant illice mella.*

(Metam. I, 89.)

Eadem quae Tibullus cecinerat, Ovidius canit; audivimus enim:

*Nondum caeruleas pinus contempserat undas... Itlo non validus subiit iuga, tempore, taurus..., Non domus ultra fores habuit... Non acies, non ira fuit...*

(II, 1-3)

Sed apud Tibullum omnia breviora atque luculentiora inveneris. Apud Avitum et quae congruentia inveneris cum Ovidio et Tibullo, novo quodam adflante spiritu dicta leguntur. De tellure ita canit:

*...largos hinc porrigit illis tellus prompta cibos.*

De arboribus:

*Protenus in florem vacuus turgescere palmes incipit inque novis fetum promittere gemmis.*

De cibi necessitate:

*Sic epulas tamen hi capiunt escamque requirunt, compellit quod nulla fames, nec lassa fovendo indignus hortatur compleri viscera venter.*

Nec diutius in his morari licebit, sed matieres prorsus innovatur, quum poëta Fidem christianam attingit:

*Tunc mens intactos servabat candida visus, angelicae qualis narratur gloria vitae Siderea habitare... domos... Cessabit gemitus, luxus, metus, ira, voluptas nullus egens, nullus cupiens... sufficiet cunctis sanctorum gloria, Christus.*

Candide lector, non te pigeat mihi respondere: Videturne tibi melius latinus sermo tantum ex paganis scriptoribus disci posse an non ex christianis? Nostra humanitas unde sumpsit initium? Ex paganis an ex christianis scriptoribus? Non erit dolendus ostracismus, quo, ineunte xv saeculo, nostri scriptores de scholis pulsi fuerunt, ut tantum ethnicis locus daretur? Verum est illud Flacci:

*Exemplaria graeca nocturna versata maru, versata diurna,*

sed id Christifidelibus dictum non est; alioquin dixisset: *evangelica exemplaria*, si in rebus omnibus, Flaccus, gravis sententiae ac prudentis consilii vir, gloriam per tempora meruit.

Revertamur ad fontes nostri cultus cogitantes non Ethnicos scriptores sed Christianos fontes fuisse, unde nostra prima humanitas fluxit; si vero artium aedificandi vel pingendi cultores maxima veneratione colunt eos artifices, quos *primitios* vocant, seu *praeraphaelitas*, quae causa erit cur nos latinum sermonem discentes ad eos Christianos scriptores mentem non advertamus, ut inde exemplaria sumamus? Neque Giottus neque Brunellescus prae oculis latina vel graeca exemplaria in pingendi vel in struendi arte habuerunt, nihilominus ad eam excellentiam per venerunt, qua summi magistri tunc habentur, et nunc quoque habeantur.

Nostros possidentes, quae dementia fuit Ethnicos requirere!

A. AURELI.

## AMOR ET SUPPLICIUM<sup>1</sup>

Mane novo lymphas sumit Primilla catino, Impluviaque nemus rigat, et lavat atria, [moxque Munditas facit, et scopis bene limina verrit; Lassula serva sedens tandem requiescit in oeconomia. Interea tenero mammas hera praebet alumno, Contemplatur amans carum caput, atque benigna. Demulcet dextra; limis Primilla tuetur Complexus, tacitoque trahit suspiria corde. Invidet infelix matri, quae nutrit albumnum Ingenuum. Vocat ancillam Matrona: « Quid, [inquit, Maeres torva tuens? Quaenam te cura remordet? Huc, Primilla, veni, puerum nunc accipe [nostrum ». Excipit infantem, viridique vagatur in horto, Et tristis queritur Primilla sub arbore secum: Heu! grave servitum cogor perferre patique, Gaudia nec possum iuvenalis carpere vitae: Fortunate puer, tu risu noscere matrem Tandem coepisti, sed inops ego servula nata Ubera iam quondam lactens servilia pressi, Et me tum teneram lacrimis madefecit obortis Infelix mater, magno confecta dolore: Quam quo iam cessisse rear? Quae verbera [dicam, Quae fera probra pati? Duro fortasse flagello Vapulat, atque gemens vivam reminiscitur illa Prolem, nec capit in tanto solatia luctu! At me maternis turpis divellit ab ulnis Mango: tunc invita domo, matercula, cessi, Et fudi lacrimas, semperque miserrima vixi! Sic gemit, atque suos animo iam volvit amores, Supplice voce Syrus Dominum: Dulcis- [sime rerum, Salve, sum frugi servus patiensque laboris: Si bene quid de te merui, concede benignus Nunc mihi Primillam sociam, quam semper [amavi.

<sup>1</sup> Hocce Carmen, cuius titulus erat SERVORUM AMORES, Auctor Amstelodamum miserat. Sed in dubium ponimus an Hoeufftiani Iudices severi nimis de eo fuerint, quum illud silentio praeterire censuerint. — A. R.

Tum Dominus: Sociam tecum duc denique  
[servam,  
Afflet, et usque Venus formosa secundet  
[amores.  
Servus agit grates, dulcemque revisit ami-  
[cam:  
Explicit tandem frontem Primilla, Syroque  
Adrisit, cupidique simul tunc oscula iungunt.  
Egressique domo clarâ versantur in urbe,  
Atque hilares ambo consistunt ante tabernam,  
Auro quae facto micat argentoque nitent:  
Auribus hîc nitidis sociae Syrus aptat inaures.  
Iam nox atra subit, stellisque micantibus  
[aether  
Palpitat, et properant cubitum discedere servi,  
Deliciisque simul placidoque fruuntur amore.  
Longa quidem tulerat praegnans fastidia  
[serva,  
Cum tandem parit infantem sub nocte silenti:  
Iam studiosa locat natum Primilla tenellum  
Mollibus in cunis, capitique dat oscula caro.  
Inque dies magis et magis infans floret, et  
[almam  
Caeruleis blandus matrem miratur ocellis:  
Quantos illa tulit dubio tum corde timores!  
Ecce supercilium duro matrona minatur  
Ancillae miserae: furit, infremit, urget, et  
[ipsum  
Eripit increpitans genetricis ab ubere pupum,  
Qui tremulis implet querulus vagitibus auras.  
Pallet inops, metuitque suo pia servula nato,  
Nocte dieque gemit vigilantibus excita curis,  
Et queritur maerens caro cum coniuge saepe:  
Nonne vides? inquit, fatis vexamus inquis,  
Nil nisi flere datur. Supplex ego carmina  
[Christo  
Usque cano, Syre, si dominam placare se  
[veram,  
Et placidam possim tecum producere vitam.  
Eveniant optata, Syrus respondet, amicus  
Adsit nunc nobis Christus: Deus optimus ille  
Unus adest, terramque simul caelumque gu-  
[bernat,  
Et nos divino sumus omnes semine nati.  
Iam stabili Deus almus Adam bene iunxit  
[et Evam  
Connubio primum, sanxitque benignus amo-  
[rem:  
Possumus in Christo certam sperare salutem.  
Nunc nos legitimo vinclo, Primilla, sacerdos

Jungat; namque fidem satis est, conserva,  
[dedisse  
Aedibus in sacris, simul et coniungere dextras,  
Nec quisquam poterit sanctum rescindere  
[foedus.  
Cui mulier: Dominus nostro nunc adsit amor,  
Dulce pati, tecumque mori, carissime coniux,  
Est mihi: quicquid erit, Christi pia iussa se-  
[quamur.  
Ecce domo discedit herus cum coniuge  
[carâ:  
Tum Syrus: Ausulta, iam templi limen adire  
Tempus, ait, coniux, opus est nunc pectore  
[firmo,  
Coniugium reddat sanctum iam rite sacerdos.  
Exspecta, Primilla, domi paulisper, adibo  
Ipse sacerdotem solus. Tu momine cunas  
Nunc quate, perge canens puerum sopire  
[querela.  
Discedit Syrus, et dextrâ matercula pellens  
Naviculum suavi solatur carmine pupum.  
Nunc ardescit amans, nunc pallet, et haeret  
[in uno  
Obtutu: iam nil aliud pia percipit, atque,  
Dum stupet in puero desperita, talia fatur:  
Invigilo tibi semper amans, mi pupule: tecum  
Est mihi dulce pati deliciisque frui.  
Rebus in adversis genu te serva, nec ulla  
Iam tibi nascenti stella benigna fuit.  
Heu! luges! quid vis? Ego sum paupercula  
[mater.  
Bellula quâ possum dona parare tibi?  
Sat maternus amor tibi sit, dulcissime rerum,  
Princeps tu semper sis in amore meo.  
Usque novis studiis, dum me nova cura re-  
[mordet,  
Immorior, timeo nocte dieque tibi.  
Forsan mox moriar, nec te florere videbo,  
Nec potero rectum more docere meo.  
Disces et saevum dominum rigidumque fla-  
[gellum,  
Auxilium frustra, nate, rogabis inops!  
Ad mea saepe gemens venies, tu, pupule,  
[busta,  
Et, moriente die, cum prece serta dabis.  
Conticuit mulier: puer expurgiscitur, atque  
Iam ridens dulcem patulis miratur ocellis  
Matrem: mox coepit proferre micante labello;

MAMMA! Stupens audit mater studiosa lo-  
[quentem,  
Et: Ride, puer, exclamat, dulcissime rerum,  
Coepisti tandem matrem, Lucille, vocare!  
Admiratur amans carum Primilla puellum,  
Ac sequitur leni fluitantem carmine cymbam:  
Dormi, care puer, iam sol se condidit undis,  
Et placido surgit lumine luna pia.  
Cur tu lacrimulis contristas, pupule, vultum?  
Obdormi: rutilant sidera blanda poli.  
Tune doles, matrem quod cernis saepe do-  
[lentem?  
Pro te, nate, libens aspera quaeque fe-  
[ram.  
Ingeminant curae, mox te sine forsan abibo,  
At non deficiet, nobile munus, amor.  
Afflatuque meo te mobilis umbra fovebo,  
Et praesens adero Numen, ocella, tibi.  
Aura, veni, dulcemque fove placidissima  
[natum,  
Dormi, dulce caput, conde, tenelle, genas.  
Ecce puer suavi pacatus carmine dormit;  
Moxque redit Syrus, et: Primilla, susurrat,  
[eamus,  
Iam propera, nam nos exspectat in Aede  
[Sacerdos.  
Tum surgit dubio conserva miserrima corde:  
Spectat inexpleto sopitum lumine natum,  
Atque gradu cedit lento, sequiturque ma-  
[ritum.  
Aedes iam subeunt, sacramque morantur ad  
[aram  
Ambo poplitibus flexis, et denique palmas  
Iungunt, dantque fidem. Dextram bene rite  
[Sacerdos  
Sustulit, atque humiles tandem Cruce signat  
[amantes.  
At de connubio factus iam certior Aedes  
Ingreditur dominus, subitoque exarsit in iras,  
Moxque: Fidem mihi vos, clamat, fregistis  
[iniqui:  
Par iuvenum res est mea, nunc age, redde,  
[Sacerdos  
Tu famulos mihi, iura tenax mea persequar  
[usque.  
« Servus non est res, sed habet caput, – in-  
[tonat alter:  
Iam coram Domino, qui ius ac fas dedit  
[omne,

Rite fidem sponsi devoto corde dedere.  
Nonne Dei legem nosti, ritusque sacrorum?  
Non est Iudeus, neque vero Graecus in orbe,  
Non servus, neque liber adest, non femina,  
[nec mas,  
Omnes in Christo nos vivimus et sumus  
[unum:<sup>1</sup>  
Ille quidem sacro vinclo bene iungit amantes;  
Quod Dominus coniunxit homo ne separat:  
[unâ  
Legitimo iunctos vinclo sine vivere sponsos:  
Da ius iurandum, sodes. et mox tibi tradam  
Illos». At fallax dominus tum iurat ad aram  
Moxque domum famulos furibundus ducit,  
[et infit:  
« Vestra quidem, fateor, seiungere corpora  
[nolo;  
Iungam vos potius nodo, vincisque tenebo  
Arctis usque simul: miseri, lugebitis ambo:  
Inque meis hortis atrum mox ipse sepulcrum  
Effodiam vobis, gelidisque iacebitis umbris». Pallet ad haec sponsus, lugetque miserima  
[coniux:  
Usque gemunt, lacrimisque madent manan-  
[tibus ambo.  
Ingrediturque nemus, viridique sub arbore  
[maestum,  
Ecce fudit dominus vivis validisque sepul-  
[crum!  
At vox auditur pueri tristisque querala,  
Et subito tremulis vagitibus assonat Echo:  
Agnoscit notas genetrix moritura querelas,  
Excudit, palmisque premit cor perdita  
[serva:  
« Siccine perget, ait, matrem puer usque vo-  
[care?  
Inveniet nusquam? Tumulabor viva sepulcro?  
Nos sub humo simul insontes moriemur  
[opacâ?  
O here, parce tuis famulis, miserere dolentis  
Matris, nunc miserere patris, natiq[ue te-  
[nelli!»  
Durus ad haec dominus manet, et vepallida  
[serva  
Ingemit incassum, lacrimasque effundit ama-  
[ras;  
Iam, desperatis rebus, petit impete cunas,

<sup>1</sup> V. epist. S. PAULI, *Ad Galatas*, cap. III, 28, et *Ad Colossenses*, cap. III, 11.

Amplexatur amans puerum lugubris et amens,  
Oscula summa suo genetrix affigit alumno.  
Singultus diu, cunisque immobilis haeret  
Flebilibus, veluti niveo de marmore signum.  
At dominus servam iam mollibus eripit acer  
E cunis, raptatque piam per opaca locorum:  
Ecce ligat, foveaque simul componit in udâ  
Corpora; sed capto tamen haesitat ille li-

[gone:  
Spirat adhuc Syrus: at tantum perferre do-

[lorem

Servula non potuit, quae vitam pallida fundit.  
Ut primum sceleris rumor percrebuit, ecce  
Funereos properans hortos petit ipse Sa-

[cerdos,

Vinclo qui sacro paulo ante iugârat amantes,  
Et: Patrare, fremit, potuisti, perfide, tantum  
Tu facinus? Sic ius servas? Dabis, improbe,

[poenas.

Sic fatus misero iam solvit vincula servo,  
Qui se tollit humo, stupet, et (miserabile  
[visu!)

Aspicit immotam sociam, lugetque misellus.  
In gelido iacet exanimis Primilla sepulcro,  
Succisus veluti frondens hyacinthus aratro,  
Qui cadit, ac tenerâ languet vepallidus herbâ!  
Undique convenient iuvenes timidaeque

[puellae,

Et deflent omnes simul, et miserantur ini-

[quam

Maesti servorum sortem, dum personat auras  
Flebilis in tectis pueri vox usque relict!

Radicena in Bruttiis.

FRANCISCUS SOFIA ALESSIO.

#### ADNOTATIONES

Severae apud Barbaros, in Media Aetate, leges  
de servitute erant. Infelix plebs propter inopiam  
libertatem facile amitterebat (Vides: *Monumenta  
Germanorum legum*, t. IV, V).

At sensim servorum condicio mitior facta est  
Christianâ doctrinâ et legibus, quas Romani Pontifices  
tulerunt (Cf. S. GREGORII Epist., III, 1).

Ecclesia vero in locum contubernii sacrum coniugium  
et pacis inveniunt homines omnes, ita  
longe a Christo dissolutionem animorum,  
contentiones ac nefaria bella: id enim  
tandem experti sumus ipsi atque experimur  
quotidie; nec alia est tam multo-

Tum vero domini, qui servos tamquam res ha-  
bebant, Ecclesiae praecpta respuere et servis re-  
sistere, graviterque saevire cooperunt. (Cf. S. GREGORII TURONENSIS *Historiam Francorum*, lib. V, p. r.).

Servi, qui nuptias, invito domino, religiose ce-  
lebrabant, quandoque immani supplicio affecti sunt.

.....

#### DE HODIERNAE VITAE RATIONE RENOVANDA

##### VIII.

##### Redeat Sol Iustitiae!

Haec alte animo teneantur: actos nos  
esse siti perpetuae beatitatis; conditos esse  
non a nobis, sed a Deo Optimo Maximo;  
idcirco non in nobis, sed in Deo quae-  
rendum esse omnium nostrum centrum,  
ita tamen ut in Eodem quies tandem  
animi nostri plena perpetua habeatur,  
extra Quem inania tantum eademque in-  
composita desideria; Eumdem autem Deum  
non avarum neque iniustum, sed divitem  
esse in omnes plane qui invocent illum,  
ideoque vindicem cuiuslibet iniuria, tum  
privatae cum etiam publicae; nec esse  
quemquam qui possit Eiusdem vindictam  
effugere; Christum esse Filium Dei vivi,  
quem igitur et adorare et audire et sequi  
tenemur; extra quem nulla salus potest  
unquam sperari hominis cuiuslibet, fami-  
liae, populi, civitatis, gentis denique atque  
consortio, si qua tandem effingatur,  
civitatum aut populorum: ut Christum  
praeterire idem sit ac praeterire Deum,  
effugere naturam rerum, effugere verita-  
tem, historiam, honestatem tandem ipsam  
atque hominum genus.

Ut enim in Christo unitatis vinculum  
et pacis inveniunt homines omnes, ita  
longe a Christo dissolutionem animorum,  
contentiones ac nefaria bella: id enim  
tandem experti sumus ipsi atque experimur  
quotidie; nec alia est tam multo-

rum tamque immanium incommodorum,  
quibus publice privatimque hodie ubique  
terrarum laboramus, radix atque causa  
nisi apostasia aut speculativa quoque, aut  
saltem practica a Corde Cordium, qui  
Christus est. *Col risalire, adunque — ita*  
*per belle Demetrius Alati — alle sorgenti*  
*della situazione che tormenta l'oggi e*  
*minaccia il domani dei popoli, possiamo*  
*accorgerci che essa altro non sia che il*  
*frutto del dissidio esistente tra le leggi*  
*a cui la natura assoggetta la nostra esi-*  
*stenza e le leggi su cui poggia l'ordina-*  
*mento sociale.*<sup>1</sup> Et sane quum quisque  
seipsum effingat omnium centrum, ne-  
cessere est sequatur non iam cuiusque  
deditio fratrum commodo, sed omnium  
fratrum suo privato commodo sacrificium  
et immolatio, quae est pessima omnium  
ruina.

Etenim, si animorum nullum aliud  
efficacius effungi potest vinculum quam  
amoris; si nullus alias potentior stimulus  
ad sacrificia quaelibet alacriter obeunda,  
perpatiunda autem tenaciter, profecto nulla  
alia vox nullumque mandatum magis ani-  
mos nostros adauget atque arctius nos  
copulat quam Christi, qui unus prius dile-  
xit nos, amorem primus praedicavit atque  
iussit, et veluti in animos penitus inseruit;  
unus denique dignus qui animos sibi  
amore divino revincat. Neque enim terror,  
sed amor omnia vincit; amor, inquam, ille  
quo Ipse unus nobis accessit, nos docuit,  
miseros ad sese convitavit consolaturus,  
potentes admonuit, humiles erexit, aegro-  
tos sanavit, esurientes enutritivit, animam  
tandem suam posuit pro ovibus suis:  
neque tum siluit amor quum Cor morte  
gelidum stetit, nam mortem ipsam devicit,  
iussitque ut diffunderetur per orbem.

Ad id excitaverat Ipse Ecclesiam suam;  
unam dico, quam super petram fundavit,  
contra quam frustra tot iam saecula irru-

unt inferni satellites; non enim praeva-  
lebunt. Nec quisquam igitur sperare po-  
test Christum se posse cognoscere, veri-  
tatem hanc plenam tandem assequi, ad  
Deum tandem recta contendere, nisi in  
Ecclesia; ita ut inimici Ecclesiae dicendi  
et exsecrandi sint hostes Christi, hostes  
Dei, inimici generis humani, adversarii  
infensissimi ordinis moralis, eversores  
ordinis iuridici, licet oretenus aliud profi-  
teantur: quae non sacrum paeconem  
agens dicam, sed iuris reique moralis  
studiosus, expertus ipse atque historia  
edoctus quam vera eadem sint quamque  
funesta his neglectis fuerint sequuta. *Si*  
*deve a ciò — clamat scriptor idem — se,*  
*mentre un'acuta crisi morale ed economica*  
*minaccia tutti i popoli e la stessa civiltà*  
*umana, si lascia in disparte l'Unico che*  
*potrebbe condurre sulla via della comune*  
*salvezza. Ma, Cristo assente, si annaspa*  
*nel vuoto, si brancica nel buio, si appro-*  
*fondiscono ancor più le disuguaglianze del-*  
*la natura, si mobilità l'animo umano alle*  
*estreme violenze, si preparano nuovi cumuli*  
*di dolore e nuovi fiumi di sangue.*<sup>1</sup>

Denegato enim Deo, denegata Christi  
divinitate, nihil tandem est reliquum nisi  
ut hanc perfuctoriam vitam hisce in  
terris plene vivendam figamus atque con-  
cludamus; quorsum enim sacrificia et  
abnegationes? quorsum virtutes? curnam  
aliis divitiae inundantes, aliis autem ino-  
pia emuncta? Hodie igitur tibi, cras mihi!  
En hominem homini lupum!

Stat autem interea tot inter contradic-  
tiones, tot inter aerumnas, tot inter aspera  
bella, Ecclesia Christi; stat, et elucet, et  
docet, et clamat, et vires animosque ad-  
auget perpetuo valida, quotidie iunior ac  
florens; una ipsa, odiorum superans voces,  
clamat amorem, populos erudit vel bar-  
baros, animos vel dissitos alligat ineffabili  
quodam fraternitatis vinculo; dixeris unam

<sup>1</sup> *Il mondo in tempesta*, Torino, 1933, p. 51.

<sup>1</sup> ALATI, op. cit., p. 96.

non desperare et contendere altius, latius quotidie: dixeris ex hostium oppugnationibus novam vitam virtutemque haurire, eosque devictos non perdere, immo vero et refovere et alere et materne sinu complecti: cuius victoriae sunt ipsae nostrae victoriae eaedemque et honestatis, et iustitiae, et pacis, et Christi, et Dei. Nec unquam eidem defuere strenui duces; sancti tot, inquam, doctores, invicti martyres, liliatae virginis, quibus hominum condecoratur historia. Hos persecuti omnes longum est, sed profecto ad eosdem est redeundum, si velimus sincere mores nostros altius restituere, si tam multis tamque variis nostri temporis incommodis morbisque mederi, si pacem tandem atque honestatem fovere. Seiungere enim hostios viros ab Ecclesia Christi despere est; seiungere Ecclesiam a Petro eiusque successore mentiri prorsus est; seiungere autem Ecclesiam a Christo absurdum, ut seiungere Christum a Deo atque ab hominum historia.

SYLVIUS ROMANI.

## DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

### De quibusdam coniunctionibus eleganter addendis.

I. - Qum enumerantur plures notiones aut sententiae, Latini non raro iterant coniunctionem copulativam, quo melius eluceant singulae notiones aut sententiae et earum nexus;<sup>2</sup> v. g.;

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> a) Hinc saepe usurpantur 1) «et... et»; v. g.: Conon et prudens rei militaris et diligens erat imperii (CORN. NEP.). - Et mari et terra (ID.).

NB. - Interdum «et... que» ponitur pro «et... et»; v. g.: Et Epaminondas fidibus praecclare ce-

*Et agris et urbibus et nationibus rempublicam auxerunt (Cic., Pro Rosc. Am., 18, 50).*

*Et naves habent Veneti plurimas et*

cinisce dicitur, Themistoclesque, quum in epulis recusaret lyram, est habitus indoctor (Cic., Tusc., I, 2, 4) aut *que... et*.

2) «neque... neque», «nec... nec», «neque... nec» «nec... neque»; v. g.: Quae (materia) neque perrumpi neque distrahi potest (CAES., De Bel. Gal., VII, 23, 5). - Nec enim melior vir fuit Africano quisquam, nec melior (Cic., De Sen., 2).

3) «Neque (nec)... et» v. g. Homo neque meo iudicio stultus et suo valde sapiens (Cic., De orat., I, 39, 179).

4) «Et... neque (nec)».

NB. - Pro *et...* nec usurpatur nonnunquam *et... et non*; v. g.: Manlius et semper me coluit, et a studiis nostris non abhorret (Cic., Fam., XIII, 23). - Id et nobis erit periucundum, et tibi non sans devium (Cic., Att., II, 4).

b) In repetitione coniunctionum copulativarum, *que...* *que* plerumque non legitur nisi apud poetas. Attamen, etiam in soluta oratione usurpatur, quum annexi potest relativo *qui*, *quae*, *quod*; v. g.: Mihi etiam, *quique* optime dicunt, *quique* id facilime atque ornatissime facere possunt, nisi timide ad dicendum accidunt, paene impudentes videntur (Cic., De Or., I, 2, 6).

c) Ad coniunctiones copulativas pertinent adverbia quaedam, praesertim temporis, quum repetuntur; scilicet:

*Qua... qua; tum... tum; v. g.:* Vincere *qua* armis, *qua* beneficiis - Vacandum est *tum* metu, *tum* iracundia.

*Modo... modo; nunc... nunc; v. g.:* Modo ait, modo negat. - Nunc *huc*, *nunc illuc* currere.

*Quum... tum; v. g.:* Fortuna *quum* in reliquis rebus, *tum* praecipue in bello plurimum potest - *Quum* omnium sociorum provinciarumque rationem diligenter habere debetis, *tum* praecipue Siciliae.

NB. - Constructio *quum... tum* deducta potius videtur a *quum* causal, quam a temporali. Legimus enim; v. g.: Civitatem, *quum* per se dignus putaretur, *tum* auctoritate et gratia Luculli ab Heracleensibus impetravit (Cic., Pro Arch., 1).

d) Etiam disiunctivas coniunctiones Latini saepe repetunt; v. g.: Tuberonis ego industriae gloriaeque faveo, *vel* propter propinquam cognitionem, *vel* quod eius ingenio studiisque delector, *vel* quod laudem adolescentis propinquique existimo etiam ad meum aliquem fructum redundare (Cic., Pro Lig., 3).

scientia nauticarum rerum reliquos antecedunt (CAES., De Bel. Gal., II, 8, 1).

Tu velim et quid agas et quid actuorum te putas facias me certiorem (Cic., Ep. ad Fam., IV, 14).

II. - Quum post «multi» aut «plurimi» sequitur alterum adiectivum, Latini eleganter interserunt coniunctionem copulativam, praesertim «et»;<sup>1</sup> v. g.:

Versantur in animo meo *multae* et *graves* cogitationes (Cic., In Rul., 2, 2). - *Multi* et *graves* dolores (Cic., Verr., II, 5, 45, 119).

Civilis quaedam ratio est, quae *multis* et *magnis* ex rebus constat (Cic., De Inv., 1, 5).

*Multis magnisque* praesidiis nequidquam perditis (SALL., Jug., 62, 9).

*Multi et variis* timores (TIT. LIV., III, 16, 3).

*Multa et formidolosa* multis conjectantibus (SUET., Ner., 6).

III. - «Quod» saepe videtur redundare initio sententiae ante «si, nisi, etsi», et interdum ante «quum, nunc, ubi, quia, quoniam, ut, ne, utinam», et ante relativum «qui, quae, quod»; v. g.:

*Quod si* nostris consiliis usi essemus, beatissimi viveremus (Cic., Fam., XIV, 1).

<sup>1</sup> a) Quum substantivum cum suo adiectivo unam notionem exprimit, adduntur alia adiectiva, nulla intercedente coniunctione; v. g.: Praetori urbis negotium datum ut *naves longas* tringita veteres reficeret (TIT. LIV., XXVII, 22, 12). - Due nobilissimae in Italia graecae civitates (TIT. LIV., XXV, 8, 1). - *Privata navis oneraria maxima* (Cic., Verr., II, 5, 52, 136).

NB. - *Multus* hanc constructionem etiam quandoque admittit; v. g.: *Multae liberae civitates* (VERR., II, 4, 30, 68). - *Multos fortes viros* (Cic., Cat., II, 2, 5). - *Multa maiores vestri magna et gravia bella gesserunt* (Cic., Imp., 2, 6).

b) Hac in re, lingua latina multum discrepat ab hodiernis linguis, imprimis a gallica lingua, quae hoc in casu coniunctionem copulativam retinent.

Quod ego nisi meo adventu illius conatus repressissem (Cic., Verr., II, 2, 26).

Quod etsi ingeniis magnis praediti quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur, ars tamen est dux certior (Cic., De Fin., 4, 4).

Quod quum perspicuum sit benevolentiae vim esse magnam, metus imbecillam (Cic., De Off., 2, 8).

Quod ubi hostes viderunt ea, quae diu longoque spatio refici non posse sperassent, paucorum dierum opera et labore refecta (CAES., De bel. civ., II, 16).

Quod quia nullo modo sine amicitia firmam et perpetuam iucunditatem vitae tenere possumus (Cic., De Fin., 1, 20).

Quod quoniam sapiens nunquam fallitur in iudicando, erit in mediis rebus officium (Cic., De Fin., 3, 18).

Quod ne id facere posses (Cic., Acad., 2, 25).

Quod utinam minus vitae cupidi fuimus! (Cic., Fam., XIV, 4).

Quod qui ab illo abducit exercitum, et respectum pulcherrimum et praesidium firmissimum adimit reipublicae (Cic., Phil., IX, 4).

IV. - Latini de sententia generali seu de propositione ad sententias speciales quibus declaratur aut probatur, transeunt ope coniunctionis causalis «nam, etenim, enim»;<sup>1</sup> v. g.:

Quid animadvertis sit in Hortensio breviter licet dicere. Nam (declarat) is... (Cic., Brut., 93, 319).

Nam qui Isocratem... (Cic., Orat., 52, 174).

Nam ut primum ex pueris excessit... (Cic., Pro Arch., 3).

Vivo Catone, minores natu multi uno

<sup>1</sup> Saepe tamen coniunctiones omittuntur. (Confer RIEMANN et GÄLZER, Grammaire comparée, n. 384 - Cfr. quoque GANDINO, La Sintassi latina, I, p. 86, n. 21).

tempore oratores floruerunt. Nam (probat) et Albinus et Ser. Fabius Pictor Quintusque Fabius Labeo fuit ornatus iisdem fere laudibus.

V. - Quum sententiae nondum absolutae inseritur incisum longius praesertim per parenthesis, ad illam redditur resumendo praecepias eius voces cum una e coniunctionibus « *igitur, itaque, verum, verumtamen, sed, sed tamen, nam* »; <sup>1</sup> v. g.:

*Quid enim mereri velis, quum magistratum inieris et in concionem ascenderis (est enim tibi edicendum quae sis obser-vaturus in iure dicendo), quid merearis igitur, ut te dicas in eo magistratu omnia voluptatis causa facturum esse? (Cic., De Fin., 2, 22).*

*Quum essem in Tusculano, (erit hoc tibi pro illo tuo: Quum essem in Ceramico), verumtamen quum ibi essem, puer epistola mihi dedit (Cic., Att., I, 10).*

Hic vero simul atque me mare transisse cognovit (audi, audi, atque attende... nam simul ac me Dyrrachium attigisse audivit, statim ad me profectus est (Cic., Pro Planc., 41).

S. Leonardi in Helvetia.

(Ad proximum numerum).

I. Jss.

<sup>1</sup> Reperitur interdum « *inquam* »; v. g.: Rex maximo conventu *Syracusis in foro* (ne quis forte me in crimen obscuro versari atque affingere aliquid suspicione hominum arbitretur), *in foro, inquam, Syracusis* flens ac deos hominesque contestans clamare coepit (Cic., Verr., IV, 29).

*Alienum te a personis omnium redde in iudicio, ac propter iustitiam in iudicio pauperem defendas, nec propter gratiam diviti indecenter adsistas, aut, si non potes facere, cognitionem respue causarum.*

S. HIERONYMUS.

## COLLOQUIA LATINA

VI.

### Tarde ludum petentes<sup>1</sup>

EMMANUEL, EUSTACHIUS.

EMMANUEL. - Salvus sis, Eustachi.

EUSTACHIUS. - O salve, Emmanuel. Quo ire tendis?

EMM. - In scholam. Quo te pedes?

EUST. - Eodem.

EMM. - Ubi libri? Ubi atramentarium?

EUST. - Sub pallio et axilla gestio.

EMM. - Audistin' signum?

EUST. - Pridem.

EMM. - Ain' tu pridem? Vae nobis!

EUST. - Quid consternaris? aut quid metuis?

EMM. - Quid metuam? Quod solent sero venientes. Ah!

EUST. - Ego sane probabilem excusationem adducam.

EMM. - Obsecro, quam?

EUST. - Mater me cum mandatis ad sororem misit, cuius responsum renuntiandum fuit domum, et absunt illius aedes a nostris longius; eo tardius venio.

EMM. - Quid si hanc rationem tamquam commentitiam repudiet?

EUST. - Fiducia est id minime facturum. Nam me ab huiuscmodi mendaciunculis temperare non raro expertus didicit.

EMM. - Me miserum malique fati! Quid configam, quum (ut hoc aestivum et pomeridianum tempus etiam magno natu homines invitare solet), somno captus obdormierim super libros, in extremo sitae sunt fortunae meae, nec quid agam certum est.

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Prognostica latinitatis*. — Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

EUST. - Si rem ipsam ingenue confiteare, forsitan delicti gratiam faciet. Quid forsitan? Certe faciet: exonera te metu.

EMM. - Obtemperabo bene monenti; abstersisti metum. At enim ecce aliud mihi timorem obiicit.

EUST. - Aliud? Dic, quae.

EMM. - Formido male, ne hinc elapsus, alibi in casses incidam.

EUST. - Alibi?

EMM. - Quae memoriter pronuncianda praescripsit haud teneo absolute.

EUST. - Suspicari fas est non te inter primos interrogatum iri; tum ego, qui secundus tibi sedebo, suggeram dissimilanter et fideliter.

EMM. - Id amabo, adiuva me. Summum tibi beneficium debuero, hoc si perfectum dederis; nam nunc spes opesque meae omnes in te sunt sitae.

EUST. - Ambulemus contentius.

EMM. - Tam strenue te consequi vix possum.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

### A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

#### NOTAE.

##### DE TRANSIECTO ITINERE UNDARUM ELECTRICARUM.

Undarum electricarum iter inter stationes emittentes et accipientes cognoscere, quanti pro physico sit nemo non novit.

Res tamen nec facilis nec definita prostat. Non erit ergo absque fructu hic referre quae in Statione Radio Vaticana ultimis hisce temporibus actum est ad hanc quaestionem solvendam.

Moderatores Stationis 2ME apud Sydney humanissime nobiscum experimenta ducere consenserunt, signaque per undas

electricas a nobis emissas recipere in sua Statione atque iterum per suam undas transmittere. In Statione Vaticana autem tum exeventia tum redeuentia signa super rotatem cylindrum inscribenda curabamus et sic distantiam temporis inter ea metiri datum erat.

Ad hoc optime inservit instrumentum quo ad photographicas imagines per filum vel per undas transmittendas utimur, et quod a nomine auctoris *Belinographum* dicimus.

Super cylindrum, quod ad emissionem facit, folium nigrum aptamus in quo linea alba describitur iuxta generatrices cylindri. Sic, dum cylindrus volvitur semper ac linea alba appetet ante microscopium afferens lucem ad cellulam photoelectram, emittitur vis electrica modulans undas; idque constituit signum prodiens a Statione.

In apparatu autem recipiente eiusdem belinographi adducimus tum signa recepta in loco, h. e. per undas Stationis Vaticanae, tum signa recepta per undas Stationis remittentis.

Ambo inscribuntur super cylindrum charta photographica coopertum, et unumquodque in proprio instanti, et quia cylindrus volvitur statuta quadam velocitate, facile erit ex distantia intercedente inter duo signa tempus deducere quod undae impendunt ut a Vaticano ad Sydney perveniant et a Sydney ad Vaticanum iterum redeant. Ipsa enim operatio retromissionis automatica fit et subita.

Linea alba super cylindrum ducta per aliquot centimetra extenditur; motus helicoidalis cylindri progressum habet quintae millimetri partis, ita ut quodlibet centimetrum lineae quinquaginta eiusdem phoenomeni repetitiones praebat.

Ut autem quaedam de inventis dicimus, distantia intercedens inter duo signa ad millimetra viginti tria cum novem decimis metitur, et quia velocitas rotationis

in cylindro est cycli unius per secundum temporis, et circumferentia cylindri est millimetrorum ducentorum et octo cum octo decimis, efficitur ut distantia trajectus respondens distantiae signorum sit chilometrorum triginta et quatuor millium et tercentorum quadraginta.

Error in aestimatione distantiae in charta photographica existimatur ad decimam partem millimetri, id quod respondet distantiae in itinere centum quadraginta quatuor chilometrorum.

Distantiam vero geographicam super geodeticam inter Vaticanum et Sydney dimetiti sumus ad triginta duo millia et quingenta nonaginta et unum chilometrum.

Et sic, si traiectus undarum est per geodeticam aeream, altitudo quam undae attigerunt computari potest a ducentis quadraginta ad tercenta chilometra.

Tempus ab undis impensum ad integrum iter perficiendum erit centum et sexdecim millesimorum secundi, dum, e contra, si iuxta terrae superficiem processisset, fuisse tantum centum et octo millesimorum.

I. GIANFRANCESCHI.

#### NOTITIAE.

##### FULMINA GLOBULARIA PERGRANDIA

Perdurante tempestate, mense augusto MCMXXXIII, dr. J. C. Jensen ex *Nebraska Westyan* Universitate Washingtoniensi, dum fulgura photographice retrahere contendit, globulos igneos vidit et expressit, quorum nonnulli iuxta lineas electricas altae tensionis quasi fluctuantes procedebant, quoadusque evanuerunt super terram magno cum strepitu.

Ex exemplo photographico globuli apparent fuisse magnitudine singulari, nempe decem et quindecim metra diametralia habentes.

##### QUOT SUNT APPARATUS TELEPHONICI IN TOTO ORBE.

Commentarius menstruus, cui titulus « *Telegraph and Telephone Journal* » refert numeros apparatum telephonicon in orbe existentium per Status distributos.

Status Foederati Americae septentrionalis possident plus quam decem et septem « millions » apparatum, ita ut habeantur quatuordeeim apparatus per civium singulas centurias; Germania circiter tres milliones; Anglia duo; Canada, Gallia et Iaponia circiter mille millia.

Numerus totus est triginta et trium millionum. America ergo possidet plus quam dimidiam eorum partem.

Viginti abhinc annis numerus universus vix tredecim milliones attingebat.

#### ANNALES

##### Nationum Societas.

Genevae Societatis Nationum Supremi Consilii sessio septuagesima nona habita est, cui praesidendi munus Lusitaniae legato contigit. In examen est primum revocatus Hungariae libellus contra Iugoslaviam ob malitiosa, quae ferebantur, acta in communibus finibus; deinde Astrorum oeconomicus status; denique de discrimine dictum est inter Columbianam Peruvianamque civitatem; quod cum omnium animorum satisfactione diremptum fuit.

Quamquam argumentum de Sarre provinciae populiscito ad proximum convenitum dilatum fuerat, omnium optatis respondit nuncium, hinc saltem concordiam intercessisse, italici legati Aloisii opere, qui foederis inter Galliam et Germaniam auctor fuit propter quod communi consensu idem populiscitum indicitur ad

diem XIII mens. Ianuarii MCMXXXV iuxta certas cautiones, in foedere ipso statutas, ad suffragii libertatem ingenuitatemque tutandas.

Non iisdem vero auspiciis procedunt disceptationes de discessu ab armis: Gallorum obstinationi opponitur Angliae proclivitas quaedam ad Germanicas aliquas petitiones exaudiendas; quum vero nullum munus aliud circa Galliae securitatem Anglia sibi sumere velit, Gallia ut nihil concedatur Germanorum postulatis perseverat.

\* \* \*

##### Bulgariae ac Lethoniae res.

In Bulgaria, quum impossibile factum fuerit ex legatis publici coetus legibus ferendis administratorum collegium efficere, Boris rex, coetu eodem dimisso, novos ministros extra legatorum ipsorum numerum elegit, praeside Kimone Gheorghieff, strenuo viro et actuoso; severaque edidit ad obeundos seditionis quosvis tumultus. Omnia tamen tranquilla processerunt, imo, si vera sunt exposita, cum populi favore.

In Lethonia pariter novum auctoritatis prout vulgo dicitur, gubernium constitutum est cum gravibus iussis ad publicam quietem tutandam.

\* \* \*

##### In Arabia.

Rivos hodie claudimus pacem cum gaudio nunciantes, quae in Arabia inter Yemen regionis Imanum et Ibn Saud feliciter sancta est.

##### POPULICOLA.

*Laudamus mendaciter, delectamur inaniter, et vani sunt qui laudantur, et mendaces qui laudant. Alii laudantur et ficti sunt, ali laudant quod putant et salsi sunt; ali utrorumque praeconis gloriantur, et vani sunt.*

S AUGUSTINUS.

#### VARIA

Quam difficile sit ut populus, qui corruptos habeat mores, partam nuper libertatem conservare possit.<sup>1</sup>

Nisi Reges statim fuissent expulsi Roma, necesse erat, ut mihi certe videtur, urbem debilitari, et pristinam virtutem roburque amittere. Considera enim quam pravis corruptisque moribus essent iam tum Reges illi. Quod si eadem corruptela ad tertium usque successorem propagata fuisset, facile serpsisset etiam in populum, eoque infecto, nunquam potuisset civitas restaurari, et vires virtutemque suam recuperare. Sed quoniam pernices haec occupaverat quidem rei publicae caput, membra cetera nondum infecta erant, potuere, sublato perniciose illo capite, et reliqua membra sanari, et parta libertas conservari. Pro certo enim statuere oportet, civitatem eam quae principis imperio consueverit parere, et in qua mores hominum plane sint depravati, non posse conservare sibi libertatem, si eam occupaverit, ne si universa quidem eius principis familia extirpetur; sed subinde novis dominis parere cogetur, qui se mutuo expellent: absque principe vero nunquam subsistet, nisi unus aliquis forte in ea civis extiterit, cuius tum virtus heroica, tum bonitas illam aliquandiu conservet. Sed neque id quidem diutius durare poterit, quam vita eius, qui illam conservat; ut Syracusanis accidisse novimus, qui Dionis et Timoleontis virtute diversis temporibus libertatem conservarunt, et, iis vita functis, sub antiquum tyrannidis iugum redierunt. Omnim vero evidenterissimum est exemplum Romanorum, qui,

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere, cui titulus: *De republica disputationes* lib. I, latine vertit E. Bindi.

electis Tarquinii, rationem conservandae libertatis statim apprehenderunt; sed interempto C. Caesare, sublatoque C. Caligula atque Nerone cum tota Caesarum stirpe, nec conservare libertatem nec eius aliquod principium introducere potuerunt. Cuius diversitatis ratio ex eo tantum pendebat, quod Tarquiniorum tempore non essent corrupti populi Romani mores, sicut postea C. Caesaris, Caligulae atque Neronis aetate fuerunt. Id autem vel ex eo colligere potes, quod tunc ad conservandum populi adversus tyrannidem studium, sufficiebat iusurandum, quo iuravit nunquam se consensurum, ut quis Romae regnaret; sed imperfecto C. Caesare, nec Bruti auctoritas atque severitas, neque legiones ad Orientem depositae populum permovere potuerunt, ut libertatem, quam ad primi illius Bruti imitationem in urbem introduxerat, constanti firmoque animo defenderet. Tanta scilicet corruptela infecti iam erant populi Romani mores, praesertim eorum, qui Marianae factionis fuisse, in qua quum C. Caesar principatum obtinuisse, plebem sibi conciliaverat sensimque subiecerat tanto artificio, ut iugum, quod cervicibus eorum imponebatur, non sentirent. Hoc Romanorum exemplum propositae disputationi convenientissimum est; sed neque desunt exempla aliorum populorum, quibus idem quod Romanis, nostra quoque aetate accidit.

### **Ursus et Apes.**

Ictus ab Apicula Ursus, ira incensus, in aparium irruit, et alvearia populatur. Tunc Apes, impetu facto, totis examinibus in illum irruunt. De quorum vix elapsus aculeis: Quanto - inquit - unum Apiculae vulnus perpeti me satius fuerat, quam tantas copias harum excitare iracundia mea?

Narratur fabula contra impotentiam iracundiae.

### **Pro iudicibus mensarum elegantibus.**

ESCARUM ORDO:

*Puls ex furfuricula composita.  
Caro gallinacea elixa cum pomis suaviter asperis.  
Asparagus butyro mersus.  
Lumbus vitulinus assus, cynaris circumfusus.  
Gelida musae paradisiacae sorbitio.*

### **Locosa.**

Pater Tuccium obiurgat:

— Optime quidem! Quos nummos tibi do ut pauperes adiuves, ad cupediniarios transeunt!

— Nonne tu semper me monuisti stipe occulte esse elargiendam? Atqui viae semper viatoribus redundant...

Pater Tuccio:

— Intende sedulo in litteras, fili mi: gnarus eris Leopardi, Areosti, Dantis...

— Oh! leopardum iam diu cognosco; vidi enim eum in horto zoologico: ceteras vero illas bellus, quae illic non sunt, libenter novero.

### **Aenigmata.**

#### **I.**

Imperat ut cedas prior, et stas cum advocat  
[alter.]

Junge: duo produnt: Omen - Amica Iovi.

#### **II.**

Feminei princeps sexus ego glorior esse.  
Nomen verte meum: iam valedico tibi.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Parva domus, magna quies;* 2) *Cous, Conus, Cotus, Contus.*

\*\*\*

## **DE ROBERTI SCOTTI**

(27)

### **NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO**

Neque tamen tam cito licebat ascendere, quia in eadem statione trigesima eodem aërio tumultu integros dies quatuor retenti sunt. Fatalis sane commoratio. Evigilaverunt viri Nonis Dec. furente procolla Nivea illa farina afflabatur et quod filum thermometri propemodum ad zerum ascenderat, obiecta corporibus nix adhaerescebat. Equuli alte stabant in nivibus, quorum capita, caudae, crura, quidquid strato coopertum non erat, incrustabatur glacie, trahae et tentoria vix ex nivibus exstabant. Cumulatis pala nivibus, quibus tegerentur equuli, homines se rursus in suos receperant saccos. Tum Scottus circiter meridiem: «Quid, malum, sibinam vult haec hoc anni tempore tempestas? Estne haec generalis huius meridianae regionis atmosphaerica turbatio foedae nuntia aestatis, an extraordinaria nos labramus caeli temperie? Haec non iam calamitas est, et certe maior merito nostro. Quid, inquam, causae est, cur haec paucorum capitum societas omnibus impingat incommodis, alii subridentes in aprico ambulent? Nemo nos prudentia, nemo deliberatione ulla in hanc rerum conditionem praemunire potuit. Ne decemplici quidem ornati experientia haec rerum momenta suspicare potuimus. Sed fortasse mutabitur fortuna, ... fortasse».

Et haec quidem ille meridie. Paulo ante medianam noctem scripsit: «Procolla totum desaevit diem. Deciderunt nives, quibus copiosiores vidi nunquam. Immobilibus circumdantur tentoria nostra aggreditibus. Quae nix non in nivem cedit; statim liquevit, ut tentoria, ut vestimenta nostra procellaria, ut nocturnae caligae

manent aqua. Ex tentorii pertica atque sustentaculo stillat aqua, in solo sunt lacus aquae, aqua humectat saccos dormitorios, aqua omnia reddit ingrata, odiosa, iniuncta. Quodsi nunc repente, antequam ad siccandam vestem fuerit facultas, fiant frigora, dici non potest qualis futura sit condicio nostra. Sed ferremus omnia facile, nisi funesta angeret procrastinatio itineris. Nulla nobis concessa mora est, et tamen haec eveniunt!»

Postero die circiter meridiem: «Iaceamus in palude... desperationis. Procolla surit indomita, thermometrum quinque decimis zerum superavit, solum tentorii plane natat. Qui egressus est, tamquam imbre perfusus revertitur aquae relinquens lacunas. Nives altius et altius tolluntur circum valla, bestias, tentoria, trahae. Tristissimus est adspectus bestiarum. Et glacial adhuc abest chilometris duobus et viginti. Aegerrime iam resisto ei, quae animo se insinuat desperationi».

Quae desperatio proximis diebus etiam aucta est. A. d. VII. Idus restabat pabulum diei unius. Et ponderata in reliquum ex glaciali iter ante diem delibari necesse erat. Itaque eo die versus medium noctem Scottus queritur calamo: «Immutatus est rerum status. Maior tamen appetet in barometro pressus; quae res fortasse propinquae mutationis signum est. Sed nulla re adeo irritatur et exacerbatur animus, quam otio, invitatis imposito, eo tempore, quum gravis momenti sint horae vel singulae. O sortem miseram assidue figere oculos in loca madida viridium parietum tentorii, in nitentes aqua arundines, in sordidos madidosque saccos ceterasque res

saepius inciderunt in fissa glaciei, quae penitus obiecta nive erant; postea ingressi sunt in campum crustatum nive dura, cui substratae solutae crystalli erant, ut viri, quoties deponebant in solo pedes, vitreum tectum sibi viderentur perfringere. Post meridiem transitum est in sastrugos. Vesperi expleta erant chilometra duodecimtriginta.

Pervigilio Natalis Christi statio facta est quadragesima sexta. Ibi hypsometrum exhibebat metrum duo millia et quadringenta: «Viginti sex chilometra enixi sumus versus vesperam saepe vestigio haerentibus traheis. Acer ventus erat e regione refrigerans eentes, molestus in tentorio sedentibus. Vultus paulatim inducuntur glacie. Diligentius igitur tegimur et involvimus capita: qua tamen veste incessio nonnihil impeditur. Nullae in caelo haerent nubes, sed infinitate circum extenduntur vastitates. Nihilo tamen minus laeti excipimus primum diem natalicium Christi».

Quo die, antequam ad stationem quadragesimam septimam pervenerunt, principio per recentem nivem vento coacervatam via sicut, quam satis fecerunt celeriter. Postea per acclivia quum incederent, diffissam nacti sunt glaciem, in qua Lashly, cuius is dies natalis erat quadragesimus quartus, misere cecidit, quod ille extractus flocci non fecit. Postremo ad vastum craterem venerunt praeruptis inclusum saxis. Hic evitatis confragosis locis ad chilometra diurna duodecimtriginta procurrerunt. Laute post horam diei vigesimam cenatum est. Quattuor cena ferculorum erat secutusque est placidissimus somnus gratissimusque corporis post largiore cibum calor.

In statione quinquagesima prima a. d. IV. kal. Ian. Scottus exclamat nunquam taetriorem se secuisse superficiem, sic deinceps non posse confici diurnum pensum. Aegerrime eo die obtenta esse chi-

lometra viginti duo. Impedimento fuerant nivium aggeres, vel quos illi vocabant sastrugi, viae salebrae, magnus numerus molium glaciei quas circumiri necesse erat. Praeterea intellectum est alteram traheam aegre provehi ob eam causam, quod distorti pedes erant nimium quassae salebris et minus recte collocata in ea sarcina.

A. d. III. kal. processerunt chilometra viginti. Aegre iam sequitur altera trahea defatigatis viris qui trahebant: «Shackletonis—inquit—viam emensi sumus. Nihil sollicitaret, nisi alterius traheae viros deficerent vires, quod ita, quin fiat iam nemini est dubium». Postridie, pridie kal., usque ascendentis hypsometro effecerunt metrum duo millia et septingenta octoginta fere. Statione facta, altera turma virorum deposuerunt nivalia pedalia et varia instrumenta; praeterea locata sunt illic alimentorum chilogrammata quadraginta quinque, h. e. victus octonum dierum utrique monadi, Cellae trium graduum, vel trigraduali nomen. Ibi ab Edgare Evans et Crean aliter compositae traheae sunt, id quod magnae tribuit laudi Scottus Evanio. Interim Eduardus Evans geograficae latitudinis effecit gradus octoginta sex et quinquaginta puncta. «Hodie primum — verba sunt Scotti — interiores explicavimus tentorii parietes, quibus locus multo commodior et gratior est factus. Compositis traheis supernumerariam theam sumpsimus. Nunc sub duplicato tentorio conditi saccis nostris calemus sicut modo tostus panis et est lux quantum satis est ad scribendum».

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen,

Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

# ALMA ROMA

QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

*Nuperrime prodit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Edito altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubent, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 475 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 950, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXI

Romae, Mense Iulio MCMXXXIV

Fasc. VII

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXIV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italica lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96*.

### DE FALSO QUODAM ANIMORUM STUDIO

Memini me rusticantem et sub vesperam cum rustico sene prope hortum colloquenter, ingenuo ferme sed sincero animo agrorum pulcritudine captum, ea prope Horatii iterasse: «Beatus ille qui procul negotiis...». Quibus rusticus, calide, ut putabat: «Pulcre loqueris, respondit; at ego novi quemdam ex cognatis, qui apud provinciae praesidem publico munere fungitur, lauto stipendio vivere, nec quotidie ad solum ligone versandum, uti nostrum est, cogi; quae mehercule et filiis meis velim sorte contingere».

Itaque in re de qua loquimur, aptissime haec in mentem redeunt; magis enim arduum studiorum exitum fieri necesse est, quum sui erudiendi cupiditas non adolescentulos tantum honesti ordinis allicit, sed omnes cuiusvis coetus arripiat cives, ita ut singuli ad altiora nitantur, et plerumque ad rempublicam, ut aliquod officium sortiantur, confluant catervatim.

Hinc enim si rusticus sensis est desiderium, ut natis vitae sortem leniorem comparet, natorum inde, et praecipue ex quo legibus omnes milites fiunt, post emerita

stipendia domum redeuntum, illud in primis spem fovent, ut ad urbem redeant et in urbanis commodis, quae maxima liceat, potiti, vitam reliquam exigant.

Linquuntur interea agri, opicia; rusticæ industresque res languescere quasi videntur, et quotquot sunt validæ hominum vires vanæ atque ephemera omnia, praeter duo illa, prima ac praesertim necessaria, persequuntur. Tributa denique in dies ingravescientia, ad tot exercitus et classes custodienda instructa, reliqua tollunt, quae cives ad bona vivendi comparrant: sunt imo et regna, quae pessimo omnium morbo laborent, prouti de Gallia novimus, cuius paullatim populus ita numero extenuatur, ut opportunum, pene dicam, appareat illud a lege Iulia de matrandis ordinibus cautum redintegrare.

At contra omnibus, et his praecipue qui populari coetu gignuntur, id nunquam satis commendatum erit, ut contenti sua sorte sint, ut prima illa documenta quae ad mentem erudiendam acceperint sibi in inquietudinem, reipublicae in perniciem vertere nolint, ut quae pater gesserit negotia, haec filius, quum validus sit, accipiat, diffundat, confirmet: ut quisque compertum habeat operam, quam quae-  
stus lucrive causa, causidici vel medici parum edocti pretio locant, facile ma-

num adsiduo labore utilitate simul ac nobilitate superari; ut denique omnes recognitent quae artificio vel agrorum cultu comparantur ducendae vitae tantum esse necessaria, ideoque maioris quadammodo habenda, quam quae tot literarum studiorumve inutili ac saepe mendaci pompa ostentantur. Exempla virorum qui idem senserint illustria non desunt: iamque Catonem illum senem, morum reipublicae custodem acerrimum, summa senectute suis manibus praedia coluisse Cornelius auctor est; idem de Georgio Washington, americanae libertatis adsertore ac vindice, atque foederis septentrionalium civitatum statore, legisse memini; Leonem Tolstoi, manus pariter calamo ac bidenti admodum notum est; quin etiam hisce ipsis diebus Benitum Mussolini, Italici guberni praesidem, inter ruricolas frumenti suis manibus terendi causa, optimo quidem exemplo, esse versatum.

Sed cur humanis egemus? Exstat Divini Redemptoris cunctis propositum exemplar, qui ad trigesimum usque annum Nazareth, Iosephi in humili domo occultus, vitam fabrilis opere sustentavit, ita ut quum postea miraculis ac sermonibus innotescere coepit, attoniti cives dictitarent ad invicem: Nonne est hic filius fabri?

Quod profecto exemplum si saepius recognitaretur, haud equidem ita frequentes in adversam fortunam hominum querelae exaudirentur, nec reipublicae dolendum esset, quod tot parasitorum inutile agmen sibi alendum in dies augeretur.

I. A. C.

### SOCIIS MONITUM

Ut iamdiu assuevimus, fasciculorum mens. Augusti et Septembbris unus fiet, qui primis Septembbris mensis diebus prodibit.

### DE HODIERNAE VITAE RATIONE RENOVANDA

#### IX.

#### Conclusio.

Naturali lumini haec ratio insistens Deum procul adspexit, Christum invenit, Eundem verum Deum hominemque verum agnovit ac praedicavit esse sequendum. Ille autem tam longe abest ut rationem naturalem improbet, quin etiam laudat, perficit atque supernaturalibus adauget lumine et donis. Quae igitur recta ratione edocemur, eadem omnia recipit gratia atque perficit ineffabili quadam ratione; inde factum est ut qui in revelata perscrutanda doctrina altissime contenderunt, idem Aristotelem, Platonem, Tullium, veterem tandem veri nominis sapientiam non repulerint, immo vero usurpaverint libentissime et acutissime. Exinde etiam fit ut nemo sapientiora docuerit, nemo altiora, nemo utiliora aut nobiliora; utque nihil aptius sit humanae recte regendae naturae, hominum vitae publicae privataeque probe instituendae quam ipsa eorum doctrina. Hos igitur tandem sequar magistros, non ita tamen ut voces quae intus in me sonant praeteream, quum iidem ipsis me moneant solemniter ut noscam me ipsum.

Age nunc; experior ipse in memet nativas inesse certas quasdam vires, quae me ad agendum inclinent certa lege, ut exinde voluptas aut dolor mihi eruatur; illa allicior, hoc autem repellor, sive a rebus sive ab hominibus profluunt. Tum primum rei causam quaeritans Bonum, Verum, Pulchrum distinguo ac secerno; tum experior nativas in me novas excitari vires ad bonum persequendum, malum vero fugiendum, nec amplius postea quiesco: nova enim semper germinant coram me cotidie bona facienda et mala fugienda:

tantoque, hac in re, commoveor ardore tantisque premor desideriis, ut expositulem ipse disciplinam certamque normam qua iuverum in secernendis bonis a malis, cum in bonis ita disponendis, ut minora cedant nobilioribus.

Quae regula et disciplina, mores quum tangat, *moralis* dicitur, eaque cumprimis in eo versatur, ut probe doceat quae tandem sint in homine vires naturales atque propensiones, et quo contendant; nam aliae ad ipsum ferri videntur, quas *egoisticas* appellant, aliae vero ad alterum, quas *altruisticas* vocant, aliae demum ad Deum, quas dicunt *superiores*; has omnes homo debet recte colere; suppressare enim non potest, quum sint naturales eaedemque necessariae; illae enim ad sui conservationem spectant, et regi dicuntur *moralis individuali*, virtutesque germinant et alunt sapientiae, temperantiae ac fortitudinis; istae ad speciei conservationem et ad societatem in qua natura hominis veluti perficitur spectant; idcirco ex illis initium capiunt illasque compleat, ut sunt iustitia et charitas; utraeque autem vi sua ad has ordinantur quae spectant Deum, quaeque sunt fides, spes et charitas veri nominis. Exinde etiam patet a) nullam dari aut concipi posse doctrinam moralem, quae non sit *teleologica* eademque *theologica*; nam naturalis quoque necesse est ab hominis fine ultimo ab eoque primo principio tandem initium capiat et ordinem; b) immoralem igitur esse *ethicam laicam* cuiusque agminis, sive eorum qui Deum negent, sive eorum qui deos sese aut res creatas faciant. Itaque vires naturales cum primis probe dignoscendae et sollerter moderandae.

Lumen autem ad id esse non potest nisi ratio; est enim homo animal rationale: at neminem latet in nobis quaedam praecurrere deliberationem rationis, ut quae a stimulis illis externis excitantur in nobis reactiones physicae aut psychicae, quas

hodie *activitatem polygonalem* appellant. At vero nonnunquam et hos possumus nos praecavere et vitare, adiuncta illa fugientes, sine quibus iidem nec excitantur.

Superius porro alia experimur quae sponte exoriuntur in nobis, ut certa desideria, certae propensiones quibus compingi dicimus naturam nostram; haec evellere omnino non possumus; possumus tamen quadantenus praevenire indirecte aut corriger, cohidentes siquando vehementius ferveant, aut alio aversantes.

\* \* \*

Hae vires, hoc lumen; at quae lex vitae et disciplinae? Eadem eruenda est cumprimis e natura, dictante ratione; est enim lex norma agendi in ordine ad finem; est igitur prima lex: « Contende ad tuum ultimum finem »; et quia homo est natura sua rationalis, eadem lex ita sonat: « Contende rationaliter ad ultimum tuum finem »; et quia finis idem est ac bonum, prima lex vitae ita reddi potest: *Fac bonum*, unde per contrariorum rationem alia eiusdem legis facies appetit: *Vita malum*. Haec igitur prima lex: *Fac bonum et vita malum*, seu agnosce te in tuo ordine, Deum adorare et agnosce in suo ordine primum principium atque ultimum finem; parentes qui tibi quodammodo causa sunt cole ac reverere; neminem demum praepedi quominus ad suum ultimum finem tecum contendat. Haec fundamenta totius vitae moralis, haec sapientia sine qua homo amittit suam dignitatem belisque fit socius, sine qua vere fit homo homini lupus. Horum autem praceptorum plenitudo non invenitur nisi cum Christo, qui et viam commonstrat et vires confert ut secum ascendamus: quocum redit spes ascendendi superius, sine quo desperanda prorsus est salus privata, desperanda publica, ubique terrarum.

SYLVIUS ROMANI.

## VENATIO

Non udas calabris fulicas sectentur in oris  
hic venatores, neque acuto dente per altam  
innumeris silvam canibus comitantibus apros  
permagno clangore fugae strepitique se-  
[quantur.

Arva colunt alibi dumis contexta frequentes  
et gaudent peragrare iugum feritate minaces  
apri; alibi tranant celeres renitentia stagni  
paulisper fulicae doctae sese abdere in undas.  
Solis hic tantum vulpes in collibus atra  
insidias pullis meditatur callida nocte,  
et quandoque, nives ubi celsa cacumina com-

multa: quibus canibus comitatos scandere  
[colles  
mox iuvet, occlusae melius quo pulvere  
[capsae  
iacent nitrato, bombo resonante, rotundas  
glandes, quoque situ expectent quae tempore  
[monstra  
aera quamprimum fident; num denuo tectum  
tantillum repeatant ubi funera multa tulerunt  
anno praeterito, an casulam quae frondibus  
[hirtis  
contexta et ramis deserto vertice nostras  
fallit aves longo venientes tramite ad oras.

Namque leves zephyri mulcent cum mol-  
[lius undas  
et Maius properat mensis, per caerulea caeli  
advolitat volucris, patrio cui more *rapinus*  
nomen, avis fratrum maiorum nuntia, retro  
qui iam ventosi tendunt ad litora Rhegi.  
Hic tempus cunctis niteat quo gloria, tempus  
hic ostendendi valeant quam robora et acris  
quae insit luminibus acies recte arma regendi  
ictum ut caeruleo subito ruat aethere mon-

[strum  
opprobriumque acti tandem nunc deleafat  
[anni.

Incipiunt ergo colles reptare per altos  
unde maris pateat regio subiecta sicanii  
quaequae extolluntur sensim iuga celsa Pe-

[lori  
limite ab arctoo carentis culmen ad Aethnae.  
Cum nondum roseis Aurora coloribus exit  
est iter; interdum turmae bene mane volu-

[crum  
saepe catervatim caeli per aperta migrarunt,  
atque diu bili turgescant pectora cunctis  
si matutinae verrentes aethera fallant.

Huc illuc se abdunt siccis sub frondibus unde  
vulnera multa ferent venturis tempore mon-  
[stris.

Nulla alia inspicitur foecundis bellua campis  
in nostris; venatores sua munia quisque  
pergunt, atque acto octobri, quo mense vo-

[races  
incipiunt turdi loca commutare quotannis,  
arma locis solito linquuntur more remotis,  
pulvis ubi interea tenuis descendit et haeret.

At tonitru valles cum iam neque culmina  
[montis  
nec campi ingenti reboant pelagusque pro-

[fundum,  
magnum vis hiemis fundit nec pondus aqua-

[rum,  
omnia sed rident veris redeuntibus auris  
atque novis rami foliis ornantur et albent  
postremae arboribus niveo candore corollae,  
tunc venatores acri sub mente voluant

Interea variis implent sermonibus horas  
magna volantes annorum gesta priorum,  
currere cum inspiceres volucrum longa agmina

[sudum  
saepe polum hic, alibi nova iam properan-

[tia, ubique  
et ballistarum crepitus reboare frequentes.  
At quandoque iuvat vacuum legere acta

[diurna,  
quae omnes res gestas referunt: quae natio

[bellum  
intulerit saevum, quae mens experta virorum  
sit mira effringens ignoti vincula, forti

quis pugno audacter certantem vicerit ho-

[stem...  
Interea longe figunt vaga lumina, turmas

num pellat zephyrus; subiecta serena pa-

[tentis  
prospectant pelagi, vitreum munimen adepti

omnia quo — mirum! — decies geminata

[videtur.

Nunc sermone placet vario de more volu-

[crum  
multa loqui: curnam celeres maria agmine

[facto  
tantum transmittant Maio redeunte quotannis,  
quo tendant, loca quae visant, qua lege va-

[gentur,  
unde leves veniant, quis dux, quo litore

[vivant.

At deinde, e caelo torrentia flumina Phoebus  
dum medius iactat tacitasque levissimus alas

Morpheus exagitat, somno clauduntur ocelli.  
Hinc animi peregre fluitant mulcente favoni

afflatu, nemorum per devia multa volucrum  
agmina ubi in ramis volitant, ubi bombus

[amoenam  
non rumpit silvam, sed tantum fluminis unda

infremere auditur tremulis circumdata kannis  
et puerum — ignotum circum vox unde fe-

[ratur —  
exoritur, cunctos pellit qui clamor ad arma.  
Tum vere hostiles laetantes corde cohortes

prospiciunt pueri et clamores tollere certant:

— En, vigiles! veniunt..., veniunt: advertite

[cuncti! —

Namque avium turmae, vulgo queis no-  
[men adorni,

alarum nisae stridenti remige, vastum  
iam secuere fretum: calabri iam litoris ora

panditur, insidiis colles spectantur iniqui.  
Ipsae Niliaci volucres prope fluminis arva

avia more colunt (narrat sic fama) frequentes.  
Haud timor angit eas spissae per inhospita

[silvae;  
huc illuc saliunt, crocitant, sese usque se-  
[quuntur,

bestiolas quaerunt escas; contexta soporem

culmina dant ramis cum nox tegit omnia

[nigro  
tegmine et auditur longus tantummodo cantus

undarum et zephyri placide fluitantis in

[umbra.  
Illic venator tranquilla silentia nullus

terrifico nemorum praefert perrumpere

[bombo;  
nullae hominum insidiae terrent nec saeva

[pericla  
nec gressu aufugunt properantur; degere

[vitam  
tranquillam gaudent, natis impendere curas,

fluminis ad ripas nonnunquam tergere pin-

[nas,  
blanditias Veneris iucundas carpere et ipsae,

luxuriant patulae dum cuncta cacumina sil-

[vae.  
At cum confecto propius sol surgere

[cursu  
approperat cupiens arcoas perdere brumas

aestusque incendit nivibusque in vertice fusis  
Nilus praecipitat calidos foecundus in agros,

tempus adest avibus gelidas tunc tendere ad

[oras.

Nescio quaeque sinu suas voces audiat imo

linquere niliacae quae ignoto flamine quodam

impellat querulae tacitura silentia ripae.

Membra voluptatem videoas tunc nubila cun-

[ctis  
serpere tentandi, vario tunc murmur voces

hinc illinc resonare graves, sese inde vocare,

quo loca cuncta fremunt, stridenti gutture

[circum.

Lux ubi certa micat, longinquo in limite cae-  
[lum] cum nondum roseo suffusum lumine fulget,  
alas dux volucrum patulas de vertice pandit  
arboris et reliquias clamoribus excitat altis  
e somno, latisque nemus tum flexibus ambit.  
Hic alis captant distentis aethera, ramis  
hic mediis plaudunt caelum tranare paratae,  
natos hic, sociosque vocant volitantque per  
[altum] atque implent viridem laeto stridore tacen-  
[tem] silvam caeruleumque polum, qui lumine sen-  
[sim] clarus adhuc dubio per aperta serena nitescit.  
Hincque vagam efficiunt volitantes more co-  
[luminam] atque fremunt omnes: ubi convenere fre-  
[quentes] undique et expectant regionem linquere si-  
[gnum] deserta ac vasti longo ordine findere caeli,  
carpit iter princeps avium, quatit aethera  
[pinnis] et petit arcois rapidus loca tecta pruinis.  
Iamiam niliacis ripis post terga relictis  
apparet glaucum pelagus, umidasque per  
[fundas] agmen pergit iter: scintillant aequora sole  
omnia qui exoriens compleat fulgore sereni-  
dum secat immensum caeli. Deinde axe su-  
[perno] cum sol praecipitat paullatim clarus ad am-  
[plum] Oceanum, fessaeque via longoque volatu  
exoptant volucres tandem captare quietem,  
conspiciunt Melitam caput exertare nitentem  
undis: hic tendunt et celso culmine cautis,  
vix Phoebus roseis sese caelavit in antris,  
descendit capiens tantillum quaeque sopor-  
[rem]. Postera ab extremo cum lux splendescere  
[ponto] incipit, aggrediuntur iter tum rursus et ae-  
[quor] en patet ionium; longinquo limite vertex

nigrescit niveus, fumum qui iactat ab ore  
ingentem, colles iamiam tolluntur opaci,  
lingula et in medias terrae protenditur undas...  
Hic timor infandus volitantum pectora tor-  
[quet; nam, cum niliaci loca fluminis uda colentes  
nil timeant hominum gressus vultusque, Pe-  
[lori] vix ubi caeruleo apparent ex marmore montes  
et calabiae cautes, volucres vaga lumina cir-  
[cum] huic illuc volvunt veluti mala cuncta pavescant.  
Hinc quaeque insidias venis sibi serpere sentit  
quas genitor fugit, perstant in imagine colles  
infandi, auriculis bombi reboare videntur:  
omnes conspiciunt pateat num funeris atrii  
effugium... Infames accedunt nomine colles  
quos fugerent boreas obstans nisi flaret ab  
[antris] aeoliis: iam nulla datur via praelia turmis  
qua vitent miseris, medios nam saevus in  
[hostes] ventus agit... Spreto volucres tum rebus in  
[arctis] usque timore ruunt horrenda pericla paratae  
vincere, ut optatam pertingant remige sedem,  
spargere sive ictu confectae sanguine terram.  
Mox venatores, ramorum e tegmine parvo  
omnia qui observant, longinquo in monte  
[Pelori] vix volucrum inspiciunt turmas super aequora  
arma leves capiunt, nitrato pulvere capsas  
oppletas claudunt ballistae ventre sub imo,  
anxii et exspectant incerto pectore. Longo  
at procul interea pueri clamore salutant  
quae properant volucres et vocibus acribus  
[augent] vim venatorum: — Vigiles! Attendite cuncti!  
Iamque viatores consistunt, arma minaces  
hic iuvenes rapiunt, mulier quoque limina  
[tangit] ut turmas spectet quae in caelo praelia ten-  
[tent;] huic illuc puerum volitant gaudentque co-  
[hortes]

Verum postremo vigilis ballista boatum  
iactans terrorem turmis iniecit et amens  
agmen quaeque suum rapidis en deserit  
[alis:] pars huc se verit, pars illuc, terror ut ingens  
impellit miseras fatum quibus imminent  
[atrum]. Ictus terrific resonat per aperta, serenum  
hinc aliis late magnus ferit aethera bombus  
valles quo reboant, reboant quo culmina  
[montis]. Quidnam percipiunt volucres? quocumque tre-  
[mentes] se vertunt, glandes crepitant et sibila terrent,  
nonnullaeque ruunt confectae vulnere, pin-  
[nas] praecipitesque auris madefactas sanguine  
[linquunt]. Circuitu ast aliae longe modo caerulea cap-  
[tant] ex telis, vitantque ictus plumbumque ne-  
[cemque], deinde Apennini repetunt iuga summa, re-  
[lictis] quas horrenda manent, dederunt mortisve  
[piaculum], aut redeunt boreae vincentes flamina cursu.  
At quaedam volucres ballistae fulmine tactae  
heu decidere polo vita fugiente misellae;  
nonnunquam vero perfractae remige, lesae  
vulnere vel rubeo ventis pugnantia membra  
rupto fulgentem liquerunt aethera lapsu.  
Saepe, levis tantum patuit si pectore plaga,  
tristem impendentem mortem conceditur illis  
devitare, alis calidas nam robore aduncis,  
sensim dum manat venis pulsantibus unda  
sanguinis, incipiunt rostris devellere plumas  
quae modo vulneribus multis medeantur  
[apertis, ne fugiat totus miseris cito sanguis hiatus  
et Libitina ruat... Mediis sic vitat in herbis  
abdita avis saevae mortis quandoque pericla;  
cum vero crepitus reticent rediitque cupido  
caelum tentandi, quatit alas, caerulea captat  
et raptim infames cautes lapsu alite linquit  
pergere iussa viam heu nulla comitata sorore,

Sin Mors praecipitat, calido iam sanguine  
[fuso, saucia tendentes memorat per inhospita, et  
[illi] imminet infelix dolor; hic tumefacta minaces  
in venatorem cupidum detorquet ocellos  
atque canes ipso rostris sub funere terret.  
Cum colles turmae celeres fugere volu-  
[crum] nec reboant valles vicini ad litora ponti  
en venatores linquunt loca perfida fraude  
ancipitisque docent pugnae sua quisque pe-  
[ricla] et risus crepitant, simul et convicia circum.  
Bellum quanta agitat vincendi corda voluptas  
et deferre domum confectum vulnere mon-  
[strum, maxima ne cunctis quam primum fabula  
[fiant!] Inde irae flagrant quae tot labentibus annis  
saepe manent: video, ubi bombus inaniter  
[aethram] percutit et volucrem laeto de more salutat,  
hostes adverso de vertice mittere longa  
sibila; tum raucum nonnunquam buccina  
[signum] iactat ut inviso opprobrium mox surgat in  
[aevum, illius et rabies valeat mordere furentis  
pectora. Saepe autem, fugiant quo saxa vo-  
[lucres] proxima et incassum tempus terat ille, pro-  
[pinquo] limite panduntur longo vaga lintea ligno  
undique quae boreae zephyris moveantur  
[amoenis. In gyrum interdum dependens stipite ab alto  
plurima subtilis ex ferro vertitur auris  
lamina, dispositos quae palos ordine tangens  
edere continuos auditur ubique sonores  
dum Phoebi adversi radios simul excipit atque  
huc illuc reddit veluti si fulguret ignis.  
Heu, quot res hominum mens nullis percita  
[curis] invenit!... Ut volucrum turmae iam litoris  
[oras]

adveniunt calabras, excelsis collibus illas  
haec nova perterrent: minitantur linteae vela  
atque ipsae auriculis bomborum murmura

[captant,  
fulgura et aspiciunt quae ex ferro lamina  
[iactat  
tanquam multa ruant de montibus agmina  
[summis  
et clypei videantur et arma nitescere sole.  
Inde iter, insidias saevas fraudesque timentes,  
avertunt, vel summa petunt, nigrasque co-  
[hortes

conspicunt venatores, sua pectora quisque  
dum rabie atque ira sensim turgescere sentit,  
caerulea praecipites tranare silentia caeli.

Cum sol deinde ruit, domibus post bella  
[revertit

quisque suis fessus; suspensam gestat adunco  
confossam volucrem rostro, fortuna benigna  
si inceptis fovit; sin contra, multa nefando,  
heu, iactant boreae qui non efflarit amicus.

Sic Maius mensis nostra praeclarus in ora  
transit. Cum Phoebi propius deinde imminet

[aestus  
nulla polum tranat volucris, summasque re-  
[linquunt

iam venatores cautes et praelia narrant,  
narrabuntque diu laeti certamina Martis  
horrificosque ictus nitrato pulvere missos  
et volucres subito linquentes aethera lapsu.  
At modo quae reliquae fugere pericula mortis  
tendere iter pergunt, nemoris vel summa pro-  
[fundit  
pax tandem exceptit mediis ubi frondibus,

[factam  
mente iuvat memorare viam saevosque la-  
[bores  
niliacis tulerunt ripis quos more relictis,  
aequaora sicelidis ponti cum clara secent  
et celeres peterent calabras facto agmine  
[cautes.

Messanae.

JOSEPHUS MORABITO.

## DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

### De quibusdam coniunctionibus ele- ganter convertendis.<sup>2</sup>

I. - Loco coniunctionum « coordinan-  
tium », non raro iteratur vox praecipua  
ante singula enumerationis membra;<sup>3</sup>  
v. g.:

*Habita* est a multitudine ratio tempo-  
ris, *habita* (= et) tumultus, *habita* (= et)  
etiam dignitatis (Cic., *De Supplic.*, 36, 99).

Deinde *hac* cohortamur, *hac* persuade-  
mus, *hac* consolamur afflitos, *hac* deducimus  
perterritos a timore, *hac* gestientes  
comprimimus (Cic., *De Nat. deor.*,  
2, 59).

Te *nemo* recipere tecto, *nemo* alloqui,  
*nemo* respicere vult (Cic.).

Amicitia *nunquam* intempestivam, *nun-  
quam* molesta est (Cic.).

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> Cfr. *De pronominibus eleganter convertendis*, IV, ALMA ROMA, ann. 1931, p. 183. Relativum copulativum.

<sup>3</sup> a) Hoc fit praecipue 1) in interrogationibus oratoriis, in quibus repetitur vox interrogativa; v. g.: *Quis* clarior in Graecia Themistocle, *quis* potentior? (Cic.). - *Quid* homini turpius, *quid* viro miserius? (Cic.).

b) Repeti etiam potest coniunctio, sive « co-  
ordinans », sive « subordinans »; v. g.: Homo non  
sibi se soli natum meminerit, *sed* patriae, *sed* suis  
(Cic.). - *Ut* gravis, *ut* suavis, *ut* erudita sit, *ut*  
liberalis, *ut* sensus, *ut* doloris habeat quantum  
opus sit (Cic., *De Orat.*, III, 25, 96). - Nullus ei  
ludus videtur esse iucundior, *quam* crux, *quam*  
caedes, *quam* ante oculos trucidatio civium (Cic.,  
*Phil.*, IV, 5, 11).

c) Repeti etiam potest coniunctio, sive « co-  
ordinans », sive « subordinans »; v. g.: Homo non  
sibi se soli natum meminerit, *sed* patriae, *sed* suis  
(Cic.). - *Ut* gravis, *ut* suavis, *ut* erudita sit, *ut*  
liberalis, *ut* sensus, *ut* doloris habeat quantum  
opus sit (Cic., *De Orat.*, III, 25, 96). - Nullus ei  
ludus videtur esse iucundior, *quam* crux, *quam*  
caedes, *quam* ante oculos trucidatio civium (Cic.,  
*Phil.*, IV, 5, 11).

II. - « *Et* » ponitur nonnunquam pro  
« *etiam* »,<sup>1</sup> praesertim post « *non solum ...  
sed* »; v. g.:

Non errasti, mater; nam *et* hic Alexander  
est (QUINT. CURT., 3, 12).

Non solum princeps, sed *et* solus bel-  
lum indixit (CORN. NEP., *Thras.*, 1).

Verum autem primum; verum igitur  
*et* secundum (Cic., *Off.*, 3, 6).

*Et* calamitas est virtutis occasio (P. S.).  
Fas est *et* ab hoste doceri (Ov.).

III. - Coniunctio « *et* », quae, in ver-  
nacula lingua, praeponitur interrogationi  
qua extenditur, corrigitur aut definitur  
interrogatio proxime praecedens, redditur  
latine ope « *aut* », vel interdum « *porro* »;  
v. g.:

Sed quis ego sum? *Aut* (= et) quae  
in me est facultas? (Cic.).

An quidquam me aliud agere censes?  
*Aut* (= et) possem vivere, nisi in litteris  
viverem? (Cic., *Fam.*, IX, 26).

Quid est enim aut tam admirabile aut  
tam iucundum aut tam potens tamque  
magnificum? Quid tam *porro* regium?  
(Cic.).<sup>2</sup>

IV. - In sententiis saltem sensu nega-  
tivis, coniunctio « *aut* » non est disiun-  
ctiva, sed copulativa;<sup>3</sup> v. g.:

<sup>1</sup> Pro « *etiam* » usurpari praeterea potest « *vel* »;  
v. g.: Nam isto modo *vel* consulatus vituperabilis  
est (Cic., *Leg.*, 3, 10). - Per me *vel* stertas licet,  
non modo quiescas (Cic., *Acad.*, 4, 29). - *Vel*  
illo asperrimo iudice quaerente (Cic., *Pro Rosc.  
Am.*, 30). - Pueri ob ludos *vel* famem et sitim  
perferunt (Cic.). - Tanta est vis probitatis, ut  
eam *vel* in hoste diligamus (Cic.).

<sup>2</sup> NB. - *Vel* pro *etiam* affirmando dumtaxat  
usurpat; nam negando « *ne... quidem* » adhiberi  
solet, una aut altera voce interposita; v. g.: *Ne  
tu quidem*.

<sup>3</sup> « *Porro* » augendo corrigere potest etiam  
extra interrogationem; v. g.: Mala exigua et *porro*  
minima (Cic.).

<sup>3</sup> a) Tunc particulae « *et*, *que*, *ac* » non possunt  
usurpari nisi ad iungendas voces duas, quae unam

Nec vero id collocutio hominum *aut*  
consensus efficit (Cic., *Tusc.*, I, 13, 30).

Si qua res non ad nutum *aut* volun-  
tatem eius facta sit (CAES., *De Bel. Gal.*,  
1, 31).

Nec in Torquati sermone quidquam  
implicatum *aut* tortuosum fuit (Cic., *De  
Fin.*, III, 1, 3).

Nemo hoc factum *aut* admirabitur  
*aut* imitabitur (Cic.).  
Quid hoc iniquius *aut* indignius dici  
*aut* commemorari potest? (Cic.).

V. - « *Neque (nec)* » usurpatur pro  
coniunctione « *et* » simul et negatione  
« *non* »; « *neve (neu)* », pro « *et ne* »;<sup>1</sup>  
v. g.:

notionem exprimunt; v. g.: Nummos dat arator,  
quos *non aratro ac manu* quaerit (Cic.).

b) Quum iunguntur propositiones finales,  
quarum posterior saltem est negativa, non dicitur  
« *aut ne* », sed « *neve (neu)* »; v. g.: Thrasybulus  
legem tulit ne quis ante actarum rerum accusaretur,  
*neve* multaretur (CORN. NEP.). - Caesar milites  
cohortatus est uti suae pristinae virtutis memoriam  
retineret *neu* perturbarent animo (CAES.).

c) « *Vel* » etiam sensum copulativum tunc  
habere videtur; v. g.: Quis (= nemo) in rebus  
*vel* inveniendis *vel* diiudicandis acrior Aristotele  
fuit? (Cic.).

d) Dicitur « *et non* » a) quum negatio arte con-  
iungitur cum vocabulo sequenti; v. g.: Superbum  
est et *non ferendum* (Cic., *De Sign.*, 20, 45). -  
Quum in dextro cornu legio duodecima et *non  
magno* intervallo septima constitisset (CAES., *De  
Bel. Gal.*, II, 23, 4). - Nonne te *et* prolatis et  
*non prolatis* tabulis condemnari necesse est? (Cic.,  
*Verr.*, II, 4, 16, 36). - Aliorum iudicio permulta  
nobis et facienda et *non facienda* sunt (Cic., *De  
Off.*, I, 41, 147). - *Et* a studiis nostris *non abhorret*  
(Cic., *Fam.*, XII, 22, 1).

e) Quum exprimenda est indignatio, admira-  
ratio; v. g.: Videmus examina tanta servorum  
immissa in populum romanum, *et non* commove-  
mur! (Cic., *De Harusp. respons.*, 12, 25).

f) Quum corrigitur quod dictum est; v. g.:  
Illi iudices, si iudices, *et non* parricidae patriae  
nominandi sunt (Cic., *Pro Planc.*, 29, 70). - Si te  
Tarentum *et non* Samarobrivism misissem (Cic.,  
*Ad Fam.*, VII, 12).

NB. - Tunc praecipue usurpat « *ac non* »;

Orgetorix mortuus est, *neque abest suspicio quin ipse sibi mortem conciverit* (CAES., *De Bel. Gal.*, I, 4, 4).

Opinionibus vulgi rapimur in errorem, *nec vera cernimus* (CIC., *De Leg.*, II, 17, 43).

Ne sit Aeschines *neve Demosthenes Atticus* (CIC., *Orat.*, 9, 29).

VI. - Ad connectendas phrases seu sententias, frequentissimus est usus particularum « *neque (nec)* » pro « *et* » cum negatione;<sup>1</sup> v. g.:

*Nec*, me hercule, aliter vidi existimare Pompeium (CIC., *Fam.*, III, 7).

Impedit enim consilium voluptas, ac mentis, ut ita dicam, praestringit oculos, *nec habet ullum cum virtute commercium* (CIC., *De Sen.*, 12).

Horae quidem cedunt, et dies, et menses, et anni; *nec praeteritum tempus unquam revertitur* (CIC., *De Sen.*, 19).

Praeterea frequenter, sequente verbo, accedit alia negatio, et dicitur « *neque*

v. g.: Si hoc dissuadere est *ac non* disturbare atque pervertere (CIC., *De Leg. Agr.*, 2, 37). - Si quam Rubrius iniuriam suo nomine *ac non* impulsu tuo fecisset (CIC.).

d) Quum « *et* » a « *non* » disiungitur ope incisivi; v. g.: *Et* (quoniam mihi videris istam scientiam iuris tamquam filiolam osculari tuam) *non patiar* (CIC., *Pro Mur.*, 10, 23).

e) In universum « *et non* » poni debet, si non tota sententia negatur, sed dumtaxat aliqua eius vox vel notio; v. g.: Videris mihi aliud quidpiam, *et non id* quod suscepisti, disputasse (CIC., *De Or.*, 3, 16).

<sup>1</sup> a) Hic modus connectendi sententias tam late patet, ut initio phraseos longe frequentius reperiamus « *neque vero, neque enim, neque tamen* », quam « *non vero... etc...* »; in quibus tamen « *neque* » explicari non potest per « *et non* » (Cfr. ALMA ROMA, *De adverbii eleganter convertendis, Regulae speciales*, I).

b) Ut videre est, « *neque (nec)* » venuste se iungitur a « *non* » ope alicuius vocabuli. (Cfr. ALMA ROMA, ann. 1932, n. 110, V).

*non, nec non* » pro « *et* » vel « *etiam* »; v. g.:

Etenim in singulis rebus eiusmodi materies est, ut dies singulos possis consumere. *Neque ego non possum* (CIC., *Pro Rosc. Am.*, 32). (= et ego possum).

*Neque* meam mentem *non* domum saepe revocat examinata uxor, abiecta metu filia (CIC., *Cat.*, IV, 2). (= etiam revocat).

*Neque* vero *non* eadem ira deorum hanc eius satellitibus *iniecit* amentiam, ut sine imaginibus, sine cantu atque laudis, sine exsequiis ambureretur abiectus (CIC., *Pro Mil.*, 32). (= atque etiam iniecit).

*Nec* enim is, qui in te adhuc iniustior fuit, *non magna signa dedit* animi erga te mitigati (CIC., *Fam.*, VI, 1, 5). (= et enim is dedit).

S. Leonardi in Helvetia.

(*Ad proximum numerum*).

I. Jss.

## DE "PHOTOTHERAPIA",

« Phototherapy » iam aliquot in humanae vitae usum adducta post Roentgenios radios repertos et experimenta sumpta ad ea utendum in morborum levamen, medicae artis doctorum animum late in se convertit. Et prospere quidem; periculorum enim exitus is fuit, ut ad curationem ex luce, quam dicunt, interdum firma optati eventus spe recurrere fas sit.

Omnibus plane liquet lucem coloratam vim conspicuam in plantas habere, itemque colores alios fructuum maturitatem, alios vitalem herbarum potestatem accelerare; pariterque lucem, etsi colorum expertem, singulari vi praeditam esse, quae valeat ad « *bacteria* » delenda, vel saltem ad eorum virus minuendum.

Quis enim ignorat solis lumine tuberculosis microbia absumi?

Atqui mira lucis explicatio noc docet ipsam variis motibus constare, quorum sua quisque peculiari ratione agat. Melloni italus auctor fuit similiter radiantem calorem elementariis radiis esse constitutum refrangibili vi inter se disparibus, ita ut caloris fontes non modo contentione differant, sed et natura et qualitate: radios scilicet emittant varia refractionis vi praeditos, variam possideant thermocrosin (i. e. pictura per calorem), eodem ferme modo quo colorantur, vel varios eliciunt radios varie refrangibili vi donati lucis fontes quos rubros, flavos, virides nuncupamus. Hac igitur doctrina facile fuit quae in caloris natura sint explanare, eaque cum iis quae in luminum natura habentur ad magnam unitatem redigere.

Impossibile profecto phototherapiae recentes conatus et effectiones heic enumere; id satis erit, quae generatim in re viri docti adepti sint, attingere.

In primis autem occurrit Finsen doctoris nomen, ex Danorum gente, qui curationem hanc in morbos expertus est ceteris medendi facultatibus rebelles. Animadversionibus enim Duclaux et Arloing doctorum, luci vehementissimae potestatem occidendi microbia negantium, eamque tantum vulgaris iubaris radiis chymicis tribuentium, Finsenius luminosorum radiorum actioni studuit, sive qui in sole sunt, sive qui continerentur in lampade illa ex electride, quam « *ad arcum* » appellamus; ideque assecutus est, ut actionem lucis actioni radiorum chymicorum, qui solis sunt, finiret, eamque in certa humani corporis parte circumscriberet.

Itaque humani corporis contextus pellucidos reapse esse confirmavit, at sanguinem id efficere ut unice a foventibus, id est a rubris radiis, minime vero a radiis chymicis violaceis, penetrantur; tum enim quum integra est pellis, minimus aut nullus

effectus in ea gignitur, vel chymicis radiis in unum locum coactis. Quibus ita constitutis, Finsenius phototherapiam adhibuit in eorum hominum curationem, qui variolis laborarent, ac maiore etiam industria ad tetterimum illum morbum depellendum, cui nomen « *lupus* »; animadvertisque ex quadringentis ac triginta duobus aegris sibi creditis, tercentos et undecim convaluisse, reliquorum valetudinem, vix quatuor exceptis, in melius inclinasse.

Loret et Genoud in Gallia, Finsenii vestigia sequuti, altera periculorum serie certiores fecerunt, diversos solaris luminis radios colore praeditos, orbiculari crystallo densatos atque per idem tempus ad pellem admotos, ruborem inflammationemque generasse, quae maiora fierent, prouti radii rubri accederent; altera vero, quum doctores illi eadem ratione et in ordinem ipsos radios tentassent, dissimiles effectus sese obtinuisse; inde arguere licere, radiorum coloratorum in plurium morborum curatione variam esse actionem. Et de morbis, quo antea memoravimus, a clarissimis illis viris iterata studia iterarunt successus; duplex enim exitus: et microbiorum tubercularium caedes, et quo loco prius infirmus esset contextus, ibi novi contextus generatio, itemque visu integrum.

In Italia quoque et in ipsa Roma phototherapiae vacatum est et vacatur; in Germania denique Behlow, Kazlawki manus rei admoverunt ut nervorum infirmitatibus, cutis aut muscularum morbis mederentur; pluribus autem huiusmodi intendere licebit, quum, prouti in optatis est, ars perfecta sit, qua in humanum corpus facilius ac vehementiore vi violaceos iubaris radios adhibere datum fuerit.

FORFEX.

Nomen ab Auctoribus propositum pro novis istis substantiis est ex praefixo « radio » qualitatem radioactivam significante ex quo nomine elementi, cuius est isotopus; ita habere licet radionitrogenium, radiosilicium, radiophoshorum.

Ut patet, agitur hic de vera metamorphosi chimica artificiali.

#### DE INQUISITIONE EXPERIMENTALI IN MICROPHONUM GRANULARE.

Ex experientiis a D. N. Truscott super microphonum granulis carbonicis continens, haec deducuntur:

Effectus proprius microphoni, ut ex exeunte unda electrica deducere fas est, cum sex quantitatibus variabilibus comparatur; quae sunt: vibrationis amplitudo, vibrationis frequentia, microphonii resistentia, eius temperatura, intensitas undae ei adductae et dispositio granulorum.

Haec ultima tamen valde inferior est quam vulgo putabamus; nam pertingit tantum decem ex centum si undae intensitas est quinquaginta milliamperarum.

Diagrammata quae effectus illos describunt sunt stabilia in tempore, ita ut tamquam nota singularis sumi possint.

Effectus proprius granulorum videtur in hoc esse: aperiendi nempe, vel claudendi circuitum per simplicem contactum.

Dum hic commentarii nostri fasciculus excidetur, funestissimum nuncium affertur, r. p. Josephum Gianfranceschi e s. I., Pontificiae Novorum Lynceniorum Academiae Praesidem, ac Vaticanae radiophonicae stationis Moderatorem, diutino acerbatisque pleno guttus morbo victum, vix sexagesimum laboriosae vitae annum attingentem - natus enim erat in Piceni oppido Arcevia anno 1875 - fato concessisse. Clarissimo viro in physica disciplina perfecte planeque eruditio, magistro sollertia, sacerdoti insigni pietate excellenti, debitum honoris tributum maerenti animo solvimus. — A. R.

## ANNALES

### Adhuc de discessu ab armis.

Genevae, auctore illo Norman Davis, Roosevelti legato ad pertractandam quæstionem de discessu ab armis, Gallia et Anglia rogationi iam a supremo conventus Concilio, non sine tamen aliqua Italiae exceptione, ratae, assentiuntur, qua Commissio quæ appellatur generalis, quum sibi persuasum fecerit, necesse omnino esse ut Conventus de discessu ab armis finem suum aliquomodo assequatur, in incoepitis studiis persequendis constans, apud viros ad rem delegatos instet, ut rationem aliquam tandem inveniant, per quam quaestio expediatur, sine tamen præiudicio colloquiorum, quae singillatim natio quaelibet cum altera haberi velit, quo melius ad felicem exitum res perducatur; utque ad Conventum redire Germaniam inducat.

Hisce, laudabilibus proculdubio, sermonibus res... ad Kalendas Graecas protrahitur.

\* \*

### Publicorum administratorum colloquia.

At colloquia singulorum rerum publicarum Praesidum revera intercessere, quorum maximi momenti visum est, quod Hitlerus, Germanorum Cancellarius, cum Musolinio, Italorum negotiorum duce, Stra in oppido atque Venetiarum in urbe habuit: in eo enim, prout vulgatum est, socia benevolentia opera, in examen revocata sunt tum universorum, tum alterutrius nationis mutua problemata.

Tergeste autem coivere Italicus exterarum rerum alter a secretis Asquini, atque Stockinger Commercii Austriaci administer, ad compositions feriendas de moderandis utriusque civitatis commerciis, præsertim de Tergestini portus mercatura.

Barthou denique, Gallicus administer, Bukarestinum atque deinde Belogradum petiit. Quae vero de hisce colloquiis relata sunt, neque minus oratio a Titulescu, exterarum rerum Rumeno administristro, deinde habita, in qua sollemniter edixit hodiernos territorii fines ubique minime immutandos esse, Hungarorum deprecationes excitarunt, qui suorum finium emendationem sibi repetunt.

\* \* \*

### Ex Germania.

In Germania, hoc Iunio mense exeunte, graves volvuntur dies: hinc enim sex mensium erga exterorū suorum debitorum solutionis intermissione, reclamations ceterarum nationum, Anglicae præsertim, quae et clarigationes minitata est, movit; inde periculum seditionis factum est a prætorianis, ut ita dicamus, « social-nationalistarum » — quam vulgo appellant — factionis. Hitlerus huiusmodi minas non incruenta heu! vi repressit: Roehm ipsum administrum et supremum illarum copiarum duce, Von Schleicher, qui iam fuerat Germaniae Cancellarius, regionalesque plures duces, publicosque alios privatosque cives sine iudicio neci demisit!...

POPICOLA.

## VARIA

### Populi multitudinem sine ductore nihil proficere: nec oportere ei minari, a quo sis quidpiam petiturus.<sup>1</sup>

Quum plebs Romana, caede Virginii excitata, in Sacrum montem armata secessisset, Senatus missis ad illam binis consularibus suis, quæsivit quid sibi vel-

<sup>1</sup> EX NICOLAI MACHIAVELLI opere, cui titulus: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii, lib. I. Latine vertit E. Bindi.*

lent, quod armati Aventinum obsedit, desertoque bello patriam suam cepissent? Tantum autem valebat apud plebem Senatus auctoritas, ut quum nondum ducem haberet, nemo responsum dare auderet, et, ut Livius inquit, « non defuit quid responderetur, deerat qui responsum daret, nullo tum certo duce, nec satis ardenti bus singulis invidiae se offerre ». Quo loco observare decet quam parum proficere queat populi multitudo absque certo duce; idque iam tum, cum a ceteris, tum a Virginio præcipue observatum est; quamobrem curavere tunc, ut ex ipsis viginti tribuni militum crearentur, qui summae rerum præessent et cum Senatu de iis agerent, quae postularent. Ceterum quum ante creatos hos viginti tribunos a multitidine conclamatum esset, non datus se responsum, nisi ad eos mitterentur Valerius atque Horatius, placebat Senatui Valerium Horatiumque in Aventinum ire, sed ire negabant se aliter ituros, quam si decemviri deponerent insignia magistratus eius, quo anno iam ante abissent. Quod quum decemviri post multam concertationem facere coacti fuissent, Valerius Horatiusque ad plebem profecti, intellexere, id eam velle ut tribunitium auxilium sibi restueretur; præterea ut deinceps ab unoquoque magistratu liceret ad populum appellare: Decemviros denique sibi ad supplicium tradi, quos vivos igni crematuros minabatur. Ad quam Legati, placere sibi cetera postulata, aequo ultiro illis offrenda: ultimum damnarunt; nam « crudelitatem, — inquiunt ad plebem legati — metuitis; crudelitatis odio in crudelitatem ruitis, et priusquam liberi sitis, dominari iam in adversarios vultis ». Non oportere ergo nunc eius rei facere mentionem, quum recuperatis magistratibus legibusque, iudicia essent penes eos futura, atque tunc de uniuscuiusque capite ac fortunis, prout causa fuerit, constituere posse. Hic vero animadvertere oportet, quam stulte

## COLLOQUIA LATINA

### Excusatio absentiae.<sup>1</sup>

MAGISTER, IANITOR, ANTONIUS, IOANNES, MARCUS.

MAGISTER. - Euge, Ianitor, ades dum. IANITOR. - Adsum, impera.

MAG. - Quinam externo die scholam non obierunt?

IAN. - Qui? Antonius Niger, Ioannes Faber, Marcus Sylvius.

MAG. - Perpaucos memoras.

IAN. - Reliqui ad unum omnes coram praesentes affuerunt.

MAG. - Extra eos videlicet, qui munusculis te elinguaverunt.

IAN. - Hoc quidem alias quum tentarent nonnulli, semper Austrum perculerunt.

MAG. - Probatus es homo et in munere tuo fidelis. - Heus! prodite vos in medium repente, statim, sine mora. An nondum etiam? Confestim, inquam, advolare. Quid habes, Antoni, dicere ad excusandam absentiam?

ANTONIUS. - Ingens quidam et intollerabilis dolor occupaverat sinciput meum. Quocirca mihi in mandatis dabat mater, extra aedes pedem usquam ponerem.

MAG. - Fabulae. Tibi ut credam? Non ego te novi?

ANT. - Si verbis meis exigua apud te est fides, certum hominem ad matrem et familiares indagatum allega.

MAG. - Logi.

ANT. - Haud secus repieres.

MAG. - Somnium. Quasi vero tu, ut es callidus et versipellis, hoc tuis non imposuissest, tibi nimurum condolere ca-

put. Studebas poenas effugere, quae propter segnitiem te manebat.

ANT. - Neutquam, Praeceptor, non imposui profecto; revera nihil finxi.

MAG. - Potero ne hodie verum ex isto pueru exscalpere? Cave mihi mendacii quidquam.

ANT. - Vera loquor. Si aliter fuerit ac dixi, causae nihil erit quin tibi dem poenas.

MAG. - I sessum: rem ego nunc quidem in medio relinquam. Tu, bone Faber, quo negotio implicatus tenebare?

IOANNES. - Pater, quopiam profectus ad animum suum relaxandum remittendumque, me perduxit illuc secum.

MAG. - Quo profectus?

IOAN. - In villulam nostram, quae aliquot millia passuum ab urbe distat.

MAG. - Cur pridie mihi non praenuntiasti?

IOAN. - Noctu hac de re deliberavit pater: tum multo mane in viam nos dedimus, ut ad te adire nequiverim nec voluerim, quod verebar ut cubitu surrexisses.

MAG. - Dictum inopinatum atque mirabile, te alioqui somniculosissimum, id temporis, sub galli cantum scilicet, experrectum. Monstra ac portenta loqueris.

IOAN. - Videre me somnum haud sinebat gratissimae missionis exspectatio.

MAG. - Quin tu exoraveras patrem, ut hoc promitteret.

IOAN. - Factum est ut, patre secundo, villam amoenissimam petiverim, ibique animum studiorum perpetuate fatigatum triduo isto instauraverim. Proinde, amabo, mi Praeceptor, ultra parce quaerere, quandoque te clam non est, quanto me opere schola delectet, nusquam ut sim libentius.

MAG. - Qui tibi incessit metus poenarum insolitus, hic de improviso oratorem te reddidit. Nunc condonabitur erratum. Posthac nisi quoquo modo de absentia certiore me feceris, debitibus poenis te mulctabo. Percepisti?

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis*. - Passim retractavit hodierisque moribus aptavit I. F.

IOAN. - Planissime.

MAG. - Restat ut te quoque purges, solute adolescens, et omnium inertium inertissime. Quid egisti? aut ubi fuisti? aut quare in ludum non venisti? Quid est, Sylve? Quid taces?

MARCUS. - Exstimas esse ferias litterarias.

MAG. - Ridiculum. Hoccine os tuum? istane frons tua? Ecquid, o insulse, nudius tertius aut quartus primum auditioes obvie coepisti? Quomodo? An ter nesciebas vacationi diem Iovis consecratum? Hic ego te manifestum mendacii teneo.

MARC. - Ast mihi occurrebat heri dies Iovis.

MAG. - Ast ego faxo tibi hodie poena occurrat. Lepidum capitulum! Te ne errare isto negotio tam antiquo, tam noto, tam vulgato? Quamobrem autem horis antemeridianis saltem non comparuisti in hoc loco? Praetexis culpam hoc figmento: non fit mihi verisimile quod ais. Illi, illi sodales et congerrones tui aliquo te ambulatum aut lusum avocarunt. Poenas dabis.

MARC. - Miser, ah! miser, cui tam male vertit dolus. Sed te obtestor, unam hanc dimitte noxiā, nec sane rursus admittam.

MAG. - Nihil agis.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

### A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE

#### LATINE VULGATAE

#### NOTITIAE.

##### DE NOVISSIMA DETERMINATIONE VELOCITATIS LUCIS.

Recens publici iuris factum est, oscillationes ultimis his annis detectas ad lucis velocitatem statuendam, variationibus periodicis annuis, quae nequeunt ex toto

vitari in ipsis experientiis, potius esse tribuendas.

Valor qui huc usque magis attendens apparuit, est 299.774 chilometrorum per secundum temporis: variationes admittendae videntur tantum in ultima cifra.

Determinationes quae nunc fiunt sunt progressus earum quae, iam a Michelson institutae, a Pease et Pearson ducuntur.

Ad vitandas incertitudines ex aëreis refractione genitas, lucis iter fit nunc in tibia aëre vacuata, cuius longitudo ad milium pertingit.

Methodus est semper quae specula rotantia adhibet.

#### DE NOVA SPECIE

##### ELEMENTORUM RADIANTIUM.

Juliot et Curie, qui iam a pluribus mensibus in emissionem positronum ex levioribus elementis excitandam incumbunt, novos nota dignos exitus recens consecuti sunt.

Aluminium radiationibus ex polonio manantibus expositum, emitit positrones non tantum dum exstat polonii emanatio; ea enim sublata, permanet emissio per plura momenta temporis.

Tempus periodicum huius radioactivitatis, vitam ut dicitur mensurans, videtur quatuordecim momenta attingere.

Sed ex particularum alpha proiectione super leviora metalla, ut beryllum, magnesium et aluminium, novi effectus nunc apparuerunt.

Videntur enim ex his nova radioelementa gigni, quae ut isotopes incogniti pro elementis iam cognitis considerari possunt.

Sic ex boro, quum particulam alpham absorbuit, fieri creditur athomus radioactus isotopus cum nitrogenio, qui positronem emittere valeat, eoque emissio athomus isotopus cum carbonio.

Simili quodam modo efformari isotopes silicii et phosphori.

agant qui, quum impetrare quidquam conantur, antequam id obtineant, ostendunt in quos usus convertere decreverint; praesertim si illi futuri sint formidolosi. Perinde enim est ac dicas: « Concede mihi arma ut te iugulare queam » ...

\* \*

**Fraudulentus.**

Periculose aegrotans quidam vovit centum se bobus rem divinam diis facturam, si convaluisset. Dii illum, fide habita, sanitati pristinae restituerunt. At ipse confirmatus, centum pannuceos boves finxit, Diisque immolavit. Quam rem quum indigne tulissent Dii, exacturi poenas perfidiae, immisere illi somnium, quo iuberetur in certo loco littoris terram effodere, quod quadraginta nummum millia ibi esset inventurus. Quo quum expergefactus cuipide perrexisset et aurum quaereret, captus a piratis fuit. At ille similiter, ut Deos antea, et hos fallere tentans, pollicetur pro suo corpore talenta mille, immanem quidem pecuniae summam. Sed quum huic illi minime crederent, mille denariis venundatus fuit.

Fabula docet mendaces homines Diis hominibus esse invisos.

\* \*

**Pro iudicibus mensarum eleganticibus.**

ESCARUM ORDO:

*Funiculi sucosi.**Sparus dentex elixus cum condimentis ovorum.**Satura Macaedonica.**Columbi domestici vera assi.**Segmenta mali aurei gelida.*

\* \*

**Iocosa.**

Vehemens spirat ventus, qui viatoris cuiusdam turritum galerum, a capite avulsum, velociter per viam convolvit. Accurrit Tuccius, pedeque graviter ipsi imposito, viatori galerum assequi nitenti:

— Ne nimis fatigeris — clamat — ego enim ita galerum premo, ut ulterius ire omnino nequeat.

\* \*

**TUCCIU in schola.**

MAGISTER: — Saepe scientiae maxima inventa ab eorum inventore nomen assumunt. Hinc a Marconio manavit *Marco-nigraphia*, a ... Tucci, exemplum alterum tu ne offerre potes?

TUCCIU prompte: — Lampadem ad arcum.

MAGISTER: — Ecquid? Quisnam tu putas reperisse?

TUCCIU: — Certe Ioanna illa gallica virago fuit, cuius historiam nobis externa die narrasti.

\* \*

**Aenigmata.**

## I.

*Tota volat per aquas, truncor si vertice,*  
[mellis

Dona dabo moriens: aëra possideo.

## II.

*Signo lacum, stagnum, piscinam, signo fo-*  
[ramen:

*Rho mihi subnectas; conclavibus addo*  
[decorum.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) I-o; 2) Eva, Ave.

**DE ROBERTI SCOTTI**

[28]

**NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO**

Tum — in statione erant undequadragesima — Scottus narrat oculos virorum, excepto Wilsone, meliores esse, thermometro adgnosci gradus viginti quattuor, se processisse eo die indutos interioribus tantum tunicellis; has ita permaduisse sudore ut possent extorqueri, sic radiis solis uri ipsam fere cutem; paulo post gelida flante aura, totis se corporibus atque adeo ossibus perhorruisse, scissa vulnere labia se circumtegere emplastro serico, torqueri assidua se siti et procedentes assidue in ore habere glaciem, quoties constitissent multum se bibisse aquae.

A. d. XIV. kal. Ian. in stationem venrunt quadragesimam primam, quae Rossi Limine altior erat metris mille septuaginta. Scottus, quod ille raro, rem nuntiat succedere: « In commodum, inquit, hodie mane egressi solum, paulo post in confragoza incidimus. Ipsi in fossam bis lapsu male attritum genu est et coxa, sed non intermisso itinere repente inferimur in glaciem mirifice glabram atque expeditam. Postea, circiter meridiem, per antiquam nivem minus facile sequebantur traheae, et perventum est in superiore glacialis cratera. Emensi hodie sumus chilometra viginti septem neque nimium defatigati sumus, etsi mihi prolapsio mane submolesta incessio erat. Eduardus Evans et Bowers totum diem in dimetiendis angulis occupati erant, ut sperare liceat materiam collegisse accuratae tabulae geographicae. Etiam camera receptae imagines sunt et adumbratae regionis lineamenta graphide. Tales dies mirum quantum confirmant animum et erigunt ».

Postridie, a. d. III. kal. Ian., vel duo dequadraginta chilometra obtenta sunt ascensumque est ad altitudinem metrum mille nongentorum octoginta. Ferramentis dentatis vel aculeatis<sup>1</sup> usi facile in glacie provexere traheas, tactumque erat eo die latitudinis punctum quinquagesimum nonum gradus octogesimi quinti. Ibi Scottus elegit, qui ex punto decimo gradus octogesimi sexti reverterentur. Fuerunt Aktinson, Wright, Cherry-Garrard, Keohane. Misere omnes deceptos cerneret, sed praeter ceteros Wright. Et fatetur Scottus semper se illam electionem suspenso praevidisse animo neque quidquam conspicuum potuisse lamentabilius. Sed constitutum erat, ut inde procederent homines octo cum monadibus alimentariis duodecim. Alimentariam monadem appellat victum hebdomadarium hominum quaternum. Itaque statio quadragesima tertia ascensis iam metrum duobus millibus et quadrigentis fere facta est Cella glacialis superior. Thermometrum exhibebat duodevigesimum infra zerum, sed silentibus ventis et in aprico sole hominibus bene erat in tentoriis res suas ex traheis conquirentibus et in traheas transponentibus.

XI. kal. in statione quadragesima quarta omnium animi percussi sunt discessu sociorum. Restabant traheae duae. Unam ducebat Scottus cum Wilsone et Oates et Edgaro Evans; alteram Eduardus Evans, Bowers Crean Lashly. Eo die mediocri labore superantes declivia sereno conseruent chilometra undeviginti. Postero die

<sup>1</sup> «Steigeisen». Utinam scirem quid nominarem rectius!

per artibus ad pugnam nos vitae roboret. In itinere duritatis est chalybeae; numquam languescit.

Evanum gigantem dicas in faciendo opere, neque minoris facias eius iudicium. Calceamenta adaptata pedalibus nostris, aculeata ferramenta, tam necessaria nobis, quamquam non excogitata sunt ab ipso, tamen singula tota fabricavit. Commissu eidem cura trahearum et singularum rerum in eis collocandarum, tentorum, saccorum cubitorum, ornamentorum: numquam audivi, qui in eo genere quererentur. Evanii auspiciis exstrui solet tentorium; Evanius edicit in traheis quo ordine collocentur singula, et est mirum, quam ille scite omnia ita locet ut ad manum sint, et ut ponderum sit aequabilitas. Evanus, antequam caesi mannuli sunt, cotidie, mane observabat atque corrigebat in sarcina errores. Bowers, statura corporis haud magna, plane miraculum est. Hac ille se vita mirifice oblectat.

Rei penariae praefectus semper compertum habet, quae et nostra et eorum qui in reditu sunt, ratio sit cibaria, neque unquam erravit in dividendo cibo mutatis sodalitiis. Idem meteorologicas diligenter tabulas conficit, observat caeli regionem, administrat photographicam cameram. Nullus ad eum patet accessus aegritudinis, nihil putat sibi difficilium esse. Difficile est eum adducere in tentorium ut se recipiat in tempore; frigora ne sentire quidem videtur, et ubi ceteri dormiunt, Bowers adhuc scribit, vel quae observavit computat, velut erinacus in sacco suo convolutus. Oates prius laudabiliter praefuit equis, nunc infatigabilis cursor est, officia obit tentorii in ferendis aerumnis cedit nulli. Non potuit, inquam, cooptari societas felicius ».

Hi igitur quinque vastissimas pervadentes solitudines IV Idus Ian. confectis aegerrime chilometris novem Cellam instruxerunt victu unius hebdomadae et

vestimentis. Cellae sesquigraduali nomen inditum loco, qui fuit ad undeoctagesimi gradus punctum undetrigesimum. Progrediuntur cum victu dierum octo et cum vestimentis omnino necessariis. Vesperi Scottus: « Heri adhuc iurassem nos per venturos esse, sed desunt verba, quibus describam quam hodie emensi simus viam. Oppleta erat tota velut quadam nivea arena, quae collustrata paulisper sole prorsus invia facta est. Quae res nisi mutabitur, non durabimus. Effecta hodie sunt chilometra non amplius viginti. A polo absumus tota centum quinquaginta septem. »

Etiam proximis diebus viam queritur. Pridie Idus, in statione sexagesima quarta scribit se omnes post meridiem cum gaudio sensisse traheam sequi per sese. Sed eheu! — inquit, — paucis horae punctis post taetriores res facta est, quam unquam fuerat. Sed experti hoc sumus illa horae particula: tantum opus esse meabili via ad colligendas, quae iam fractae viderentur vires. Nam antea id vehementer timueram. Facile in solitudine euntibus subit exhaustarum virium formido, sed postea in tentorio sedentes laboris acti capit oblivio. Et postridie Idus dicit sentiri frigora ab sociis. Praeter ceteros Oates videri atteri labore itineris et frigore. Distamus — inquit — septuaginta chilometris. Utinam aliquot apisceremur dies serenos! Tantum tempestate excludimur.

A. d. XVIII kal. Febr. ad punctum trigesimum gradus nonagesimi deposuerunt victum dierum quattuor et perleves quasdam res in tentorio prandii.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,

*Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.*

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

# ALMA ROMA

QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

*Nuperrime prodit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 475 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 950, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXI      Romae, Mense Augusto et Septembri MCMXXXIV      Fasc. VIII-IX



# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

I retium subnotationis an. MCMXXXIV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96*.

### DE IURE ATQUE IUSTITIA<sup>1</sup>

Nascimur non a nobis sed et Parentum opera et Dei; a quo conditi nascimur intellectu ac libertate praediti, eo fine ut rebus recte usi, quas Deus ipse nobis donavit, ad Eundem redeamus. Haec ordinatio nostra naturalis ad Deum libere

<sup>1</sup> Ex opere, cui titulus *Ius civile privatum comparatum*, quod proxime prodibit. Invat praeterea heic referre quae Auctor in «Mente», qua operi praefatur, de renovando latinæ linguae usu scribit: «Nemo ignorat hodie undique excitata esse studia renovandi inter doctiores linguae latinæ usus; qua in re non pauci novum quoddam quasi evangelium sese nunciatiuros iactant contra non paucos qui dletitant hanc rem esse desperandam, eo quod res novae non possint vetusta demortuaque lingua proferri. Utrique autem, siquid opinamur, aberrare procul a rerum veritate videntur, atque in id unum consentire, quod censeant latinam linguam demortuam obsoleuisse iamdudum. At vero nec mortua unquam est, nec novis exprimendis rebus minus apta; utrumque iis constat qui ea familiariter, nec tamen inconcinne prorsus, cotidie usi sunt atque utuntur. Itaque et his conantibus viris, ceteroquin laudandis de studio nobilissimi huius atque vivissimi latini sermonis eo tandem revocandi unde nullo iure nullaque religione sed insano consilio deiectus a laicis nonnullis fuit, calculum hoc nostrum qualemcumque afferimus, rati non ingratum nec inane prorsus esse futurum».

quaerendum, cognoscendum, amandum, dicitur *lex naturalis*, quatenus quaelibet ordinatio legis nomen subit; et quia quae libertate attingantur, *ordinem ethicum* seu *moralem* dicimus constituere, ideo haec dicitur *lex ethica naturalis*, eaque omnes homines natura ipsa attingit. Huius autem legis est efficaciter homines dirigere, seu *obligare* ad ea adhibenda media quae sint ad finem ultimum consequendum necessaria: ideo libertas nostra ita natura sua intelligitur, ut moraliter obligemur legem sequi naturalem, seu ordinem sequi ethicum naturalem, prout cuique suae rectificationis usu patet. Porro, quum non semper aperte constet quaenam media sint huic fini ultimo necessaria, quumque complura non sint per se necessaria sed valde utilia, quumque demum nos non adulti doctique nascamur, ideo maxime convenit et est relative necessesse ut Deus ipse per se vel per alios, aut saltem parentes iive qui eorum loco sint, explicite aperteque praecipient quae in lege naturali ethica implicite contineantur, aut quae non sint definita definiant.

Et quia nascimur e societate parentum in familia, quae est prima hominum so-

<sup>1</sup> Quippe quibus iuvamur ad ultimum finem; a quo oennis ordo moralis tandem est repetendus.

cetas eademque naturalis et necessaria, ideo nativitate ipsa relationes sortimur non modo erga Deum, sed et erga parentes atque nostram erga familiam: et quia intellectu praediti ac voluntate nascimur, ideo ii sumus, qui ceteros intellegamus atque amemus, amemurque vicissim atque intellegamur, iuvemus atque iuvemur; novae ita relationes exoriuntur, eo ampliores quo latius pateat societas; quae relationes necesse est certa continentur lege, certa regantur ad finem ultimum norma,<sup>1</sup> quae nos teneat atque obliget non modo quod ad Deum, sed et quod ad homines.

Enascitur ita in ordine ethico naturali ordo socialis idemque naturalis, obligativis certis normis moderandus atque regendus, quo libertas hominis naturalis iuvetur ad suum ultimum consequendum finem: haec *naturalis hominis facultas in societate contendendi ad ultimum finem* dicitur *Ius* (quasi Iovis numen); norma autem illa agendi in societate, sociali vi communica, dicitur *norma iuridica*. Dicitur *facultas*, qua quis uti potest si velit; nemo enim tenetur uti suo iure; ideo ius est circa media, non circa ultimum finem: *hominis*, ergo, non *Dei*; iura enim et dominia analogice tantum praedicari de Deo possunt, qui omnium Conditor et Redemptor, omnia manu sua continet, vel intima cordis nostri, nostrum ipsum esse, nostra ipsa iura; ideo heic non de Deo loquimur, nisi qua est iurum omnium Fons primus, sed de homine; idcirco *officia* latius patent quam iura, atque nostra heic intersunt ea tantum quae inter homines versantur: *naturalis*, nam facultas

haec natura ipsa donatur, legibus dein definitur, gratia augeret: *libere...* nam citra libertatem nulla iura; libertas autem intelligitur *moralis*, certos intra fines natura legibusque rite definitos: *contendendi...*, ideo ius contra ultimum finem nec intelligitur: *in societate perfecta*, qua tali, ideo eius sub imperio legum; exinde facultates quae non sint legibus et actione munitae non censentur iura, quia non possunt sanctione legis socialis, sanctione principis, urgeri. Eadem de causa nec intelliguntur, heic, iura aut officia erga seipsum.

Distinguitur autem norma iuridica tum ab ethica norma, quae latius ad ea quoque patet, quae citra socialem vitam continentur, tum a norma urbanitatis, quae caret obligatione sanctioneque auctoritatis socialis. Itaque ius est et norma simul et tutela vitae socialis; potestatem significat et limitationem libertatis, facultatem agendi et normam agendi;<sup>1</sup> utraque ius est natura ipsa conditum ac ratione promulgatum; utraque igitur *ius naturale* seu *ius rationale*; utraque a Deo immediate profluens quasi a rerum omnium hominumque primo Principio atque ultimo Fine.

\* \* \*

Age vero; naturam nostram humanam si recte inspiciamus, eam facile intelle-

<sup>1</sup> Quem necessario appetimus, natura ipsa rerum; idcirco nobis facultas non est eligendi inter plura nostrum ultimum finem, quod esset absurdum, eo quod ius nobis non est eligendi inter plures nostram naturam, sed tantum his illis mediis utendi libere ad ultimum finem.

<sup>1</sup> Illam dicunt *ius subiectivum* et definunt ut sit facultas agendi, omissiendi, ab alio exigendi inviolabilis; at eiusmodi facultas citra societatem non ius est, sed simplex libertas; hanc dicunt *ius obiectivum* et definunt ut sit norma agendi, omissiendi, exigendi inviolabilis; at vero ius quodlibet non intelligitur nisi subiectivum simul et obiectivum, nam nec norma concipitur nisi in subiecto, nec facultas sine obiecto; itaque ab aequivocis neotericis nominibus abstinentes, maioresque sequuti diceimus illic ius aut facultatem iuridicam, hic ius, normam iuridicam, aut legem. Porro alias quoque significationes ius habet, quas vide in nostra *Introduct. in ius*; ubiora autem de iure quid sit dissimilimus in *Philosophia iuris*.

gemus 'conformatam esse, ut non modo societatem exigit ad hoc ut exsistat, sed et ad hoc ut conservetur, riteque perficiatur; id primum in societate domestica obtinetur, tum in ampliore quae gens, tribus, vicus, pagus, civitas, natio appellatur, demum in amplissima quae est gentium ipsa consortio universa. In familia parentes, et cumprimis paterfamilias munus habet alendorum, tuendorum, moderatorum liberorum omniumque qui in familia sunt; quod munus eisdem est et officium et ius; officium, quia natura ipsa id praedicat atque expostulat, ideo naturae Conditor; ius, quia hoc in explendo suo munere ceteros arcet, neque admittit nisi quasi auxiliarios; munus equidem sanctissimum quod e vitae ipsius scatet fontibus. Quo idem munere nixus facultate idem paterfamilias pollet obligacioneque simul tenetur efficaciter liberorum ad finem naturae supremum dirigendorum, nec doctrina cohortationeque tantum, sed et vera propriaque obligatione morali; quae id fert secum, ut poenam quoque committari paterfamilias possit et quandoque adhibere ad reluctantibus liberos compellendos ordinemque socialem suae familiae tuendum aut vindicandum. Quae patrisfamilias pracepta, iussa, imperia explicant, urgent, exequuntur, tueruntur legem illam naturae sanctissimam, nec quidquam contra eam valent; ideo novam quamdam proferunt legis iurisque formam, quae, quia e *positivo* patris voluntatis actu profluit, appellatur *lex positiva* et *ius positivum*, tum qua est norma, cum qua est facultas agendi. Ideo suprema iuris genera haec sunt: *ius naturale* et *ius positivum*: illud naturali rationis lumine promulgatur, hoc positivo legitime imperantis actu.

Ius igitur positivum naturali nititur totum, cuius est veluti manifestatio et applicatio integrativa; est enim moraliter necessarium, sine quo nec facile, nec tuto,

nec expedite quisque attingeret, his quibus versamur in adiunctis, suum ultimum finem; formaliter autem totum est in rationabili imperio eius, cui tutela ordinis socialis manet. Is est cumprimis, et veluti extra ordinem, Deus; tum paterfamilias quandiu familia supraea eademque perfecta societas manet; quum autem complures familiae coaluerint in ampliorem societatem quo satius tutiusque finem assequantur supremum, supremo huius superioris societatis regimini munus est commissum suo imperio ius naturale et urgere et ad concreta locorum temporumque aptare adiuncta: id quandoque Deum ipsum praestitisse novimus, populi electi quasi regem ac ducem iubentem in ordine temporali. Sed praeterea, quum omnes ad supernaturem ordinem evexerit Idem et postea restituerit, nemo aliis in eodem ordine iubere quidquam potest nisi Deus, et cui Deus munus id concedidit: concedisse autem infallibili Ecclesiae suae neminem latet, qui historiam et saltem praeliminaria theologiae vel procul aspexit. At in ordine temporali Christus nihil abstulit Caesari, praecepsit enim reddenda esse Caesari quae Caesaris essent; Deo autem quae peculiari ratione et exclusive Dei. Idcirco societatis hominum regimen ad finem supremum temporaneum, — qui est huius fluxae vitae summa quae in via possit beatitas assequenda atque pax in iustitia fovenda, — totum ferme commissum est supremae illi potestati quae Principis nomine venit, quaeque non semper in uno, sed interdum vel in pluribus potest residere in concreto.

Itaque ius positivum illud est quod ad ius naturale urgendum conditur positivo legitimi Principis imperio: et duplex est, *divinum* et *humanum*; hoc autem iterum duplex, *ecclesiasticum* et *civile*; alterum ad Ecclesiam, quae una est suprema supernaturalis societas; alterum ad Civitatem, quae est suprema naturalis societas, spe-

ctat. Utrumque verum propriumque ius, utrumque rei moralis aequa ac iuris consulto callendum: nostrum tamen heic civile cumprimis esponere.

\* \* \*

*Iustitia* a iusto dicitur, iustum autem a iure, non viceversa: *virtus est qua ius sequimur*; et quia ius et officium sunt correlativa *iustitia virtus est qua officia implemus*; Romanis fuit *constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi*; est igitur tandem virtus inclinans ad ordinem socialem servandum; nec sine causa fuit maioribus nostris *Iustitia* fundatum regni. Ideo prima *Iustitiae* vis est ut nos omnes inclinet ad *leges* servandas: his enim violatis corrumpitur semper, modo levius modo vero gravius, ordo socialis; quod servandae *iustitiae* officium tenet nos omnes quotquot commodis fruimur societatis, quotquot membra sumus corporis certi cuiusdam socialis sive potissima et nobilissima, sive etiam tenuissima eaque humillima; sive qui praesunt sive qui subsunt. Idcirco haec *iustitiae* species meritissime appellata est, veluti *eminenter, socialis*,<sup>1</sup> aut etiam *legalis* « quia ad legem pertinet ordinare in bonum commune »,<sup>2</sup> aut *generalis*, quia universos tenet; aut *necessaria*, vel fundamentalis, sine qua *iustitia* quaelibet corruat necesse est. « Est autem in Principi fundamentaliter et quasi architectonicae, in subditis autem secundarie et quasi administrative »;<sup>3</sup> illic principaliter, quia ordinat, hic secundarie quia subditi ordinantur, sed utrique reverentia et obsequio legum latarum tenentur.<sup>4</sup> Cuius

<sup>1</sup> Cf. Encycl. *Quadragesimo anno*, a Pio XI d. 15 maii 1931.

<sup>2</sup> D. Th., 2, 2, q. 58, a. 5.

<sup>3</sup> D. Th., 2, 2, q. 58, a. 6.

<sup>4</sup> Utrum et quatenus Princeps suis ligetur legibus, NN., maxime Moralistae et Canonistae, du-

*iustitiae* legalis munus in principe duplex, ut leges recte ferat, ut leges recte tueantur, ideoque, et poenas ad leges latas tuendas minitetur et in delinquentes decernat; quamobrem *iustitia* legislativa, iudicialis et vindicativa huc sunt referenda.<sup>1</sup>

Altera *iustitiae* veluti facies est ut qui praesunt, recte, id est rationabiliter, praesint, utque ad ordinem socialem provehendum munera distribuant et officia, honores atque onera, commoda atque incommoda; atque ut ii quibus haec collata impositave sint, recte eis fungantur ac eisdem recte obsequantur: quae est *iustitiae* legalis, quam vidimus, quaedam veluti specificatio ad certam quandam ordinis socialis provinciam, quae propius vitam publicam tangit. Haec est *iustitia* quae dicitur *distributiva*, quaeque nos inclinat ad ordinem socialem publicum recte servandum; et tenet Principem ad munera pro dignitate, merito, aptitudine, certis distribuenda civibus; hos ad eadem ita obeunda ut satisfaciant hinc Principis distribuentis imperio, inde vero communi civium bono; hos demum cives omnes tenet ad magistratus, eadem munera expletibus et per eos Principi, recte parendum, nam « actus distributionis, qui est communium bonorum, pertinet solum ad praesidentem communibus bonis: sed tamen *iustitia* distributiva est etiam in subditis quibus distributur; in quantum scilicet sunt contenti iusta distributione »;<sup>2</sup>

dum disputant; Civilistae vulgo praetereunt; nec quaestionem praeiudicavi, nam, siquid opinor, eundem *obsequio* suarum legum teneri nemo negaverit. Cave tamen ne quae de Principe disseruntur hic, eadem et Pontifici applies, non enim eadem plane utriusque origo, non eadem potestas, nec eadem plane societatis ecclesiasticae ac civilis natura. Cf. Leonis XIII, Encycl. « Sapientiae » 10 jan. 1890, passim et maxime § 15.

<sup>1</sup> Nec probatur opinio Molin., *De iust. et iur.*, tr. 1, d. 1, qui vindicativam accenset ad distributivam, de qua mox.

<sup>2</sup> D. Th., 2, 2<sup>nd</sup>, q. 61 ut 1 ad 3.

nec quisquam ignorat bonum commune tandem et singulorum bonum esse, quamvis interdum id minus appareat.

Praeterea et privatus socialis ordo sancte servandus; dicitur autem privatus ordo socialis quo cives privati copulantur inter se; privati, i. e. qua cives simpliciter, non qua magistratus, qua membra, non qua organa civitatis, qua alter alteri, non qua alter societati aut viceversa ordinem dicit; alter civis alteri civi; ideo sub imperio Principis, nam cives eo ipso sunt sub Principe; id est in ordine vere iuridico: ut cum alter vendit alter emit; alter pater familias alter filius; dono communitate alter dat alter acceptat, et ita porro. Nec quidquam interest utrum alter hic sit *etiam* persona publica aut ipsa civitas, dum ne id attendatur. Et quia haec *iustitia* fere in rebus tota est iuribusve *commutandis* inter privos cives, *commutativa iustitia* dicta est, legalisque illius habetur veluti pars, quae directe scilicet privatum tantum moderatur ordinem socialem, quamquam indirecte et publicum fovet.

SYLVIA ROMANI.

*Si perrumpere possent, conati sunt (ut perrumpent).* (CAES.).

Eius legationis princeps est Heius: (periculum est) *ne forte*, dum publicis mandatis serviat, de privatis iniuriis reticeat (CIC., *De Signis*, 7, 15).

Disertus esse possem, si contra ista dicarem. (Facile credo). Quis enim non in eiusmodi causa? (CIC., *Tusc.*, I, 6, 10).

II. - Quaedam propositiones omittuntur, expressis tantum vocabulis sensu praecipuis, quorum mutantur et munus et casus, v. g.:

Hoc polliceor omnibus, omni me defensione usurum esse *legis* (= quam lex praestat) (CIC.).

*In summis tuis occupationibus* (= etsi summae sunt tuae occupationes), mihi tamen reipublicae statum per te notum esse voluisti (CIC., *Fam.*, III, 11, 11).

Sic exarserunt, ut capitis hominem *innocentissimum* (= etsi erat innocentissimus) condemnarent (CIC.).

*Parvum* (= quando eras parvus) ego te in regnum meum accepi (SALL.).

Interdum vocabula praecipua vel naturam mutant. Sic imprimis substantiva in adiectiva migrant; v. g.:

Institutus est liberaliter educatione *puerili* (= quae *puerum* docet) (CIC.).

Multi et varii timores erant: inter certos eminebat terror *servilis* (= quem servi incutiebant (TIT. LIV.).

Saepe etiam haec vocabula nihil mutantur: v. g.:

<sup>1</sup> Sic nihil mutantur vocabula magis praecipua, quum propositio relativa omittitur, ut substantivum substantivo per praepositionem subiciatur; v. g.: *Ei libellum malus poëta* (qui erat) *de populo* subiecit (CIC.). - Ipse socer in ore semper Graecos versus (in quibus agebatur) *de Phoenissis* habebat (CIC.). - Huc fere omnes (quae veniunt) *ex Gallia naves* appelluntur (CAES.). - *Lectionem* (quae est) *sine ulla delectatione* negligo (CIC.).

Ille rempublicam constantissime *consul* (= quum erat *consul*) defenderat (Cic.).

*Adiutor* (= ut sim *adiutor*) tibi venio.

Si tua sint (quae sunt) *Puteolis* granaria (Cic., *Fin.*, II, 24, 84).

Nemo (qui est) *prudens* punit quia peccatum est, sed ne peccetur (Sen.).

Omnis (qui erant) *tum* populi.

### De propositionibus eleganter addendis.

I. - Ne substantivum substantivo per praepositionem subiiciatur, saepe additum propositio relativa; v. g.:

Bellum *quod* cum Persis *fuit* (Cic., *Off.*, III, 11, 49).

Eo sermone *quem* *habuit* de triumpho (Cic., *Att.*, XVII, 2, 5).

Alteratio orta est inter eos de loco *quem* in acie *tenerent* (Tit. Liv.).

Loco propositionis relativae, partici-  
pium ponit potest. Quod et alias ob cau-  
sas venustissime additur, aliquando, vel  
tantum ad numerum elocutioni conciliandum; <sup>1</sup> v. g.:

Pugna ad lacum Regillum *facta* (Tit.  
Liv., VI, 2, 3).

Exposuit nobis sermonem Laelii de  
amicitia *habitum* (Cic., *De Am.*, 1, 3).

Dedit ei facultatem res publica libe-  
ralitatis, qua *usus*, multas sibi tribus  
adiunxit (Cic.).

Consul Lentulum manu *tenens* in se-  
natum perducit (Sall.).

Ad pedes iacuit *stratus* (Cic., *Pro  
Quinto*, 31).

II. - Ne accusativus cum infinito di-  
recte adnectatur substantivis, *iudicium*,  
*ratio*, *argumentum*, et similibus, quod  
prorsus nefas est, interponunt propositionem  
relativo aut coniunctione incipien-  
tem; <sup>2</sup> e. g.:

<sup>1</sup> Cf. ALMA ROMA, ann. 1932, p. 93, V.

<sup>2</sup> Post haec nomina substantiva sequi potest

Argumenta *quibus* Deum esse pro-  
batur.

Vestigia *quibus* apparebant aliquem af-  
fuisse.

Vestigium *quod* significet pecuniam  
Fonteio datam (Cic., *Pro Fonteio*, 1).

Conscientia sustentor, *quum cogito* me  
de republica meruisse bene (Cic., *Attic.*,  
X, 4).

III. - Certae propositiones adduntur,  
quibus magis eluceant aut pressius defini-  
niantur quaedam vocabula, ipsis

<sup>10</sup> aut inserta; et tunc adiiciuntur  
praecipue propositiones relativo <sup>1</sup> aut co-  
niunctione *ut* <sup>2</sup> incipientes; v. g.:

Ad occupandum Vesontionem, *quod*  
*est* oppidum maximum Sequanorum, con-  
tendit (Caes.).

Levis est animi iustum gloriam, *qui*  
*est* fructus verae virtutis honestissimus,  
repudiare (Cic.).

De Philisto plura sunt exposita in eo  
libro, *qui* de historicis Graecis *conscriptus* *est* (Corn. Nep.).

Spero, (ea) *quae* *tua* *est* prudentia, <sup>3</sup> te  
iam valere (Cic.).

*Qua* *es* prudentia, <sup>4</sup> nihil te fugiet  
(Cic., *Fam.*, XI, 13, a, 1).

Themistocles noctu de servis suis  
*quem* *habuit* fidelissimum, ad Xerxem  
misit (Corn. Nep., *Themist.*, 4).

interrogatio indirecta; v. g.: Exquisita quaedam  
argumenta *cur* *esset* *vera* *divinatio* (Cic., *De Di-  
vin.*, I, 3, 5). - Affers haec omnia argumenta *cur*  
*sint* (Cic., *De Nat. deor.* VIII, 4, 10).

<sup>1</sup> Cf. ALMA ROMA, ann. 1930, p. 168 et 169,  
not.

*NB.* - Propositio relativa qua substantivum  
eluceat non semper additur; v. g.: Duo con-  
sules inde creati sunt, (qui fuerunt) *L. Junius Bru-*  
*tus* et *L. Tarquinius Collatinus* (Tit. Liv.).

<sup>2</sup> Propositio cum *ut* potest esse elliptica; v. g.;  
Diogenes liberius, *ut* (era) Cynicus (Cic., *Tusc.*, V,  
32, 92).

<sup>3</sup> Hae constructiones explicantur regula ele-  
gantiae: *Quas* *scripsisti* *litteras*...

<sup>4</sup> Cf. ALMA ROMA, ann. 1932, p. 92, I, 5<sup>o</sup>.

Dices enim, *ut* *es* homo factus ad per-  
suadendum: « Quid est, Caesar? » (Cic.,  
*Pis.*, 25, 59).

Chrysippus, *ut* *est* in omni historia cu-  
riosus (Cic., *Tusc.*, I, 45, 108).

2<sup>o</sup> aut non inserta; et tunc adiicitur  
interrogatio indirecta aut alia quaecum-  
que propositio, v. g.:

*Vim* *rei* *qualis* et *quanta* *sit* cognoscere  
(Cic., *Inv.*, II, 57, 170).

*Quod* *quale* *sit* non tam definitione in-  
telligi potest quam... (Cic., *Fin.*, II, 14, 45).

Itaque *eo* *quale* *sit* *constituto* accedam  
(Cic., *Fin.*, II, 14, 44).

A Pausania *audivi* *quum* *diceret* te  
esse questum *quod* tibi obviam non pro-  
dissem (Cic., *Fam.*, III, 7).

Populum in eum *metum* adduxisti *ut*  
*pertimesceret* (Cic., *Pro Mur.*, 24, 48).

(*Ad proximum numerum*).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

### De diversa, Paganos inter atque Christianos scriptores, loquendi ratione.

Quum tantus ac talis fuerit doctorum  
virorum consensus in ea quae « de Avito  
poëta eiusque poëmate discipulis, exem-  
pto, proponendo » in hoc latinitatis praecipue  
nuper scripsi, <sup>1</sup> vires mihi additas  
sensi ut nova quaedam proderem, quibus  
argumentum enucleatus altiusque evolvi  
possit.

Nostrum humanistae suo non recto mentis  
iudicio in disserendo de elegantia, de con-  
cinnitate ac lepore summorum scriptorum,  
multos canones ediderunt, qui reapse  
falsi ac fallaces habendi sunt. Ii enim  
prae oculis non habuerunt quae Cicero

<sup>1</sup> Cfr. OZANAM, *Civil. au V<sup>e</sup> siècle*, 15<sup>e</sup> Lec.;  
BACHELET et DEZOBRY, *Dictionn. des Lettres*  
Art. « Langue latine ».

ipse iudicavit de latina lingua aetate  
sua adhibita. Ait enim ipse optimum  
dicendi genus non Augusti temporibus  
floruisse, sed Scipionum, ac Laeliorum  
diebus.<sup>1</sup> Sua prorsus aetate Cicero scrip-  
tum reliquit: neque sex matronas repe-  
riri posse, quae latinum sermonem ele-  
ganter loquerentur, videlicet suum ipsum  
sermonem.<sup>2</sup> Qua de causa, illa quae di-  
citur concinna loquendi forma si doctum  
virum iudicemque integrum audire volu-  
mus,<sup>3</sup> in Foro tantum, in Senatu paucis  
clarisque hominibus usui erat: ergo lati-  
nus sermo nunquam fuit popularis ne in  
Augusti quidem domo.<sup>4</sup> Sermo itaque  
superbus et conventione factus, talis qui  
brevi tempore excisurus esset.<sup>5</sup>

Christiani autem scriptores qui a quarto  
saeculo floruerunt, et quorum vel nomina  
ipsa plerumque sunt ignota iis ipsis qui  
latinum sermonem callent, recte scribendi  
formam in analytico dicendi genere pos-  
suerunt, quod nativa simplicitate ac na-  
turali flumine decoraverunt, pure atque  
emendate loquendi vim in legibus gram-  
maticalibus posuerunt, quae ex christiano  
popularique sermone effluxerunt; ea tan-  
dem res grammaticalis a mediae aetatis  
summis scriptoribus statuta est. Inter eos  
Leo Magnus, Venantius Fortunatus, Cas-  
siodorus, Avitus, Thomas Aquinas praecipue  
recensendi sunt. Ille quicumque vo-  
luerit se ipsum certiore facere de his  
duobus perpolitis dicendi generibus, chri-  
stiano videlicet et pagano, haec bina frag-  
menta comparet, quae eius iudicio sub-  
mittit.

Primus locus, sermone quo usi sunt  
Christiani scriptores, haec refert: « Iesus

<sup>1</sup> FREPPEL, *Commodien*, etc., p. 23.

<sup>2</sup> MAX MULLER, *Science du langage*, p. 172.

<sup>3</sup> SVETONIUS, *Aug.*

<sup>4</sup> CHARPENTIER, *Classiq. chrét.*, V, 1-16.

Christus, Verbum et Filius aeterni Patris, iuxta prophetias venit in mundum et homo factus, sponte se in mortem tradidit ac redemit Ecclesiam suam; offensi Patris iram a nobis avertit eique nos reconciliavit, ut per gratiam Fidei iustificati et a tyrannide diaboli liberati inseramus Ecclesiae et in Ecclesiae communione perseverantes, post hanc vitam consequamur Regnum caelorum ». Quas voces simplices atque perspicuas sequenti modo in romanum sermonem, Augusti quidam aequalis, transferre posset:

« Optimus Maximus Iovis interpres ac Filius, servator Rex, iuxta vatum responsa ex Olimpo devolavit in terras, et hominis assumpta figura se se pro Reipublicae salute Diis Manibus sponte devovit; ita Rempublicam suam in libertatem asseruit ac Iovis vibratum in nostra capita fulmen restrinxit, nosque cum Illo in gratiam redigit ut persuasionis munificentia ad innocentiam reparati et a sycophantibus dominatu manumissi, in civitatem cooptemur, et in Reipublicae societate perseverantes, quum ex hac vita fata nos evocaverint, in deorum immortalium consortio, rerum summa potiamur ». Sesquipedalia equidem verba quae laborioso ac sonante itinere nec meliora nec potiora quam ea priora significant.

Ex soluta in perstrictam orationem aliquid evolemus. Satis sit illud notum « Dies irae ».

Dies irae, dies illa  
solvet saeculum in favilla,  
teste David cum Sibylla.

Tuba mirum spargens sonum,  
per sepultra regionum,  
coget omnes ante thronum.

Quos versus veluti agri flores ingenua simplicitate suavissimos seu ex Thomae a Celano, seu ex Iacobi Tudertini stilo fluentes in epicam formam, quo minus a Vergiliana abhorrentem, vertere conabimur:

O quam terribili complebit lumine terras illa dies, extrema dies ac sacra furor! Qua subito emotis convulsus sedibus orbis ibit in ultrices, flamma evertente, favillas. Credite, divino verax ita carmine vates Regius et veteres olim cecinere Sibyllae. Primum horronda dabit sonitum tuba: quo [fremet omnis Oceanus late, quo tellus concita Manes evomet attonitos, et coram iudee sistet.

Veste ita mutata, quid erit luci? Nemo qui non Minois ritu, sed sana mente iudicabit, nemo decernet ita ut priorem partem christiano poëtae non conferat.

Visne adhuc clarum exemplum?

Binas tibi statue pulcherrimas mulieres, aliam nullo ornato nullisque fucis illitam; aliam faciei medicaminibus totoque muliebri choragio instructam; utram potiorem habebis?

Christiani melos in priore, ethnici vero in posteriore exemplaria habebis; quid elegeris?

Novimus Leonem X clarissimo *Ferrario* Vicentino provinciam demandasse in Horatianum morem ecclesiasticos hymnos vertendi Ferreriumque summis humanistarum laudibus sua aetatis id absolvisse. Novimus etiam apud Francos Patrem *Du Cerceau*<sup>1</sup> non solum hymnos Ecclesiae, sed multa etiam ex Sacra Biblia in augustinum sermonem vertere conatum esse; sed de tanto opere posteri quid decreverunt?

Sacros libros nos omnes legimus eo sermone latino in quod redditi quondam fuerunt: hymnos Ecclesiae ita ut ex calamo poëtae fluxerunt, eorumque venires scimus eas fuisse, ut Ioachim Bellius noster summa fide atque pietate illas in italicas musas vertisset.<sup>2</sup> Discamus tandem aliquando atque resipiscamus!

ALEXANDER AURELI.

<sup>1</sup> IOAN. ANT. DU CERCEAU S. I., *Opera. Praef.*, p. 1 et 2.

<sup>2</sup> BELLI, *Inni Ecclesiastici tradotti*. Roma, Garboni, 1913.

## CERASUS

(IN RECENTIORES POËTAS)

Eximio Alafrido Bartoli  
vetustissimorum poëtarum peramanti.

*In nostro cerasus tollitur hortulo,  
cui ramos niveis floribus induit  
Aprilis redolens; serta tenellis  
vernae plexa comis arboris entit.*

*Cur flores cerasus prodit? Amat? Quid o?  
Dictu non facile est. Nam Deus arborum  
obducto occuluit tegmine nuptias:  
austerus residet floribus athomos.*

*In nostro cerasus quae viget hortulo,  
radices proprias fixerit, attamen  
non seiuncta viget; foederis arbores  
vi Natura ligat. Non scelus impiis  
patraruntque nefas moribus arbores;  
Pax est inter eas inviolabilis;  
praestantes, iuvenes et renovabiles  
pugnacis Boreae praelia perdomant.*

*Flos est in ceraso qui stupet: editus  
albescente die, dum levis ingemit  
perfusus niveo lumine, candidus  
orto sole nitet, contremittit et cadit.*

*Noster Vergilius, qui bonus arbores  
sermonem docuit, vocibus et dedit  
sensem quemque suis, lividas  
non iras didicit, non odium ferox.*

*Is qui triste, fugax, irreparabile  
tempus, deciduas et memorat rosas,  
is rerum lacrimas versibus ingerit,  
pennas dum veniens mors quatit horridas.*

*Is mites potius diligit arbores  
quam diros homines; denegat has enim*

*unquam foedifragas esse; miserrimum  
deflet dissidium pectora dividens.*

*Flevit dum memorat Hecubam  
quae vidit Priami funera; nec piis,  
queis sponsos rapuit Mars lacrimabilis  
dulci destituit munere, virgines.*

*« Heroum tumulos spargite floribus »  
inquit « cum lacrimis; vos quoque posteri  
digna laude colent; quin Capitolio  
tam iam vestra nitent nomina scrupo ».*

*At quo proripior? quo vagus adferor?  
Deflexis gradibus devius ipse sum.  
Mutata faciem ni tibi, Vergili,  
posthac indueris, iam resides senex.*

*Ornatæ vetulis floribus arbores  
solem decrepitum iam sine demori.  
Aurum, quod nituit versibus in tuis,  
squalor dedecorum terreus occupat.*

*Quem sollers aluit Musa vetustior  
vatem Maeonium stertere, languido  
somno linque senem. Non locus est meo  
Flacco exundat enim fossula mortuis.*

*Quid dormire sinas? En cerasus mihi  
pronubum repetit florea pallium;  
ramos arboreos permeat en latex,  
qui tum laetificas panditur in comas.*

*Edicat cerasus: « Dulce quod inditum  
est in flore novo; dulcior at rubens  
iam iam fructus erit; munera, quae paro  
despondens homini, cuncta relargior ».*

*Vates est cerasus? Quae vaga flosculos  
depraedatur apis, mussitat, arborem  
vatem iure vocans? Non genus istud est,  
viceno colitur quod modo saeculo.*

Arretii.

VINCENTIUS POLYDORI.

## IN RERUM NATURA

## DE GOSSYPIO.

Altiora perspicienti naturalis historiae singulare quoddam appetet, quo in multitudine rerum asseritur unitas, in unitate multitudo, in aperta discordia rerum subest concordia latens, ac dum inter se omnia diversa videntur, commune tamen aliquid habent, quo non modo inter se belle convenient, sed in idem conari et ferri consensu mirabili videantur. Itaque non sine voluptate magna admiramur, quae in mari sunt, in terris eadem iterari; quae in piscibus, eadem in quadrupedibus instaurata; quae in germinantibus, eadem in animantibus restituta. Quanta florum varietas in agris! Quantum decus in colribus! Quae gratia! Qui nitor! Ubi in oceani profunda descenderis, non minora reperies a corallis ad uniones, a conchiliis ad mullos, ad medusas, ad nautilos, ad sexcenta. Miraberisne ingentem elephantium molem? Numquid minora sunt, quae

... turbant immantia cete  
Pectoris impulsa syrtes; fremit undique pontus?

At quod mirabilius est, in germinantibus nonnulla habentur quasi ad exemplar eorum, quae sunt in animantibus constituta. Habent nonnullae plantae liquorem, qui cito appetet ubi corticem incideris, sicuti sanguis ubi pellem ferieris in animalibus effluit, neque minus hoc effluit, gratissimus viatoribus sitientibus. Habent animalia nonnulla atrocem indolem, sanguinariam rabiem... Cave, lector, ab iis plantis, quae praesertim in Africa interiore sunt, et *lianea* appellantur; illigant, serpentium more, rapidissimae, celerrimae, et eodem tempore, quo membris haerent, sanguinem sugunt usque ad ultimum. Araneae muscas, *muscipula sensitiva* mu-

scas alligat, et exhaustit. Habent virus vi perae, crotalus, aspides... Ne mireris; idem praestant et fortasse vehementius *upas*, aconytha, cicutae, ranunculus sardonicus, et sexcenta huiusmodi. Sed et blandissimae et mansuetissimae oves habent lanam, qua repellant frigora hyeme, cooperiant reliquiis nidorum interiora volucres, homines vestiantur... Ne quaeras ulterius; habes enim in gossypio eadem. Res non homines latuit, puto, iam ab exordio, ubi primum ovina vellera in filum deduci coepta sunt; magna enim inter lanam et gossypium similitudo; at gossypium longe mollius lana, ac delicatum longe magis. Hinc non modo susceptum ad opus, sed praehabitum quoque velleribus credo; nam aspera mulieribus lana saepe oculos urit; non idem gossypium. Adde quod leviori opere, leviori negotio comparetur, telasque suppeditet magis plicabiles, et minus graves. Atqui — historiam sequor, quam scitissimi homines de gossypio narraturi constituerunt — procul esse a dubio videtur gossypii usus ferme tribus abhinc annorum millibus. Gossypium autem tres abhinc annorum millia, victorum sequens morem, agmina sua per universum terrarum orbem non modo explicuisse dimissa, sed quaedam constituisse quasi castra et stationes, ex quibus sensim excursitans novas regiones invaderet, primum incursione quadam iucunda, ad velationibus tantummodo; posteaquam vero favorem populi erga se concitasset et convertisset, illico occupare omnia, feliciter in occupatis assidere, dominatione denique potiri; et, quod mirabile est, nulla invidia, aemulatione nulla; nam saepissime icto foedere, pronuba fraude, avaritia pronuba, modo lanae, modo lino faustissime copulatur. Ego quidem, si omnia ad veteres retrahenda essent mores, nescio, gossypio reiecto, quibus gregibus preces admovendae essent de caelo demissuris, ut induimentis necessariis humano generi, vel

saltem iis, quae necessaria putantur, non impares essent.

India utraque gossypii patria pluribus argumentis adstruitur, tum quia sponte ibi nascitur, tum quia nullis, aut ferme nullis infortuniis ibi patet, conspirantibus una caelo soloque. Quod igitur ibi commodum et opportunum erat, viatores, mercatores, peregrini deportarunt in eas praesertim regiones, ad quas vel redibant qui exsules olim, vel commeabant ad utile negotiatores. Praecipua igitur oppida fuerunt quot erant in Perside, et ante Persidem in Mesopotamia; non enim eximiis huiusmodi spoliis Assyrii reges, Chaldae, neque post hosce Persae caruissent. Quamobrem gossypium sequi eas gentes visum est quae maximum obtinuerunt imperium, haud aliter ac si esset triumphalis tabula deferenda penes currum victoris.

Nec rem indignam fide narramus; ubi enim Graecia praestitit praevaluitque Asiae, gossypii devehit usus in Graeciam, a qua una cum ceteris, quae ad effoeminandos fortissimorum animos, ad labefactandas robustissimorum vires pertinebant, gossypium Romani acceperunt, ita ut, circa primordia secundi post Christum saeculi, Italia retia subtilissima ad coercendos matronarum suarum crines ex gossypio conflata iniquo pretio acquireret. Cuique obvium et perspicuum est illa considerare, quae necessario fuere Bysantii, ac tota, quanta circum, regione, quo delatum imperium est.

At medio aevo, quod dicunt, Arabum praevalentibus agminibus et undique exundantibus et ubique insidentibus, gossypium, quod cum ipsis peregrinabatur, easdem regiones incolere ac dominari coepit, quas ipsi incolerent ac dominarentur. Hinc in Siciliam ab Oriente demigravit, hinc in Hispaniam, Caroli Magni tempore, et forsitan longe antea. Certum est octavo saeculo in Hispania fuisse opi-

ficia, in quibus ex gossypio telarum genus, quas *fustagberos* appellabant exstissem, idque ita verum, ut vel hodie in Italia, praesertim in Sicilia et Sardinia, et in ea Italiae parte, quae ad meridiem pertinet, huiusmodi telarum series *fustagni* adhuc appelletur. Atque circa x saeculum Crucesignatis Europaeis ad recuperandum Christi sepulcrum nec semel nec bis contendentibus, emporium veluti quoddam gossypii in insula Cypro in Asia proximior, in Syria erat, ex iisque regionibus mittebatur ad nostras gentes rude, quibus excolebatur et perficiebatur et in telarum usus redigebatur. Puduit autem maiores nostros ea ab exteris comparare, quae e solo suo videbant optime germinare; itaque in Siculis primum, deinceps alibi ita crevit industria gentium, ut vel in ipsa Germania non absurde xv saeculo gossypium coleretur. Turcae in peninsula, quae a « Balkanis » dicitur, plantam hanc intulerunt. Sinensium regna, Indis proxima iam ab inde, neque multo post quam inventum et in usus communes gentium redactum est, gossypium praeripuerunt. Saeculo autem XIV circiter, magna sedulitate in hoc Seres incumbebant, atque e Sinis in Coream, in Iaponenses insulas processit. In Asiaticas regiones, in finitimas insulas, in Australiam delatum est; ubique enim invenitur. At quo delatum tempore fuerit ignoramus.

Item dicendum de America; nam et in Mexico, et apud Peruvianos, et apud Brasilienses gossypii usum, culturam curramque nostri, qui primum illuc appulerunt ex Europa progressi, invenerunt. At primi illi nescio qua de causa prohibuerunt impediveruntque quominus indigenae et colerent et uterentur; verum tamen brevi, forsan usu et praestantia cognitis, concesserunt, pristina restituerunt, ac paeconio quodam sunt prosecuti *gossypium Barbadense*.

Verum XVIII saeculo maxime in Ame-

rica invaluit, ubi homines machinas ad-structas gossypio texendo, in fila deducendo, carminando impensius dederunt. Helias Whitney machinam confecit, qua lana gossypii seminibus mundaretur. Hinc longe facillime reliqui labores; accesse-runt quae vapore moverentur inventa; mora non fuit quominus gossypium Ameri-canum rude omnes civitates Europae compleret. At aestuante Americano bello inter eos, qui de servitute retinenda vel abiicienda nigritarum atrociter pugna-bant, in foederatis Americae septemtrionalis civitatibus ferme nulla gossypii colendi cura fuit, atque inde caritas et inopia rudiis lanae Europaeas gentes premebat, quae proinde in Italia, in Hispania, in Mauritania, in Algeria, in Natali, in Queenslandis restaurandam gossypii culturam, vel invehendam et constituendam curarunt. Nec res alio cecidit ac speraverant. Sed, peracto bello, conciliata pace inter se, Americanae gentes iterum intermissa suscepserunt, et quia minoris vendebant et venditabant, nostros negotiatores omnes ad sua converterunt. Non tamen ita ut ab Aegypto et a centro Asiae omnia removerint; quapropter manet his regio-nibus decus adhuc et utile, sed exiguum utrumque; nam America praebet in gos-sypiacis 70%, quod quidem fortassis et crescat, quia et illic institutae sunt machi-nae ad conficiendas telas gossypiacas, quae longe minoris quam nostrae venales aguntur.

Quid vero fiet si America gossypium omne sibi vindicaverit, nec vendere Eu-ropeis voluerit, vel tali vectigali oppres-serit, ut nullimode emi possit?...

P. ALEXIS.

*Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi  
Prima fugit; subeunt morbi tristisque senectus,  
Et labor, et durae rapit inclemencia mortis.*

VERG., Georg. III.

## COLLOQUIA LATINA

VIII.

### Absentes<sup>1</sup>

BENEDICTUS, AUGUSTINUS.

BENEDICTUS. - Multorum dierum in-tervallo non te vidimus in gymnasio, Augustine; nec tamen fuit, quod miratus sum vehementer; quum Magister te re-quireret, aut mitteret qui ubi esses, et quid ageres, investigaret.

AUGUSTINUS. - Male me habebam; idque ut ne lateret Magistrum curavi, quo bona eius venia ac tuto abesse licet.

BEN. - Meritissimo non apparuisti; si quidem est, ut asseris. Convaluistine?

AUG. - Nondum plane me confirmavi.

BEN. - Quamdiu aegrotasti?

AUG. - Quamdiu me in schola non conspexisti.

BEN. - Haud quidem recordor quan-tum temporis abierit.

AUG. - Dies complusculi; undeviginti omnino.

BEN. - Quid erat morbi?

AUG. - Febricula.

BEN. - Quo medicamento ei subven-nisti?

AUG. - Inedia prope sola, qua maxi-mos quosque morbos et gravissimos de-pelli solere aiebat meus pater auctores in medicina claros et nobiles asserere. Vacuuus mihi venter crepitare; ego flocci pendere.

BEN. - Facili negotio consequeris quae interim in schola praecepta nobis dictata et explicata sunt.

AUG. - Sic mihi persuasi; et in eam rem si non recusas, utar tuis suppeditis.

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Pro-gymnasmata latinitatis*. - Passim retractavit hodier-nisque moribus aptavit I. F.

BEN. - Repetam tibi omnia, et rectissi-mis tuis atque optimis studiis non gravate obsequar. Quando te redditum censes?

AUG. - Intra paucos dies. At tu quid vagaris? Cur non es in Iudo?

BEN. - Eram in itinere cum libris: ecce tibi pompa procedit ferentium instrumenta pugilatus. Ego illos sequi in aulam, ubi ludicrum illud certamen certantes spectavi voluptate mirifica. Quum enim aetas ma-turuerit, eamdem artem addiscere co-gito; quandoquidem disciplinis liberalibus non est aliena. Novi per plures litteratos eosdem pugiles non spernendos.

AUG. - Crastina luce quam expurga-tionem habebis?

BEN. - Intendenda erit aliqua fallacia, quae me poenae periculo eximat. Nox dabit consilium. Si mendacium dixero, solens meo more fecero.

AUG. - Timeo ne aliorum cadat res...

BEN. - Evasi non semel conflictis cau-sis absentiae.

AUG. - Et vulpes persaepe, quum cani-bus bis, ter, quater elapsae fuerint, tandem capiuntur et pereunt.

BEN. - Oh! non adimet mihi vitam poena magistri!

AUG. - Tua res agitur.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE  
LATINE VULGATAE

### NOTITIAE.

DE TELEGRAPHHO GAUSS-WEBER.

Inter ea, quorum anno MCMXXXIII cen-tenaria facta est commemoratio, non ulti-mum forte recolendum est primum telegra-phum electricum, quod a Gauss et Weber Gottinga in urbe instructum est anno mil-lesimo octingentesimo trigesimo tertio.

Certe tunc non prima vice electrica

signa per fila missa sunt, nam etiam antequam Alexander Volta pilam suam construeret ad currentem electricam exci-tandam, signa electrica ex scintilla ma-chinae electrostaticae obtenta, per fila metallica, experimenti gratia, pluries in dissita etiam loca recepta fuerant.

Sed tunc prima vice per fila electrica super tecta urbis distenta, mittebantur signa, praesertim ad tempus metiendum, inter speculam astronomicam et officinam ad physica experimenta.

Signa autem dabantur per deviationem acus magnetici in galvanometro magneto-metrico, ab ipsis auctoribus invento.

Telegraphum vero quod inscriptis si-gnis verba transmitteret a Morse primo eodem fere tempore mente concipiebatur, ac tantum post aliquot annos in usum reapse inductum fuit.

## DE PISCUM SENSIBILITATE CIRCA MOTUS TERRAE.

Ex plures repetitis animadversionibus a Shinkinshi Hatai et Noboru Abe, Iaponiis, in aquariis peractis, deducere licuit pisces praesentire terrae motus etiam leves, per irrequietam quamdam mobilitatem, quam manifestam faciunt.

Ex centum septuaginta et octo motibus terrae pluribus mensibus habitis, eorum 80% pisces nunciaverant per suam agita-tionem sex circiter horis antequam motus revera fierent, ac tum motus leviores et viciniores, tum maiores sed dissitos motus.

## ANNALES

### Inauditum ac detestabile flagi-tium Vindobonae admissum.

Horret animus et a scribendo refugit de inauditis criminibus, quae Vindobonae die vigesima quinta proxime elapsi mensis Iulii perpetrata sunt. Factiosi enim homines —

homines dicam an beluas? —, ministrorum publicorum celati habitu, radiophonica statione potiuntur, eius rectore interfecto, atque universo orbi falso nuntiant rei publicae gestores a munere sese abdicasse; simulque altera eorum manus, sub tutelae specie eadem veste usi, gubernii aedes invadunt, extortisque a custodum manibus armis, Fey et Karvisky publici consilii administratos captivos faciunt; Dolfuss autem Cancellarium manuballistulae ictibus confodiunt et morti tradunt, denegato infelici viro — incredibile dictu! — non modo medici cuiusquam, verum etiam sacerdotis auxilio, quod enixius moriturus implorabat. Atque tamen is spiritum edit veniae verba pro carnificibus proferens, atque summa ope iubens ne sanguis alius effundatur!...

Brevi, vis contraria fit; sectores illi, centum et quinquaginta numero, quorum in favorem, — quo scilicet libertas concederetur Germanorum fines tuto traiendi, — Germaniae legatus Rieth mire intervenit, comprehenduntur; institutum indicitur; exercitus patriaeque amantes prompte summoque studio populi provocationi respondent, ita ut Schusschnigg, studiorum usque tum praefectus, cui, defuncti loco, summa rerum committitur, alios flagitiorum conatus passim per Austriam exortos detruncare facile valeat, resque in pristinum statum restituere.

Doloris ac repugnantiae significationes ob tragicum vis in Austriam iamdiu factae hoc epilogum, cui omnes, praesertim post colloquia inter Hitlerum et Musolini Venetiis recens habita, fore ut finis imponeretur sperabant, itemque desiderii erga virum, qui strenue civitatis suaे libertatem tuebatur et praefracte omnibus occurrebat, qui domi et extra, criminosis rationibus eam frangere molirentur, non in Europa tantum, sed per orbem universum, ubicunque humanitatis aliquis est sensus, diruperunt; omnesque Austriacae

republicae Praesidi Miklas plauserunt, declaranti civilem Dolfusii hereditatem novum gubernium integrum recepisse, eaque iuxta desideratissimi viri mentem spiritumque esse usurum.

O utinam pii illius sacrificium non Austriae tantum, sed nationum omnium pacis bono conferat!

\* \* \*

### Ex Batavia.

Amstelodami lata lex de contrahendis subsidiis opificibus operibus parentibus huic usque concessis, ex publici aeris defectu imposita, turbidorum cruentorumque diecum occasionem praebuit, tumultibus a *Communistarum*, quos vocant, factione eo facilis illic permotis, quod quadraginta millia operibus vacuorum civium, ex septingentis quinquaginta millibus, numerarentur.

Die autem III mens. Iulii, duodesexaginta annos natus, Hagae fato concessit Henricus de Mecklemburg, reginae Princeps censors.

\* \* \*

### Germanicae reipublicae Praesidis obitus eiusque successio.

Die II huius mensis Augusti, annorum gravis, supremum obiit diem Paulus Hindenburg, Germanicae reipublicae Praeses.

Posnania in urbe nobili genere natus mense Octobri MDCCXLVII, militare curriculum arripuit, quod strenue est persequutus, primum in bello cum Gallia anni MDCCCLXX, deinde tamquam copiarum domi praefectus, denique in recenti Europaeo immanni bello: ei namque tum debuit Germania Tannenbergi, Laccum Masurianorum, Lodzii victorias.

Expleto autem infelicer bello, traditis ex suo Marescalli munere, quod obtinuerat, exercitus reliquiis in ordinem reductis novis rei publicae principibus, Cincinnatus

alter ad rura se vertit, privatusque vixit, donec patria eius operam iterum non pectoriterit; quod factum est anno MCMXXX. Qui studium in bello posuerat, tunc ad supremum rei publicae fastigium assumptus, paci unice incubuit, oppressaeque Germaniae sublevandae; quod etiam officium optime absolvit.

Paucis ante mortis diebus decretum subscrispit, quo in posterum Reipublicae Praesidis et Cancellarii munera simul coirent: itaque, ipso demortuo, Hitlerus bina ipse in se contulit; quod populi scito d. xix curr. mens. Augusti confirmatum est.

POPLICOLA.

\* \* \* \* \*

### VARIA

**Nulli magistratui tantam potestatem attribui debere, ut consuetis Reipublicae functionibus sistere atque impediri queat.<sup>1</sup>**

T. Quintus Cincinnatus et C. Iulius Mentus Consules, quum propter exortam inter eos discordiam Reipublicae nocecent, nec quicquam eorum expedirent, quae per ipsos fieri oporteret, iamque omnia iura silerent, ceteraque omnia negligenter, Senatus hortabatur eos ad dictatorem creandum, per quem Respublica rursus constitueretur et eorum discordiae modus imponeretur. Sed consules in ceteris rebus omnibus discordes, in hoc uno conveniebant, ne dictator crearetur; ob quam causam Patres, quum aliud remedium non esset, tribunorum opem implorarunt, qui consules ad creandum dictatorem coegerunt. Quo loco

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere, cui titulus: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii*, lib. I. Latine vertit E. Bindi.

rursus apparuit tribunitiae potestatis auxilium, non solum ad patriciorum adversus plebem insolentiam frenandam utile, verum etiam ad compescendam inter optimates ipsos altercationem et ambitionem salutare. Atque hic observare oportet, quod in Republica maxime cavendum est: ne pauci quidam, qui rerum potiuntur, consuetas necessariasque Reipublicae actiones aut sistere aut tollere queant. Itaque si qui praeficuntur distribuendis honoribus aut conferendis officiis, aut ad aliam aliquam rem expediendam, simul etiam illis necessitas quaedam exsequendi officii est imponenda, aut remedium quoddam constituendum, quo, si negligentes fuerint, cogi possint. Id enim nisi fiat, nequam bene constituta esse potest eius rei administratio; veluti ex eodem hoc Romanorum exemplo cernere licet, ex quo facile appetat, si tribunorum auxilium consulum discordiae opponi nequivisset, quamplurima Reipublicae negotia neglecta fuisse. In Venetorum Republica penes senatum quem « Magnum Consilium » vocant, sita est potestas distribuendorum honorum eligendorumque magistratum, qui cum in ipsa urbe, tum foris per ipsorum imperium ad rerum gubernacula accedunt. Accidebat autem quandoque olim, ut senatorum multitudo ex occasione aliqua indignata, aut iracundia commota, nec domi nec foris successores, iis qui magistratibus abiissent, crearet; ex quo non sine magno Reipublicae periculo fiebat, ut civitates suis iudicibus ac magistratibus carerent; idque eo usque durare solebat, donec aliqua ratio inveniretur eosdem senatores placandi. Quae res successu temporis Reipublicae plurimum detrimenti afferre potuisset, nisi a sapientibus viris huic malo remedium excogitatum fuisset: qui, arrepta occasione, legem obtinuerunt, ne quisquam magistratus seu domi, sive foris per eorum directionem, a sua sede et officii administra-

tione discederet, priusquam novus in ipsius locum substitueretur: qua lege sublata est iam occasio, ne senatorum multitudo, ex aliqua causa incitata, remorari queat ea, quae sine damno publici boni cessare in Republica nequeunt.

\* \*

**Hinnulus.**

Hinnulum cum Cervo sic loquutum aliquando ferunt: — « Mi pater, quum multo sis maior canibus et pedum his celeritate praestes; praeterea quum tibi sint ardua cornua, quibus a te vim propulsare facile possis, qui fit ut canes tan-topere metuas? ». Ibi Cervus subridens: — « Mi nate, vera — inquit — memoras; mihi tamen, nescio quo pacto, semper accidit, ut, audita canum voce, in fugam statim convertar ».

Fabula docet eos, qui natura formidolosi sint, cohortationibus minime confirmari posse.

\* \*

**Iocosa.**

TUCCUS in schola.

MAGISTER. — Heus, Tucci; quae bella intestina vocantur?

Tuccius tacet. Instat alter: — Quae fiunt in...

Tuccius: — Ah! Quae fiunt in stomacho, dum ei cibus non suppeditatur.

Amicus Tuccio:

— Audistin'? In Langobardorum quodam oppido fato concessit senex centum et duodeviginti annos natus.

— Tuccius: Quid stupes? Si avus meus viveret, centum et triginta attigisset!

\* \*

**Aenigmata.**

I.

Dixit Aristoteles: Logicae sit regula princeps: — — — est O O ».

## II.

Regnum sumi volucrum; petit me Daedalus  
[alis:

Navita saepius, heu! Icarus alter adest.  
Sumptum contrahe et effode opes: bene parta  
[tueri

Neve adamare velis: cura mala haeret in  
[his.

Scribe retrorsum nos: homini requiem lon-  
[gaevam,

Cum nequeam domibus, rite dabo tumulis.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-  
posita his respondent: 1) *Navis Avis*;  
2) *Lacuna-r.*

**ROMA SACRA****Ex Suprema S. Congregatione  
S. Officii.**

Per decretum huius S. Congr̄is d. d. 13<sup>a</sup> mensis Iunii 1934 prohibita sunt opera quae sequuntur agnuntque de assertis B. Mariae V. apparitionibus et revelationibus in loco « Ezquioga », diocesis Victorien. in Hispania, quae quidem quovis supernaturali charactere penitus destitutae recognitae sunt:

*Etude historique présentée par M. l'abbé S. FORT: Une nouvelle affaire Jeanne d'Arc (Orléans, « Les Cahiers d'Ezquioga » publiés sous la direction de F. Dorola).*

G.-L. BOUÉ: *Merveilles et Prodiges d'Ezquioga* (Tarbes, Imp. Lesbordes, 1933).

*Un fruto de Ezquioga: Hermano Cruz de Lete y Sarasola* (Revista « Caridad y Ciencia », Noviembre 1933).

Per decretum d. 20 Iunii 1934, tamquam praedamnata atque ipso iure prohibita et in Indicem librorum prohibitorum inserenda declarata sunt *Opera omnia* BENEDICTI CROCE et IOANNIS GENTILE.

**DE ROBERTI SCOTTI**

(29)

**NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO**

Kalendis Ianuariis anni 1912 traheae leniter sequebantur in maritimam altitudinem<sup>1</sup> metrum duorum millium nongentorum viginti quinque. Eo die quod Evans sarciebat tentorium, Scottusque autepsam reficiebat, non est properatum. Confectis chilometris viginti, statio facta est quinquagesima quarta. Quod is dies primus anni erat, ad cibum constitutum chocolati quadrae additae sunt. Et Scottus quidem hominibus optime erat. Alterius traheae viris non item, sed animo illi erant subtristi, et multa eis videbantur officere. Scottus ipse se magnam concepisse dicit spem; nam victum suppeteret atque abundare et polum abesse chilometra trecenta quindecim. Postridie kal. addita sunt chilometra viginti quattuor ascensumque ad metrum ter millesimum quadragesimum. Proficiscentibus propinquabat larus tanto spatio ab mari secutus! Statio quinquagesima facta est ad altitudinem metrum trium millium et centum. Restabant percurrenta chilometra ducenta octoginta, sed non omnibus sociis. Nam pridie Scottus decreverat remittere Evans tribunum et Lashly et Crean. Eorum dux, Bowers, transiit ad traheam Scotti. Itaque pridie Nonas aliquantum morae fuit, quod trahearum componenda onera fuerunt. Quam ad polum tracturi erant minutus atque comptus adspectu erat et facile movebatur. Qui reversi erant eo die, comitati Scottianos sunt aliquantum viae, si quid in

<sup>1</sup> Quam nos dicimus « Seehöhe » sic ad verbum expressum vides Altitudinem maritimam. Galli vocant « altitude » elationem rectam vel verticalem supra superficiem maris.

processione accideret, sed ubi cognitum est tutum esse iter, iussi sunt valere. Tum Eduardus Evans facere non potuit, quin proderet a magna se spe repelli, et Crean, aetate iam provectionis, non cohibuit amplius lacrimas, atque adeo Lashly motum animi probebat.

Quod Scottus eodem die scripsit mirari se, quae se sociosque maneat fortuna, omnia tam bene procedere, ut vel ultro, quid primum impedimenti occurserum esset, circumspicerent, non diu circumspicendum fuit. Nam proximo die tenui assidue cadente nive et implexis sastrugis et sequentibus asperitatibus laboriosissimum fuisse testatur iter, et illud: Quinque hominibus cibum coqui diuturniore tempore, quam quattuor, assumpto Bowers culinariae rei addi oportere semihoras fere diurnas.

A. d. VII Idus Ian. sexagesimam stationem fecerunt in loco tribus millibus metrum et ducentis viginti aequor superanti. Quae reliquerant pedalia, pridie, quod visa inutilia fuissent, eo die repetierunt. Sed iter impeditissimum fuit crystallis et brevius. Statione egredi prohibiti sunt die proximo, qui fuit a. d. VI Idus Ian., tempestate. Optata illa quies et ceteris et Edgardo Evans, qui ante, in componendis traheis vulneraverat manum. Eo die per otium Scottus sociorum scripsit laudes. « Contemplans, inquit, contubernales meos non satis possum laudare singulorum virtutes. Non facile invenias diligentiores in faciendo officio. Wilson medicus semper id agit, ut leniat huius vitae dolores; incommoda huic vitae necessario coniuncta tergit. Idem cocus novis sem-

sueta voluptas convolvilli;<sup>1</sup> nam illos Wilson ad polum usque servaverat. Sed iam accelerandus redditus est, qui desperatae similis pugnae erit».

Eo qui secutus est die, qui fuit a. d. XV kal. Febr. subductis consummatisque omnibus observationibus, apparuit Scottum ab ipso polo circiter sex chilometra abesse. Eundem esse recta chilometra duo, inde dextrorum quinque et dimidium. Porro ex ista regione Bowers conspicatus est tentorium, ad quod se Scottiani contulerunt. Ab horum statione aberat tribus chilometris et dimidio, a polo tribus et tribus partibus. In eo tentorio repertae sunt litterae in hanc formam:

*Roald Amundsen-Olav Olavson Bjaa-  
land — Hilmer Hanssøe — Sverre H.  
Hassel-Oskar Wisting: a. d. XVII kal.  
Jan. anno 1911.*

In proprio pittacio Amundsenus Scottum rogat, ut epistolam perferendam curet ad Haakon regem. Id pittacium Scottus secum abstulit. Erant etiam complures res parvae, tres sacci ex pellibus tarandinis facti cum chirothecis pugillatoriis et soccis, sextantarum,<sup>2</sup> horizontarium<sup>3</sup> hypsometrum, quod carebat coquino thermometro, alterum sextantarum ei alterum hypsometrum, facta in Anglia. Scottus in eodem tentorio reliquit schedulam se illic fuisse cum sociis. Post prandium progressi sunt chilometra undecim et dimidium versus meridiem declinantes ad orientem, revera igitur ad septentriones eentes.<sup>4</sup>

Quo pervenerunt locus, repertus est

<sup>1</sup> Nam si convolvulum recte *cigare* novatum concesseris, ne convolvillum quidem recte repudiaveris, ubi tibi pro *cigarette* obtulero.

<sup>2</sup> Sextantarum est sexta pars circuli, instrumentum metiendis angulis et distantiis.

<sup>3</sup> *Horizontarium* mihi prognatum est ex sextentario. Si mavis, ad verbum procedes *Horizontem arte factum*, vel fabrelactum.

<sup>4</sup> Non facile Latine nomines illas regiones quas hodie dicunt: *Südsüdwest, Nordnordwest* et similia.

chilometro vel sesquichilometro a polo distare, et ea statio polaris dicta est. Ibi fixum vexillum Britannorum, quod *Union Jack* appellatur, et photographice excepta est sociorum imago. A spatio chilometri versus meridiem detritum ferrum pedis traharii fixum in nive erat. Scottus suspensus est Norvegos sic ipsum locum poli voluisse notatum. Tum Scottiani chilometrum et quartam partem versus arctum progressi, vexillum Anglicum suspendebant baculo fixo in terra. Is locus est altus metra duo millia et nongenta, cum ad gradum duodecagesimum fuissent metrum tria millia et ducenta.

«Censeo — inquit Anglus, — Norvegos ad polum pervenisse a. d. XVIII. kal. Ian.; discessisse inde XVI kal.; ante eum diem igitur, quem Londini ego mente me cernere dictavera: mensis Decembris vi-

gesimum secundum». <sup>1</sup>


Quinque Angli in redditum se dederunt a. d. XV kal. Febr. anno 1912. Eo die Scottus scripsit in commentariis: «Ergo nos discessimus ab infido illo ambitionis nostrae termino. Ingressi sumus viam chilometrum mille et quingentorum, viam plenam laboris, plenam inopiae, famis, frigoris, qua omni nobis devehenda est trahea. Valete, valete, somnia dierum meorum, valete!» Ille scribebat ex tristitia quae occupaverat animum, ignarus sane se et socios suos non esse emensuros viam, sed in certam se currere mortem. Et primum quidem redeuntibus non minores officiebant viae asperitates, nivium aggeres, concissa rimosaque glacies, quam venientibus.

<sup>1</sup> Norvegi venerant ad polum XVIII. kal.; abierant XV. kal. Ian.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.  
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

# ALMA ROMA



Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

*Nuperrime prodit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exterias nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 475 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 950, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXI

Romae, Mense Octobri MCMXXXIV

Fasc. X

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXIV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequais; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96*.

### DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA<sup>1</sup>

#### I. — AETAS ANTIQUA.

Apenninicam peninsulam iam quaternaria et palaeolithica periodo hominum sedem fuisse primitorum; successiva vero neolithica aetate, Aborigenum, Ligurum; atque aeneolithica Ariorum, Umbrorum, Oscorum, Sabelliorum, Sabinorum, Etruscorum; demum, saec. VIII a Ch. n., Venetorum et Celtarum, vulgo compertum est; itemque circa hanc postremam aetatem populorum immigrations in Italiam alias aliis successisse et constitisse hic illic, per vicos, pagos, foederaque pagorum ordinatas. Quae inter foedera praestitere Etruscorum, Samnitium, Umbro-Sabellicorum, Latinorum denique ad oras Tiberis fluminis. Inter latini foederis urbes novissima in Palatino a

Sabinis Latinisque Etruscisque pastori- bus, circa saeculum medium VIII a. Ch. n. exstitit Roma, quae sensim eminuit et virtute militari et sapientia civili moribusque vitae. Prima regiminis forma in Urbe fertur Regnum fuisse, septemque reges ab Urbe condita, a quibus latae leges traduntur, quarum fragmenta a re- rum scriptoribus exhibentur.

Minus incerta sunt quae de successiva feruntur aetate, qua Respublica stetit. Itaque exactis regibus Urbs prius interiusque constituitur atque firmatur, finitimos arcet, compescit, subigit in Latio, tum Italiam medium atque inferiorem sibi devincit, demum ultra mare, ultra montes aquilas deducit victrices ad Africam, ad Graeciam, ad Asias, ad Gallias, ad Hispanias, ad Britanniam a saec. III a Ch. n. ad exitum fere I, quum conditum est Imperium.

Regibus Tarquinii, Etruscis deiectis, res ad Patres rediit, binis electis consulibus collegis; necesse tamen fuit primum disi- cere atque delere incurantes Tarquinios eorumque amicos tum Etruscos, cum etiam et Latinos, et Sabinos et Veientes et Volscos ceterosque finitimos; quae causa fuit cur et interius res publica arctius firmaretur, convalescente populo aucto- que magistratum numero, et exterius

<sup>1</sup> Ex lectionibus habitis in Pontificio Urbano iuris tradendi athenaeo. — Quod clarissimus do- tor commentarium hoc suum ut in *Alma Roma* ederetur ultro ad nos miserit, publicas ei gratias habemus et referimus.

amplius in dies nomen romanum vigeret, adlectis foedere domitisve populis finitimus; quos enim in dicionem recepissent foederibus variis sibi vinciebant; id autem summo semper studio curaverunt, ut elementa iuris et cultus quos apud quoslibet invenissent, nullo praeiudicio sed scitisime receptum in animam insererent romanam, ut romanum fieret. Quo factum est, ut omnia fere italica iura in ius romanum confluenter, ministerio maxime Praetoris Peregrini; ita tamen, ut romanam illico figuram romanumque nomen merito assumerent. Quo etiam factum est, ut organa reipublicae atque germina illa iuris quamvis rudissima, non ab extra augeri sed ab intra, nutritione dixeris crescere, adolescere, virescere viderentur, quasi divinitatis instinctu. Itaque quum incursio novissima Gallorum irruit in Urbem agros vastans aedesve humillimas primitivae urbis flammis comburens, nihil tamen proficit: pellitur enim procul a Romanis, qui novam restituerunt splendidioremque urbem orbi dominaturam. Et ecce nova aedificiorum regula, ecce novi creati magistratus, ecce nova populi descriptio, ecce tandem primus legum codex publice rogatus publiceque editus, *Lex XII tabularum*, circa medium saeculum III.

A Lege XII tabularum ad punica bella (circa a. 450-250) nova plebi iura quaeruntur interius, novi autem exterius et hostes compescendi et fines ampliores romano populo dandi. Ineunte saec. IV, Sabini, Aequi, Volsci, Veientes, Latini omnes poene absorbentur in Urbem; et post bellum Latinum (a. 340-298) foedus latinum ipsum fit foedus romanum, quamquam romanum invite paterentur imperium. Composito foederibus Latio, consulares fasces ad Samnites progrediuntur, et tribus bellis samnitibus (a. 343-290) belloque Tarantino (a. 283-272) medianam peninsulam atque inferiorem magnam-

que Graeciam in romanam redigunt unitatem: tunc primum Italiae nomen ab extrema peninsula dilatum ad medium atque superiore, usque ad Macram et Rubiconem flumina, gentesque continuit genere maxime varias, Latinos, Etruscos, Sabinos, Graecos, Siculos, Tyrrhenos, Ligures, Celtes aliasque permultos, e quibus elementa quidem Roma recepit, sed eadem, ut monimus, romana effecit, ut vix aut ne vix quidem dignosci iam possent. Renovatur itaque lingua, renovatur ius, renovantur cotidie litterae bonaenque artes, renovatur, semper eadem sibi congrua manens, anima romana, et quidquid italicum est romanum fit.

Primo bello punico (a. 264-241) fasces romani fretum transiliunt et mare internum, primamque, post victoriam ad Aegeates (a. 341), condunt Siciliam provinciam, cui alteram mox (a. 235) adiungunt, ex Sardinia et Corsica insulis, Sardiniam provinciam; dum Illyrios in mari supero piratas disperdunt, Gallisque tumultuantibus in superiore Italia perdomitis, tertiam condunt Romanam provinciam Galliae Cisalpinae coloniasque deducunt Placentiam et Cremonam (a. 218). Bello antem punico secundo, Romani non modo in Italia taeterrimo Hannibali strenue obstitere, adverso licet marte, sed Carthaginenses insectati aggressique sunt vel etiam in Hispania, vel in Africa, ubi nobilissima ad Zamam Victoria parta, pacem imposuere gravem (a. 201). Interea, ad orientem, adversus Philippum V, Macedonum regem, quod Hannibali favisset, signa Romani tulerunt, classem macedonicam primo bello (a. 215-205) perdiderunt; secundo autem (a. 200-197) Philippo V ad Cynocephalim devicto, duram pacem imperaverunt, vindicata ac ludis isthmicis proclamata Graeciae libertate (a. 195); tertio denique bello macedonico Perseum, Philippi filium et successorem, ad Pidnam superatum (a. 168) capiunt, ac

Macedoniam in quattuor respublicas divisam — (divide et impera!) — amico foedere sibi devinciunt. Paulo ante ad Magnesiam, in Asia anteriore, Antiochum, Syiae regem, quod hospitio excepsisset confugientem Hannibalem perdomuerant, diviso inter socios regno (a. 190). Paullo post rebellantem Macedoniam compescunt atque efficiunt quartam provinciam romanam (a. 148), cui mox, rebellantibus Graecis perdomitis deletaque Corintho, quinta accessit provincia Achaia (a. 146), et dein (a. 135) ex regno Pergami in Asia anteriore, quod ab Attalo III rege hereditate relictum, sexta provincia Asia.

Dum autem haec in Oriente Romani gerunt, in Italia superiore detrectantes Ligures aliasque coercent, atque validius firmant ampliusque distendunt provinciam Galliam Cisalpinam, quae iam universam complectitur Italiam superiore, inter Alpes et Apenninum et Rubiconem et Mare superum (a. 200-180). Praeterea in Hispania, ubi iam a victoriis P. Scipionis Africani romanum nomen plurimum valuit, et ex pace, qua bellum Punicum secundum compositum fuit, africana dominia Romanis cessere, duabus creatis provinciis, ultra citraque Hiberum flumen, Hispania Ulteriore ac Citeriore, nunc inquieti populi, Celtiberi, Gallici, Cantabri, Lusitani in pace sunt (a. 179).

Bello punico tertium renovato, Carthaginem tandem Romaui delent (a. 146) ibique novam condunt provinciam, Africam. Mox rebellantes compescunt Lusitanos (a. 141) atque Celtiberos (a. 133), ita ut Hispania omnis, Asturiis et Cantabris exceptis, in dicione fuerit Romanorum. Quae omnia nemo non videt quantopere affecerint ius ipsum romanum, et publicum et privatum.

Inde vero quoque factum est ut anima ipsa romana tam iusta, tam integra, tam austera, sensim corrumperetur, atque civitas ipsa bellis intestinis motibusque

factionibusque conficeretur, a Gracchis ad Marium ac Sullam, ad Caesarem et ultra. Quod tamen non impedivit quominus in Gallia transalpina inferiore, Allobrogis disiectis, novam Romani conderent proviam, a lacu Lemano ad mare, ab Alpibus ad Pyrenaeos montes (a. 123); colonias ad Balearas insulas dducerent (a. 121), victoriasque ad orientem reportarent (119-114) de Dalmatis, de Tauriscis, ad ripas Danuvii fluminis, de Scordiscis. Quin etiam in Numidia eodem ferme tempore, bello Iugurthino (a. 105), superiores discedunt, et paullo post (a. 96) hereditate recipiunt a Ptolemaeo Apione rege Cyrenaicam, quam constituant provinciam, adiecta Creta insula. Tum Cimbros, ex Chersoneso Cimbrico (Jutland), et Teutones, utrosque Germanicos populos a finibus reipublicae repellunt ac profligant (a. 102-101); in Oriente autem, tribus bellis mithridaticis aliquis permultis Bithiniam, Ciliciam, Syriam denique provincias instituunt, regna Cappadociae, Galatiae, Iudea in fidem recipient, Armeniam vero in amicitiam et foedus.

Bellis intestinis finem non imposuit prior triumviratus (a. 60); at Caesar Galliam totam subegit (a. 56-50), Britannos, insidiantes Reipublicae, pluries oppressit (a. 55-53), signa victoria in Aegyptum intulit (a. 47), Pontum, Africam, Hispaniasque compescuit (a. 47-45). Tunc Caesar idem, conclamatus reipublicae perpetuus Dictator (a. 45) atque Imperator, una manu sua Italiam, Galliam, Hispaniam, Africam, Illyriam, Graeciam anteriores, Syriam tenens, una sua mente omnia novo ordine componenda moliens, uno suo corde subiectis parcens debellansque superbos, civitatem largitus romanam est italis omnibus, in Gallia et Hispanis municipiis, urbibusque plerisque ubique universis, qui bene de litteris, de artibus, de republica meriti petivissent. At nefarie interemptus fuit anno post, idibus martiiis

a. 44. Successit alter triumviratus, belumque civile inter ipsos triumviros, e quibus tandem praevaluuit unus, Caius Octavius, Caesaris ex nepte nepos et filius adoptivus (a. 31), qui ceteros oppresit, unusque rem publicam obtinuit, assumpto nomine Caio Iulio Octaviano Caesare Augusto.

Monarchicum regimen redierat, iam una cum dictatura perpetua Caesari concessa; sed nunc cum Augusto firmatur, Imperiique sumit nomen. Stat Imperium quinque ferme saecula, quibus quinque eiusmodi Imperii periodi commode appetantur.

Prima periodo imperium interius constituitur atque firmatur ab Octaviano ad Domitianum (a. 30 a. Ch. n. - 96 p. Ch. n.), toto nempe saeculo i aevi Christiani; exterius novas regiones acquirit in Africa et Britannia.

Secunda periodo imperium interius attingit splendorem in litteris, artibus, iure; exterius incursantes arcet, a Domitiano ad Commodum mortuum (a. 96-129).

Tertia periodo imperium declinare videntur, nam interius mores, religio, disciplina relaxantur; exterius vero barbarae gentes ad fines imperii agitantur et non raro perrumpunt, a Commodo ad Diocletianum electum. Litterae declinant; ius vero magis extollitur.

Quarta periodo imperium interius refici videtur, opere praesertim Christianorum imperatorum Constantini ac Theodosii; exterius barbaros ad fines continet, sed dividitur pluries, sedemque transfert in Orientem; ab electo Diocletiano ad Theodosii I mortem (a. 284-395).

Quinta demum periodo imperium definitive divisum manet Orientale et Occidentale; illud diutius barbaros arcet ac stat; hoc a barbaris primum interius corrumptur, dein plane conteritur, a Theodosio mortuo ad deiectum Romulum Augustulum (a. 395-476). Interea nova religio

novam animam efformat, imperii augustas reliquias colligit, refovet atque in novam componit generatque unitatem.

Incipit vita nova.

(*Ad proximum numerum*)

SYLVIUS ROMANI.

### De ethnicorum et christianorum hymnis in sacris solemnibus canendis.

Ethnici in suis sacris solemnibus ad deos colendos hymnos habuisse apprime novimus. Salaribus, Anciliis, convivalibusque carminibus sepositis, Livius Andronicus (240 a. Chr.) *carmen piaculare* ad Iunonis iram placandam composuit, quod viginti septem puellae cecinerunt. His precationibus, victoria ad Metaurum contra Hasdrubalem adscripta fuit, unde Senatus consulto statutum est, ut Poëtae in Aventino monte templum Minervae dicarent. Sed de tam multis carminibus nulla traditio superest. Notissimum tamen exstat Horatii Flacci illud carmen saeculare, quod Octaviani Augusti iussu, in ludis saecularibus restitutis (17 a. Chr.) a viginti septem pueris totidemque puellis canendum erat.

Saci hymni longe melius apud Christianos floruerere nosque suavitate argumenti illecti de binis hymnis disceptabimus.

Exemplum sumemus ex historicis hymnis alio a Divo Thoma, alio ab Horatio nobis traditis.

Thoma illud: «Sacris solemnis iuncta sint gaudia» in Festi corporis Christi officio cecinit, quem illud novum atque ineffabile sacramentum, a Vulsinio dictum, fidelium animos commovit. Ex sermone Thoma Aquinatis accepimus: «Ut autem integrum celebritatis officio institutionem tanti Sacramenti recoleret plebs fidelis,

Romanus Pontifex Urbanus IV huius Sacramenti devotione affectus, pie statuit praefatae institutioni memoriam prima quinta feria post octavam Pentecostes a cunctis fidelibus celebrari».

Hymnus panegiricus ita sonat:

Sacris solemnis iuncta sint gaudia et ex praecordiis sonent paeonia; recedant vetera, nova sint omnia corda, voces et opera.

Noctis recolitur coena novissima qua Christus creditur agnum et azima deditse fratribus, iuxta legitima priscis indulta patribus.

Post Agnum typicum, expletis epulis, Corpus dominicum datum Discipulis, sic totum omnibus quod totum singulis eius fatemur manibus.

Dedit fragilis corporis ferculum, dedit et tristibus sanguinis poculum, dicens: accipite quod trado vasculum, omnes ex eo bibite.

Sic sacrificium istud instituit, cuius officium committi voluit solis presbyteris, quibus sic congruit ut sumant et dent ceteris.

Panis angelicus fit panis hominum, dat panis caelicus figuris terminum: o res mirabilis, manducat Dominum pauper, servus et humilis.

Te Trina Deitas unaque poscimus sic nos tu visita sicut te colimus; per tuas semitas duc nos quo tendimus ad lucem quam inhabitas.<sup>1</sup>

Horatianae metricae legibus hymnus obedit, nam de asclepiadea tetrastica dipodia agitur, quae ex ternis minoribus asclepiadeis et ex singulo glyconio constat.

Pentecostis solemnis novum hoc Corporis Christi festum connectitur, unde poëta fideles ad novum gaudium incitat primis duabus strophis «Sacris solemnis, iuncta sint gaudia». <sup>2</sup> Sequitur pars histo-

<sup>1</sup> Quem hymnum italico sermone egregie Ioachim Belli interpretatus est eritque utique legendus (*Inni Ecclesiastici*. Roma, Garroni, 1913).

<sup>2</sup> BELLi:

Si accoppi il giubilo co' giorni santi;  
dal cuor si laudi l'Eterna prole;  
tutto rinnovisi quel che fu avanti,  
atti, pensier, parole.

rica: «Noctis recolitur»; «Post Agnum typicum»; «Dedit fragilis». Pars liturgica subit: «Sic sacrificium», quam explanatio sacrorum effectuum compleat: «Panis angelicus»; clauditur hymnus Dei unius et trini laude, recinendo «Te Trina Deitas».

Praecipua stropha illa est quae canit:

Panis angelicus fit panis hominum,  
dat panis caelicus figuris terminum:  
o res mirabilis, manducat Dominum  
pauper, servus et humilis.<sup>1</sup>

Eam adduximus ut significatio legitima habeatur illius *humilis* qui sonat: *et pauper humilis*, seu etiam pauper qui humilitate sua Domino non displicuit.

Qua nobilitate polleat hymnus a nobis non est decantandum: illo enim augustinum Eucharistiae sacramentum canitur, quo nil sanctius, nil divinus; unde facile explicatur ille vaticinus furor quo poëta theologusque rapitur auditores omnes invitans: «Sacris solemnis iuncta sint gaudia». Narratio historica brevitate perspicua, non brevem evangelicam expositionem resumit, qua de causa facile, ante oculos, tota Christi passio cadit. Explicit hymnus illa eucharistica laude, quae eodem tempore et precem et spem sapit:

Per tuas semitas duc nos quo tendimus  
ad lucem quam inhabitas.

Alter hymnus de quo ratio nostra erit, nullique inter doctos viros ignotus, *Carmen saeculare* inscribitur. Q. Horatius Flaccus carmen scripsit quod in tabula quadam Fastorum consularium legitur et utique, iubente Augusto, Horatius hoc hymno *tudos saeculares* nobilitavit. Saphica stropha poëta utitur; Aquinas vero asclepiadea cecinit; id parvi interest: rei caput est quod poëtae sacrum hymnum canen-

<sup>1</sup> Quam BELLi interpretatur:

Il pane angelico fu nostro pane,  
compiè le immagini dell'era antica  
e il servo e il povero per leggi arcane  
del Cristo si nutrica.

tes non solum dignitate argumenti inter se differunt quum Horatius daemones, Aquinas autem verum Deum canant, sed ipso canendi stylo.

In Aquinate perspicua est unitas divini afflatus, quam perperam apud Horatium invenies. Aquinas enim in argomento proposito: « Coena novissima » perstat et instat nunquam digrediens, quod fit tertia strope: « Corpus dominicum » « vasculum ut bibant », quinta: « Sacrificium », sexta: « Panis angelicus ». Ubinam tam perspicua unitas?

Apud Horatium contra notatur, hymni argumentum totum esse in Apollinis atque Diana laudibus: « Phoebe silvarumque potens Diana », quibus Sibyllini versus monuere « dicere carmen ». Sed poëta statim laudes divisorum relinquit, quae erant canendae, et vota promit:

a) ne sol, id est Phoebus, quid Roma maius visat.

b) ut Diana, Lucinae nomine adhibito, partus et matres tueatur; sobolem producat; prosperet decreta Patrum; ut populus referat cantus et ludos.

Quo Divorum laudes abierunt? Divis Apolline et Diana sepositis, Parcae id est *Moīpau* Lachesis, Atropus, Clotus inducuntur. Tellus quae Cererem, alibi Dianam, spicea corona donat, romanorum in agros proclivitatem apponit, sed id ad laudes diviae quid refert? Redeunt Apollo et Luna, id est Diana, quibus Aeneae fabula adnectitur; reliquus hymnus romanum imperium nuper constitutum melius semper prorogat in aevum. Conclusio Iovem deosque cunctos appellat, ac tandem chorus puerorum puellarumque Phoebum atque Dianam evocat dicens se doctum eorum dicere laudes, sed quas laudes? Potius diceret *se doctum promere vota*.

Horatius *didascaliam* secutus est quam Zosimus, Theodosii imperatoris aequalis, retulit; cuius rei causa totus hymnus novitate inventi caret, et si quando nitet, ut

in illis « alme sol »; « condito mitis »; « iam mari terraque », nitor hic non ex argomento, sed ex poëtae cerebro fulget. Multa sunt demisse expressa, quae non artem poëticam sed historicam fidem spectant: « cui per ardente »; « quaeque vos bobus »; « iam Fides et Pax »; « si Palatinus »; « haec Iovem sentire », omnia divino spiritu carentia quae in eucharistico hymno nullum locum habent. Plura sunt, quae demi possunt, multa sunt in quibus, non bonus Homerus, sed bonus Horatius alto somno dormitat.

Ex Aquinatis hymno quid demi possent? Veluti saxum stat nullo modo partem de illo solido saxo demas. Venustus et constans fidelium canentium captui se praebet, contra, puerorum puerorumque captui nescio quae ex horatiano carmine essent prona ac perspicua. Quid de Mediis, quid de Scythis, quid de Indis pueri noverant? Quid de lege Papia Poppea, cui innuitur canendo? Pueri et pueri quid sentire poterant de *feraci lege marita?* Ipsi qui puerili simplicitate gaudentes nil melius quam ludum, quam pompam avebant?

Hymnus hic in Palatino atque in Capitolino colle cum a pueris caneretur, neque a pueris neque a romano populo intelligebatur, nullamque virtutem habebat animos ad pietatem movendi; qua de causa horatianus hymnus non sacer, sed politicus dicendus est. Bene quidem in aula a Flacco, a Vario, a Tucca, a Vergilio, ab Agrippa, a Maecenate, Augusto praeccidente, cani poterat; Aquinatis vero hymnus per saecula in ore fidelium sedit, atque sedebit, quia vere ac proprie sacer hymnus fuit. Itaque binis his inter se hymnis collatis atque inspectis cuinam palma erit statuenda? Aquinati christiana an Horatio ethnica Camoena canenti?

Sed omnibus hoc vitium! Plura sunt quae apud nostros scriptores nitent, sed facile seponuntur; nam haec humanista-

rum traditio fuit: ethnicos poëtas ad astra extollere, nostros humi deprimere. Multa, pulca dicuntur quia ab Horatio seu a Vergilio dicta fuere; eadem aliquando etiam potiora, nulla laude ornantur quia non ex Horatio, non e Vergilio fluxerunt.

ALEXANDER AURELI.

..... *Ut honestum illud Solonis sit* (= adeo est), quod ait versiculo quadam: senescere se multa in dies addiscentem (Cic., *De Sen.*, 14, 50).

III. - Certas propositiones subiectas eleganter reddunt propositiones « independentes », ut dicimus. Sic redduntur praeceps propositiones

1<sup>o</sup>) conditionales; <sup>1</sup> v. g.:

*Subduc* cibum unum diem athletae: Iovem Olympium ipsum implorabit (Cic., *Tusculan.*, II, 17).

Furem aliquem aut rapacem *accusaris?* Vitanda tibi semper erit omnis avaritiae suspicio (Cic., *Verr.*, II, 3, 2, 4).

2<sup>o</sup>) concessivae; <sup>2</sup> v. g.:

Haec *sint* falsa sane, invidiosa certe non sunt. (Cic., *Verr.*, II, 32, 105).

*Sit* sane tanta quantam tu illam esse vis, sed vide.... (Cic., *De Or.*, I, 55, 235).

Fessi quidem *erant*, tamen....

Scipio vulnere gravis *erat*, tamen quarta vigilia castra movet (Tit. Liv.).

3<sup>o</sup>) comparativae *ut opinor, ut credo, ut reor*, <sup>3</sup> in quibus saepe satius est supprimere coniunctionem; v. g.:

*Opinor*, haec incommoda sunt carentis (Cic., *Tusc.*, I, 36, 84).

IV. - Aliquando una propositio subiecta in alteram migrat. Sic

exprimenda verbis arbitraretur, novam quamdam finxit in libris civitatem: *usque eo* illa quae dicens de iustitia putabat, a vitae consuetudine et a civitatem moribus abhorrebat (Cic., *De Orat.*, I, 52, 224). - Dionysius quidem tyrannus Corinthi pueros docebat: *usque eo* imperio carere non poterat (Cic., *Tusc.*, IV, 37, 79).

N. B. - *Tantus* quoque in epiphonematibus saepe usurpatur; v. g.. Alexandrum regem videntur, qui quum interemisset Clitum familiarem suum, vix a se manus abstinuit: *tanta* vis fuit paenitendi (Cic., *Tusc.*, IV, 37, 79).

<sup>1</sup> Cf. ALMA ROMA, *De coniunctionibus eleganter omittendis*.

<sup>2</sup> Cfr. *Ibidem*.

<sup>3</sup> Dici etiam potest v. g.: *Ut ego existimo, ut mihi videtur, quomodo mihi persuadeo.*

## DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

### De propositionibus eleganter convertendis.

I. - Linguae hodiernae libenter propositiones sic dictas « independentes » iuxtagponunt, usurpati aut omissis coniunctionibus. Quarum propositionum, quoad fieri potest, magis praecipua apud Latinos in primariam migrat, ceterae vero in propositiones subiectas aut in participia;<sup>2</sup> v. g.:

Non *debet* dubitari quin *fuerint* ante Homerum poëtae (= Non debet dubitari: fuerunt ante Homerum poëtae) (Cic.).

Quod quum *animadverterent* oppidanis, *constituant* proficisci (Caes.).

*Qualis sit* animus ipse animus *nescit* (Cic.).

*Rem non ita se habere arbitrantur* (Cic.).

Rerum exitus *si reputaveris*, plures a suis quam ab hoste interemptos *numerabis* (Quin. Curt.).

*Urbem captam* hostis *diripuit*.

*Urbe direpta*, hostis *profectus est*.

II. - Epiphonemati propositionem consecutivam Cicero saepe substituit;<sup>3</sup> v. g.:

<sup>1</sup> Cf. fasc. sup.

<sup>2</sup> Ut propositiones « independentes » in patro sermone possint usurpari, saepe unum alterumve vocabulum addendum est sententiae latinae quae vertenda est.

<sup>3</sup> Quando Tullius epiphonemate uititur, fere incipit vocibus *usque eo*; v. g.: Plato quum haec

1<sup>o</sup>) propositio adjuncta saepe propositione relativa eleganter redditur, quae idem adiunctum seu circumstantiam exprimat et coniunctivo efferatur; <sup>1</sup> v. g.:

O fortunate adulescens, qui tuae virtutis Homerum paeconem inveneris (Cic., *Pro Arch.*, 10, 23).

Sunt multi qui eripiunt aliis *quod* aliis largiantur (Cic., *De Off.*, I, 14, 43).

Quae tam firma civitas est, quae non odiis funditus possit everti? (Cic., *De Am.*, 7, 23).

Vice versa, propositio relativa in adiunctam migrat; <sup>2</sup> v. g.:

Morini, *quam* (= qui) quo se recipient non haberent, in potestatem Labieni pervenerunt (Caes., *De bello gal.*, IV, 38, 2).

Histrio *si* (= qui) paulum se movit extra numerum exsibilatur, exploditur (Cic., *Parad.*, III, 2, 26).

Inimici vero, *quia* (= qui) noceri non posse intelligebant, quiescendum in praesenti decreverunt (Corn. Nep.).

2<sup>o</sup>) participium saepe locum tenet propositionis

a) relativae; v. g.:

<sup>1</sup> Propositio relativa vel infinitivi locum tenet, ad designandam actionem aliquius; v. g.: In primis versutum et callidum factum Solonis, *qui*, quo et tutor vita eius esset et plus aliquanto rei publicae prodesset, furere se *simulavit* (= simulare) (Cic., *Off.*, I, 30, 108). - Illud quidem certe nostrum consilium itre laudandum est, *qui* meos cives servis armatis obici *noluerim* (= noluisse) (Cic., *Ep.*, I, 9, 13).

<sup>2</sup> Propositio relativa saepe nec inveniuntur migrat in propositionem conditionalem, quae per *si quis* ortum dicit. Quae forma restrictiva est et dubitativa; v. g.: *Si quae* contra naturam sunt, reicere (Cic., *De Fin.*, III, 9, 31). - *Si quis*, verbi causâ, oriente canicula natus est, in mari non morietur (Cic., *Fat.*, 6, 12.) - *Quod si qui* simulatione et inani ostentatione et ficto sermone stabilem se gloriam consequi posse renatur, vehementer errant (Cic., *Off.*, II, 12, 43).

Vidi eum *ingredientem*<sup>1</sup> (= qui ingrediebatur).

Aspice convexo *nutantem* pondere munum (Verg.).

*Exsultantem* te et *praefidentem* tibi reperit valde legum habenae (Cic., *De Orat.*, III, 41, 166).

Ordo est recta quaedam collocatio prioribus sequentia *annectens* (Quint.).

b) completivae; v. g.:

Angebat virum *Sicilia amissa* (= Siciliam amissam esse)

c) adiunctae; v. g.:

Servilius Ahala Maelium regnum *appetentem* (= quia appetebat) interemit (Cic., *Cat.*, Cat.).

Triginta homines, *nummulis acceptis*, (= quia nummulos acceperint) ius omne delere (Cic., *Attic.*, I, 16).

*Vobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis* (= etsi...), haec tanta virtus ex hac urbe expelletur? (Cic., *Pro Mil.*, 37, 101).

Sic hic morbus vehementius, *reliquis vivis* (= si...), ingravescet (Cic., *Cat.*, I, 13, 31).

*Tranquillo mari* (= quando...), gubernare se negant posse (Cic., *De Republica*, I, 6, 11).

Uno et octogesimo anno Plato *scribens* est mortuus (Cic., *De Sen.*, 5, 13).

Vice versa, participium et gerundium patrii sermonis saepe redundunt latine propositione adiuncta; v. g.:

<sup>1</sup> a) Usurpat etiam infinitivus, sed sensu diverso; v. g.: Vidi eum *ingredi*.

N. B. - Huiusmodi infinitivus non differt a propositione infinitiva, ob naturam verbi primarii *video, audio, facio, fingo...* etc... quod post se accusativum postulat.

Si quis plura de hac re legere voluerit, audeat RIEMANN et GOELZER, op. cit., n. 611.

b) Tullius scribit quoque; v. g.: Saepe ex sacerdo meo audivi, *quam is diceret*.

*Quum proficisci non posset*, mansit.

*Quod quum facies*, communi commodo inservieris (Cic.).

Hippocrates videtur honestissime fecisse *quod quosdam errores suos confessus est* (Quint.).

Gemmae, *ut abiificantur in lutum*, proprietatem non amittunt (Cic.).

*Si videris hominem felicem inter adversa, nonne admiraberis eum?* (Cic.).

Praeterea, loco participiorum *memoratus, nominatus, dictus, supradictus*, etc., Latini fere propositionem relativam usurpant; v. g.:

Propter eam *quam dixi* causam (Cic., *Verr.*, II, 46, 110).

Est in carcere locus, *quod Tullianum appellatur* (Sall.).

Genus est quoddam hominum *quod Ilotae vocatur* (Corn. Nep.).

Samnites Maleventum, *cui nunc urbi Beneventum nomen est*, perfugerunt (Tit. Liv.).

3<sup>o</sup>) interrogatio indirecta plerumque usurpat pro sententia relativa patrii sermonis; v. g.:

*Cogita quid* (= hoc quod) feceris.  
Ad me scribe *quid* agas.

4<sup>o</sup>) cum verbis motus, accusativus superius locum tenere potest propositionis finalis; v. g.:

Ex ultima urbe *deductum venire* solemus (Cic., *Pro Mur.*, 33, 69).

*Mittit rogatum ea quae pulcherrima apud eum viderat* (Cic., *De Sign.*, 27, 63).

*Spectatum veniunt*, veniunt spectentur ut ipsi (Ov.).

*Suffragatum secunda classis vocatur* (Cic., *Phil.*, II, 33).

Gerundium et adiectivum verbale in *dus, da, dum*, cum praepositione *ad*, vel eorum genitivus cum *causa, gratia* possunt et ipsa vices gerere propositionis finalis; v. g.:

*Ad laborandum veni.*

Tum iste se comperisse eum *speculandi causa in Siciliam esse missum* (Cic., *De Suppl.*, 62, 162).

Athenas *erudiendi gratia missus*.

Alcibiades *ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione* (Corn. Nep.).

V. - Denique, integra propositio quandoque redditur uno tantum nomine sive substantivo sive adiectivo: v. g.:

*Adiutor* (= ut adiuvem) tibi venio.

Institutus est liberaliter educatione et doctrina puerili (= quae puerum decet) (Cic.).

Huc veniunt peculiares quidam ablative, qui comparativo anteponi solent *opinione, spe, aequo, dicto, iusto, solito*; <sup>1</sup> v. g.;

*Opinione* (= quam est opinio) omnium maiorem animo capi dolorem (Cic., *Brut.*, 1).

Speque redit citius (Ov., *Fast.*, 4).

*Dicto* prope citius equum in viam Claudius deiecit (Tit. Liv., XXIII, 47).

(*Ad proximum numerum*).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

<sup>1</sup> Multa praeterea dici possent de propositionibus eleganter convertendis, quae usus docebit.

Duo tamen digna sunt quae hic notentur;

a) *Non possum non* cum infinito idem est ac *non possum quin* cum coniunctivo; v. g.: Qui mortem in malis ponit, *non potest eam non timere* (Cic., *De Fin.*, 3, 8). - *Nemo non potest eum non laudare* (Cic., *Fam.*, IV, 7).

b) *Post verum est, verisimile est*, coniunctivum cum ut eleganter usurpat, quum agitur de re non hypothetica seu supposita, sed reapse existenti; v. g.; Si *verum est ut populus romanus omnes gentes virtute superarit* (Corn. Nep., *Hann.*, 1, 1). - *Verisimile non est ut horum litteras adamarit* (Cic., *Pro Rosc. Am.*, 41, 121).

*Hoc patrum est potius, consuefacere filium  
Sua sponte recte facere, quam alieno metu.*

TERENT., Adelph.

**IN BONAS AURAS**

COETU IAM ADVENIENTE  
XXXII EUCHARISTICO INTERNACIONALI

*Regina magni splendida fluminis,  
Aurae Secundae, maxima civitas  
in gentibus fulges Iberis  
Maeoniis fidibus canenda.  
Dum Phoebus ardens purpureum vibrat  
ab axe lumen, tempora dividens,  
nil maius illi fas in Austri  
visere partibus est remotis.  
Recentis alnum tu subolis Caput;  
gentes per orbis nomen it inclytum,  
tuaeque fulgores coronae  
in patriam populumque manant.  
Felix virorum nobilium parens,  
fecunda frugum, dives in omnibus;  
teque artium doctam bonarum  
laudibus usque ferent Camoenae.  
Seu Martis urget fervidus impetus,  
matrona bellis ac r in horridis:  
cum nobili certans leone<sup>1</sup>  
aut tigridem dirimens rapacem.<sup>1</sup>  
Quid alta summo limina Numini  
sacrata dicam, nubibus arduis  
vicina? Quid fastum Senatus,  
aut celebrem monumenta mille?  
Nec te silebo, «magne velut mare»,<sup>2</sup>  
argentea amnis, latior omnibus  
quicunque deducunt tumentes  
in freta caerulea Thetys undas.  
Qui zona inusta iugiter ignibus  
caeli tonantis gigneris imbris,  
fususque procere per arva  
principis adluis Urbis oras.  
Qui optata pandis navibus ostia  
fessis viarum mobilium sali,*

<sup>1</sup> Respectus allegorici in historiam argentinam.

<sup>2</sup> Vox indica Paranà «magnum velut mare» sonat.

*mercisque pelletis amore  
qua locuples populus redundat.  
O magna cunctis, nobilior fide  
Christi decora! quam tulit inclyta  
tibi Parens Hispana, plures  
quae genuit populos Olymbo!  
Deditque sanctam noscere Virginem,  
argenteorum sidus amabile,  
nam clarior Maius refulsit  
virginea renitente luce.<sup>3</sup>*

*Tantis refertae muneribus poli  
insigne confert nunc tibi Pontifex,  
fidelium gentes sacrato  
foedere qui religat per orbem.  
Is namque mundo lumina dirigens,  
ut redderes, te providus eligit,  
magno Sacramento supremos  
fervida cum populis honores.*

*Hem ter beati iam properant dies!  
Iam templa miror luce micantia,  
centumque laetante advenarum  
fumine iam reboant carinae.  
Iam mille centum guttura concinunt  
clamantque cives, aethera personant  
magno Sacramento canenda  
virginibus puerisque laude.  
Iam Rex amorum conditus Hostia,  
mundum benigno qui imperio regit,  
stipante procedit sacrorum  
pontificum radiante turma.*

*Tum plebem et alto de solio piam  
manu ferendus prospiciet sacra,  
dulcisque divinis replebit  
pectora muneribus Redemptor.  
Ergo, Bonae Aurae, splendida civitas,  
ambi corona regia tempora;*

*exurge ovans dignamque tanto  
indue te Dominam triumpho.  
Bonis Auris, mense Septembri, 1934.*

LUDOVICUS MARCOS, C. M. F.

<sup>3</sup> Die 25 Maii anni 1810 sol civilis libertatis oboritur populo argentario; quam duces et milites suppliciter sanctam Virginem poposcerant.

**CERTAMINA POËTICA****Exitus certaminis poëtici Ruspan-tini.**

Vulgatus est exitus postremi certaminis poëtici Ruspantini, a Romano litterarum athenaeo iudicandi, in quod triginta auctores descenderunt. Praemium assignatum est carmini, cui titulus: *Rus pascolianum*, notato verbis: « Croceas necete coronas », respondentibus nomini VINCENTII POLYDORI, doctoris Aretini.

Iudices praeterea peculiari laude digna quae sequuntur carmina habuere:

1. *Nocturna in Volsiniensi lacu navi-gatio*, auctore Alceste Bresciani;
2. *In mortem Thomae Edison*, a. Anacleto Trazzi;
3. *Aeronauta*, a. Iunio Garavani;
4. *Caelestia*, a. Ioanne
5. *Fabularum liber alter*, Massa;
6. *Carnera et Paulinus*, a. Vincentio
7. *Novissima gloria*, Polydori;
8. *Ipsae coecorum tenebrae illustrantur amore*, a. Augustino Silvani;
9. *Eoemus et Elisa*, a. Francisco Sofia Alessio.

Clarissimo amico et laboris nostri socio VINCENTIO POLYDORI ob alteram partam victoriam novasque meritas laudes ex animo vehementissime gratulamur; itemque clarissimis viris Acastae Bresciani, Anacleto Trazzi, Iunio Garavani et Francisco Sofia Alessio, et ipsis *Almae Romae* sociis.

**Novum certamen poëticum Lo-crense.**

Locrense ephebeum, quod a Pedemontium Principe nomen repetit, et quotannis latinum certamen poëticum habet, ad principem foeminae recens ipsi Pedemontium principi natam celebrandam,

alterum recens indixit, in quo per lati-num poëmatum gloriae et gesta Sabaudi-ca domus extollantur.

Cuius quidem certaminis leges hae sunt:

1. Certamen omnibus patebit: italis exteris.

2. Carmina versibus centum haud bre-viora, nec trecentis longiora sunt.

3. Numerorum ac pedum libertas con-ceditur.

4. Carmina, portabili paelo impressa, sententia adnotentur super involucre trans-scribenda, in quo, sigillo munito, auctoris nomen, cognomen, aetas, nominationes, domicilium declarentur. Omnia unica hac inscriptione: *Direzione del Convitto Principe di Piemonte in Locri tam diligenter mittantur, ut ante medium no-citem diei xxx mensis Novembris huius anni MCMXXXIV tuto ad locum suum per-ventura sint.*

5. Praemium victoris erit numisma au-reum de industria cusum, valore libell. mille.

6. Alia carmina laude digna singulari mentione ac diplomate decorabuntur.

7. Carmen praemio donatum ceteraque magna laude memorata in vulgus edentur.

8. Iudicium collegium ex peritissimis linguae et poëtiae latinae constabit.

9. Iudices et singillatim et coniunctim intra tres menses sententiam ferent; sol-lemnri ritu praemium vitori conferetur.

10. Carmina omnia ad certamen missa in Locrensis Collegii, certaminis ipsius auctoris, proprietatem cedent.

11. Qui hisce legibus non paruerit, is ad certamen minime admittetur.

Leve est miseris ferre, perferre est grave.

SENECA.

Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis.

OVIDIUS.

**SAPIENTUM PERVESTIGATIONES**  
A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE  
LATINE VULGATAE

**NOTITIAE.**

**DE CENTENARIA DIE AB ORTU DEMETRII MENDELEEFF.**

Die 7 superioris mensis februarii centenarius annus absolvebatur ab ortu Demetrii Mendeleeff.

Eius distributio periodica elementorum proposita fuit sub finem anni 1868; eodem anno, et separatim, etiam Lothar Meyer aliquid simile vicissim invenit.

Tabula periodica sub forma quam etiam nunc retineri solet, publici iuris facta est anno 1871.

Deerant in distributione illa duo elementa, quibus ipse Mendeleeff locum reliquerat in tabula et nomina assignaverat, *ekaaluminium* scilicet et *ekaborum*.

Post aliquot annos duo haec praevisa elementa reperta sunt, *gallium* nempe anno 1875 et *scandium* an. 1879; eorum proprietates bene congruebant cum illis quae ex tabula deducebantur, et hoc maxime contulit, ut patet, ad affirmandam obiectivam virtutem legis periodicae a Mendeleeff traditae.

Neminem latet quanti momenti lex illa fuerit tum pro chemicis tum pro physicis, praesertim postquam numerus athomicus, qui est simul numerus ordinans, in ipsam distributionem periodicam inductus est, et quam apte duxerit ad detectionem elementorum incognitorum; quanti denique sit ad inquisitionem ipsius athomicae structurae.

**DE METALLIS SUB INFIMIS TEMPERATURIS.**

Ultimis hisce annis plures inquisitiones institutae sunt de modo quo metalla se gerant sub frigidissimis temperaturis. Ne-

mo enim non videt quanti momenti hoc sit in pluribus applicationibus.

Recenter Doctores W. J. de Haas et Robertus Hadfield retulerunt apud Regiam Societatem Anglicam circa proprietates mechanicas quorumdam metallorum ad temperaturam bullitus hydrogenii liquidi, h. e. ad temperaturam 20°3, gradus maximis.

Metalla examini subicienda immitabantur in vas Dewar hydrogenium liquidum continens.

Quaedam ferreae substantiae, immo et ipsum ferrum ad temperaturam aeris liquidi, ostenderant sensibile incrementum tenacitatis et plerumque continuum decrementum ductilitatis.

Ad temperaturam hydrogenii liquidi continuo appareat descensus in duritiem, quamvis exceptiones non desint.

Mixturae non ferreae huiusmodi experimento subiectae permanerunt ductiles ad infimas temperaturas: sic nichelium, cuprum et aluminium incrementum in duritiem demonstrarunt, quum tamen congruens decrementum in ductilitatem minime apparuerit.

Substantiae istae non ferreae structuram habent reticulati cubici centralis, quae structura videtur favere persistentiae ductilitatis, quamvis in mixtulis ferreis structuram hanc non semper comitetur ductilitas.

**DE RARA EDITIONE OVIDII MONTALBANI, CUI TITULUS "CURAE ANALYTICAE".**

Prof. A. Neviani Lyncaeus nuper tradidit Pontificiae Academiae Scientiarum historicam Notam, in qua agitur de rara editione operis Ovidii Montalbani, cui titulus:

Curae | Analyticae | Aliquot Naturalium Observationum | Aldrovandicas | Circa Historias | Ovidii Montalbani | Phil. Med. etc. I. C. Bononien. | Collegiorum omnium Doctorum Decani, | atque Lecto-

ris Emeriti. | Praeclarissimis, atq. Eruditissimis | D.D. Doctoribus Illustriss. Collegiorum | Philosophiae, ac Medicinae eiusdem Civitatis Dicatae. | Bononiae Typis Io. Baptista Feronij 1671.

Quum Nevianus in sua Nota demonstrat quanti momenti sit parvus hic liber in studiis Aldrovandianis perficiendis, ei opportum videtur in doctrinae bonum iterum opus praelo dari, imo zynchographice, i. e. «in facsimili» reproduci.

**DE SOCIETATE ITALICA AD PROGRESSUM DISCIPLINARUM PROMOVENDUM.**

Ex relatione quam edidit Secretarius Societatis Italicae, cuius finis est progressus disciplinarum, libenter haec deducimus.

Societas, quae a viginti et septem annis constituta est, numerat sociorum prope quatuor millia.

Conventus generales ab ea promoti fuerunt viginti et duo; in annis enim in quibus bellum saevit conventus non sunt habiti.

Anno nuper elapso socii Barium ad urbem convenere. Viginti sapientiae sectiones, quas Societas complectitur, conventus participes fuerunt cum quadringentis et triginta quinque studiorum speciminibus.

Omnia haec publici iuris fient praelo vulgata, tribusque voluminibus dispartita per tres classes quibus sectiones distributae fuerunt, praelo volumen quod orationibus in conventu habitis et conventus ipsius relatione constabit.

Ex quibus clare patet quam bene Societas haec finibus sibi propositis respondeat, et quam efficaces impulsus scientiae progressui adiecerit.

Duo sunt in quibus temerarium iudicium cavere debemus: quam incertum est quo animo quid factum sit, vel incertum est qualis futurus sit qui nunc bonus vel malus appareat.

S. AUGUSTINUS.

**HORAE SUBSECIVAE**

**ADAGIA**

*Frangar, non flectar, turris vel roboris instar.*

◊

*Flectar, non frangar, chalybis par, inde resurgam.*

◊

*Frons coram uno prona Deo, mortalibus alta.*

◊

*Quam semel ignosci, decies ignoscere malo.*

◊

*Expetito rarus veniam, semperque datus.*

◊

*Unguis ac rostro minime iuvat ala carentes.*

◊

*Dignior, indignis dignus qui spernitur, exit.*

◊

*Nil gravius miseris, quam se meminisse beatos.*

◊

*Nil meliore boni petor, nil acrior hostis.*

◊

*Discipulus tristis, nequiens praestare magistro.*

I. FAV.

**COLLOQUIA LATINA**

**IX.**

**Amissus et promissus liber<sup>1</sup>**

ULDERICUS, OTHO.

ULDERICUS. – Quid vult hic fletus?  
OTHO. – Amisi librum.

ULD. – Quem?

OTH. – Ciceronis epistolam.

ULD. – In scholane?

OTH. – In schola.

ULD. – Quo tempore?

OTH. – Hac ipsa die, ante prandium:  
quum enim, dato signo, discedendum esset

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Pro gymnasista latinitatis*. - Passim retractavit hodierisque moribus aptavit I. F.

domum, egoque libellos meos colligerem, hunc non inveni.

ULD. - Quaesivistine apud vicinos?

OTh. - Ac diligentissime. Respondent omnes se esse extra noxiā, nec habere, nec scire quis habeat.

ULD. - Non tu ad gymnasii custodem?

OTh. - Immo; sed dixit ut se appellarem denuo post meridiem.

ULD. - Appella.

OTh. - Despero me recuperaturum.

ULD. - Alias alii suos amiserunt.

OTh. - Sic est? Ac recuperarunt?

ULD. - Evidem non omnes. Et heu! qui non, quod rem suam male custodiscent, domi a parentibus vapularunt liberaliter!

OTh. - Et ipse, si hodie librum meum non recepero, certiores eos faciam oportet, qui pro hoc malo mihi dabunt malum.

ULD. - Iuvabo te in quaeritando Cicerone tuo; si non inveneris, est mihi aliquanto tristius exemplar eiusdem; id dabo tibi proprium.

OTh. - Si non simulate promisisti, porrigere dexteram.

ULD. - En.

OTh. - Effudisti aquam; rediit animus, et cura omnis e corde excessit.

ULD. - Laetus sum quod te tranquilliavi. Vae autem illi, qui se huius furti adstrinxit; nam et librum minime retinebit, et uberior quam tu plorabit.

OTh. - Furem hunc mihi dari in conspectum gestio: coram in os laudarem ipsum, et... capillos ei concinderem.

## ANNALES

### Post caedem Vindobonensem.

Austriaco cancellario Dolfuss, tam nefarie interempto, Schusschnigg, eius in administranda republika collega, successit, qui sollemniter statim universo orbi

confirmavit firmam Austriae voluntatem de libertate omni ratione servanda. Quod quidem cum omnium consensu re ostendit: non solum enim in caedis auctores summo iure severe actum est, sed in novum ordinem rei publicae administrandae consultum. Praeterea ipse Schusschnigg cancellarius tum cum Hungarorum gubernatoribus, tum cum Mussolini, Italici gubernii moderatore, — qui, ad cautelam, suo tempore ad Austriacos fines copias disposuerat — colloquia habuit, quibus arctiora vincula cum finitimis populis constituerentur.

\* \*

### Nationum societas.

Postquam apud Nationum Societatem diu disceptatum est, formula tandem est inventa plurimis satisfaciens, per quam liceret et Russorum legatum in ipsam societatem admitti. Ingratam quidem admirationem movit Poloniae declaratio, a Societatis Nationum inspectione, contra pactionem a. MCMXIX initam, sese exceptam haberi velle circa cautiones eas, quae protectionem minorum genere et lingua gentium respiciant.

Accepta in societatem et Afganistana natione, sessio conclusa est unanimi Italicorum, Anglorum Gallorumque legatorum professione, quae die xvii superioris mensis februarii pronuntiata sunt de libertate et integritate reipublicae Austriacae necessario servanda, ea vim omnem ex parte sua cuiusque civitatis retinere, communemque voluntatem et actionem in posterum quoque adductura.

\* \*

### Ex Hispania.

In Hispania administratorum a suis munieribus abdicatio ad novum collegium adduxit, praeside Lerroux illo, qui et cum praecedentibus collegis idem gerebat officium; nunc autem gubernii socios ex

« radicalium » factione praesertim de legit. Quum vero viris nonnullis dexterae, quam vocant, partis, cetera munera tradiderit, « socialistarum » et « communistarum » irae exarserunt, qui iunctis viribus opificum omnium ab operibus desertionem indexere. Inde tumultus et vastationes renovantur, in quibus ne sacris templis quidem parciuntur.

POPULICOLA.

## VARIA

**Qui contemnit ac parvi facit alios, in eorum odium incurrit, nec utilitatis quicquam ex hoc contemptu consequitur.<sup>1</sup>**

Summae prudentiae officium aestimo, si a minis iniuriisque abstinere queas, praesertim iis, quae verbis contumeliosis fiunt. Neutrum enim horum, debiliorem hostem tuum efficere potest, quum tandem minae eumdem cautum magis, contumeliae infensum, ferocemque reddant, ac vindictae cupidissimum. Id ita se habere, vel exemplo Veientium constat. Nam quum non solum inferendo bello facerent iniuriam, sed contumelias etiam ac probra insuper ingererent, ita Romanum militem inflamarunt, ut qui pugnam prius detrectaret, contumeliis lassitus, nolentibus ducibus dimicare voluerit. Est autem hoc, vel imprimis observandum sapienti imperatori, ne vel ipse vel sui opprobria in hostem ingerant, aut eum non laedant, sed ad vindicandum inflammat. Videntur enim contumeliae tela esse, quae auctores suos maxime feriant. Memorabile est

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere, cui titulus: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii*, lib. II. — Latine vertit H. Bindi.

huius rei exemplum, quod in Asia accedit, quum Mida a Gabade Persa oppugnaretur. Postquam enim diu urbem obsedit, nec quicquam praestisset, decreverat ab obsidione discedere; sed quum illinc cum exercitu iam castra moturus esset, et oppidani id cognovissent, omnis generis contumelias et opprobria in eum ingerebant. Ob quam causam Gabades iratus, consilium mutavit, et urbem gravius quam unquam obsidens, eam paulo post expugnavit et militibus in praedam concessit. Idem plane Veientibus accedit; qui quum arma populo Romano ferrent, simul ei exprobrabant civiles discordias, et usque ad vallum portasque castrorum accedentes, probra ingerebant. Hisce vero quid aliud effecere, quam quod militum animos, prius adversus patrinos inflammatos, adversus sese concitarunt? Usque adeo scilicet, ut qui prius neque patribus, neque consulibus successum vellent, pro eorum salute postea iurarent atque pugnaverint.

Neque in Republica igitur, neque in bello ferre debent prudentes moderatores huiusmodi contumelias, sive in hostes, sive in cives iactantur. In hostes enim coniectae pariunt ea, quae diximus, incommoda; in cives adeo sunt deteriores, quod non detur talis vindictae ratio inter illos, ut adversus hostes datur. Id observari solitum a populo Romano novimus. Nam quum legiones illae, quae Capuae in hybernis relictae adversus Rempubliam coniurassen, a Valerio Corvinio placarentur, cautum fuit, inter cetera, etiam hoc: ne cuiquam eorum istud unquam opprobrio obici posset.

Tiberius Gracchus servorum quos Respublica ob acceptas ab Annibale clades armare cogebatur, dux electus; statim interdixit ceteris militibus, sub magna poena, ne quisquam iis servitutem exprobaret: usque adeo in id incubuere semper Romani, ne cuiquam contumeliae et convicia

obiicerentur, quod nihil sit quo hominem animi tantopere offendantur, sive ioco, sive serio obiificantur.

Nam, ut ille inquit: Facetiae asperae, quando nimium ex vero traxerunt, acrem sui memoriam relinquunt.

### Monedula.

Captam quidam monedulam, filo alligatum devincto ad pedem illius, donat filiolo suo, cum qua luderet. Illa humanae consuetudinis impatiens, occasionem nacta, in sylvas avolat. Implicito vero filo arboris ramis, quum iam fame sibi moriendum intelligeret: — Me miseram — inquit — et stolidam avem, quae hominum servitutem fugiens, in mortem et exitium me coniecerim!

Fabula indicat homines mediocria mala declinantes in maxima interdum incurare.

### Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

*Promulsis: melo et perna.*

*Pasta regia iuscule madida.*

*Vitulina caro elixa cum faseolis butyro conditis.*

*Pulvilli fungis farti.*

*Gallus indicus veru assus.*

*Gelida varia.*

### Iocosa.

Mater Tuccio:

— Medicamentum hoc purgatorium sorbeas: tibi proderit.

Tuccius:

— Malo ut alteri prosit: dato Mauritio minori fratri.

Tuccius in schola.

Postquam magister diu institit animalium familias, genera, species explicans, Tuccium interrogat:

— Cuius familiae est canis?

— Eia! familiae, quae eum sibi comparavit!

### Aenigmata.

I (vulgo *Rebus*)

neque	neque
-------	-------

II

*Prima novos redeo zephyro referente te-*  
[pores]

*Altera pars limo immundo caecoque vo-*  
[lutor]

*Foedium animal, sed idem praedulcis agre-*  
[stibus esca]

*Totum aures valeo atque animos mollire*  
[feroces]

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) (vulgo *Rebus*): *Ter minus est o triplex: medius, maior, minor; scilicet: Terminus esto triplex: medius, maiorque, minorque;* 2) *Aëra, Aera, Area.*

### Libera a pittaciis responsa.

Rev. F. DRV..., Niagara University, New-York. — Pretrum libell. 60, quod misisti, non unius, sed duorum annorum est; speramus a proposito te recessurum.

Rev. ADMINISTRATORI LOVOLA HIGH SCHOOL, Baltimore. — Si professor ille mortuus est nullaque obitus data est nobis notitia; imo schola ista ALMA ROMA commentarium, qui regulariter singulis mensibus missus est, tamdiu retinuit, ne hodie quidem reddito, nonne tenetur subnotationis pretrum solvere?

Prof. I. JARZ..., Sandomiriae. — Bindi librum, quem a me petiisti, frustra apud bibliopolas requisivi: non amplius in commercio est. Et opusculi nostri, c. t. *Parvum antibarbarum*, nullum iam superest exemplar.

A SECRETIS.

## DE ROBERTI SCOTTI

[30]

### NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

Post prandium ad priora undecim chilometra labente leniter trahea totidem addiderunt, postea stationem diei fecerunt. Ea fuit sexagesima septima mari superior metris viginti quinque et tribus milibus, thermometro nuntiante gradus triginta duos. Praeclarum — inquit — est atque festivum duobus longis itineribus polum nostrum futurum esse. Tota nos arcent chilometra quinquaginta. At hercet enitendum est quanticumque! Angimur nunc unum: fieri posse, ut ibi fluit vento ante nostrum vexillum Norvegorum.

Neque vanum fuisse timorem cognitum est postero die. Quo die profecti mane superaverunt chilometra quatuordecim perventumque erat ad postremi gradus meridionalis punctum quadragesimum secundum. Optime affecti cooperunt postea procedere, ut quibus persuasum esset proximo se die polum capessituros esse. Post secundam horam itineris acutissimis oculis Bowers procul conspicatur, quod primo viae signum esse iudicat. Angebat res, sed ad extremum putat sastrugum esse. Suspensis animis et silentio viri procurrunt, quos una eademque suspicio perculerat. Scotti vehementius palpitare cor et paene dissilire. Post alteram semihoram e regione Bowers rem nigri coloris se dicit discernere, non riveam. Quam recta petentes agnoscent vexillum nigri coloris affixum trahariae perticæ; haud procul conspicantur relictam stationem; animadvertisunt conversa et aversa vestigia trahearum atque pedalium et expressa vestigia multorum canum: intellegunt, quo atrocios nihil potuisset accidere, evenisse:

antevertisse Norvegos, Amundsenum, pri-

mum mortalium omnium, polum antarcticum tetigisse: « Nihil » — inquit Scottus, — « adeo me tangit, quam miserorum adspectus sociorum. Nam cui iam rei tanti nobis exhausti labores? Somniavimus! Cras igitur ad ipsum polum ibitur. Tum, quam velocissime patientur vires, revertendum ». Nihil sane illa nocte accessit somni illis, quos turbaret inventi inventio poli. « Quidquid cooperamus, cogitare, quidquid proferre vocum, absolvebamus hoc tristi: Sero venimus! » Et omnes cum Scotto in tacito tentorio credo horruisse, quoties in mentem venisset redditus.

Postridie mature profecti, quum tredecim chilometra et dimidium processissent, observata est latitudo undenonaginta gradium et quinquaginta trium punctorum et triginta septem scripulorum. Post meridiem duodecim chilometra cum meridiano processerunt flante acriter vento, thermometer exhibente gradus undetriginta. Aer iste gelido refertus est humore, quo paucis horae punctis ossium horret medul'a: « Pau- lum etiam nunc descendimus — inquit Scottus, — sed ante nos videntur acclivia esse. Sed nihil, nihil h̄c subicitur oculis, quod differat a solitudine postremis diebus transita ».

« Pro Deus optime! Ad huncine adnixos horridum locum pro mercede ne id quidem assecutos esse, ut adessemus primi! Sed est tanti tam longe esse progressos. Co- medimus hoile oblii paulisper aegritudinis praepingue ferulum mixtum<sup>1</sup> et singulas chocolati quadras et concessa in-

<sup>1</sup> H. E. ragout.

ter nives et glaciem nihil conspexissent oculis, nihil trivissent pedibus, pedes in solida licuit deponere terra, et quod sibilarent venti. Ante tentorium versari — inquit — atque adeo apricari, tam est insolitum, ut fieri posse denuo debeas experiri.

A. d. IV. Idus ablato sole et oblatis per aquilonem nivibus, quod cursum tenere non poterant, coacti sunt stationem facere, quae fuit vigesima quarta. Eum qui secutus est diem Scottus nominat totius itineris taeterrimum. Nam inciderant in confragosissima vastissimamque glaciem, ex qua tribus horibus modo dextrorum modo sinistrorum emergere conati, cooperant desperare. Detractis pedalibus solo non recipiente vestigia omnes identidem in fissa irruerunt, non tamen magnopere laesis artibus, postrema via versus terram per ingentes voragini exagitat desperatione, non intermisso itinere, vesperi hora decima in tutum et in stationem vigesimam quintam pervenerunt. Postridie mane magno itinere facto circiter meridiem viderunt locum, ubi XV, kal. Ian. pernoctaverant, qua ex re cognoverunt se in via esse. Sed casu longius ad sinistram euntes illati in confragosa taeterrimo loco pernoctarunt.

Idibus Febr. contracto cibo modo properantes in murenae venerunt reliquias, deinde meliore usi via invenerunt glacialis Cellam medium, quae ad radices montis Cloudmaker, h. e. nubiferi vel nubigeni montis, positum erat. Ibi compertum est reliquos socios incolumes praeterisse.

Postridie Idus Febr. Scottus exclamat: « Horrendum sed exploratum est iam neminem nostrum recte iter facere posse. Wilson adhuc dolente crure repudiat pedaliam. Sed pessime agitur cum Evanio. Hodie mane casu detexit ulcus pedis et in via identidem postulavit, ut accommodaremus aculeata ferramenta; rem longae morae ». Et tertio die post: « Vehementer, inquit, perturbamur; nam Evanius noster

videtur delirare. Totus mutatus est homo, alias virtutis suae sibi conscius, ridiculis de causis nos et ante meridiem et post saepius iussit consistere ». Neque mirum in eo, qui postero die esset moriturus. Nam Evanius, qui post altiore somnum melius se videretur habere, interrogatus de valetudine, quod solebat, bene sibi esse respondit. Iunctus traheae procedere coepit cum sociis, sed post dimidiā horam deponere coactus est pedaliam et solvi se cupiebat. Ceteri horam fere procedunt per mollem et adhaerentem pedibus nivem, Evanius tarde subsequitur. Post alteram semihoram iterum subsistit et a Bowers petit tonicem. Scottus hortatur, ut fortiter sequatur, quod ille se pollicetur facturum. Postea quum ad quoddam ventum saxum esset, neque usquam Evanius videretur, Scottus expediri iussit tentorium. Infusa thea longe abesse conspicati sunt, et celerime pedalibus ad eum properant. Scottus, qui primus ad eum venerat, adspectu obstipuit: Aperta veste ruerat in genua, nude manus perustae frigore erant, torvi oculi. Interrogatus, quid fieret, haesitans respondit nescire se, quid secum actum esset; putare se parumper defecisse animo. Erectus post unum et alterum passum iterum concidit. Arcessita trahea vehitur in tentorium, ubi somno oppressus est, ex quo amplius non evigilavit. Post medium noctem, dimidia prima hora secura mors est. « Lugubris nobis certe talis socii exitus, — inquit Scottus, — sed recte deliberantibus fatendum erit opportune sic accidisse. Nam iter per se laboriosum cum graviter aegrotante continuare desperata fuisset res ». Hora noctis prima, collectis vasis, per compressam glaciem delapsi, pervenient in cellam glacialis.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.  
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

# ALMA ROMA

QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

*Nuperrime prodit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mille-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulæ pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMÆ collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 475 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 950, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMÆ** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXI

Romae, Mense Novembri MCMXXXIV

Fasc. XI

# ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXIV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; *ante solvendum rectoque tramite* mittendum ad Iosephum Fornari doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96*.

### DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA<sup>1</sup>


Rei romanae historicis lineamentis adumbratis, quae Romani iuris fontes fuerint obiter adspicere iuvat, quippe qui sint et italice iuris civilis fontes. Quos ab origine repetere liceat, ab illis, inquam, quae *Leges regiae* nobis traditae sunt. De quibus disputant adhuc utrum regibus tribuendae sint; et quidem datas fuisse a regibus leges quasdam quis dubitet? Eas vero fuisse quae vulgo feruntur nomine regio, eademque prorsus forma, qua novissime datae nobis sunt, easve rogatas a populo fuisse et ab eo rege promulgatas cui tribuuntur, quis crediderit? Non tamen improbaverim si quis dixerit has leges referre vetustissimas traditiones et certas quasdam leges, et etiam iis de rebus, quae legibus regiis cauentur, a regibus, scilicet aetate regia, latae fuisse.

Idem sentio de *Iure Papiriano*, quod fertur, tamen sine fundamento, collectio-nem iuris regii fuisse a nescio quonam Papirio concinnatam.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

In Republica maxima eaque nobilissima legum pars edita fuit; quarum omnium prima *Lex XII tabularum*. Hanc latam fuisse revera circa medium saecu-lum III a. Ch. n. teneo; latam, inquam, calatis comitiis, interrogante magistratu, iubente populo, auctoritatem dante senatu, ita ut primus omnium codex publici pri-vatique iuris esset; tantaque in aestima-tione, ut memoriae iussa fuerit vel primis in puerorum ludis, ex eaque, interpre-tatione doctrinæ et cumprimis fori, totum fere ius civile manaverit.

De eadem nullo non tempore praestan-tissimi iuris periti interpretationes et com-mentaria exornaverunt, ut L. Acilius Sa-piens, Serv. Sulpicius Rufus, M. Antistius Labeo, Gaius denique elegantissimus; eam alii in sua inseruere systemata, ut S. Aelius Paetus, Masurius Sabinus; quin non iuris-periti modo, sed et rhetores de eadem, quasi de litterarum monumento vetusto, disseruerunt copiose, ut Aelius Stilo, Ter-entius Varro, omnium eruditissimus, Valerius Messala, C. Aelius Gallus, Verrius Flaccus, S. Pompeius Festus. Quorum ex operibus legis fragmenta decerpta, iam inde ab humanis renascentibus litteris, saec. XII, in unitatem restitui coepa sunt; qua in re eminent Balduinus gallus



(saec. xvi), Gothofredus germanus (saeculo xvi), Gravina italus (saec. xvii), multoque felicius Dirksen, Schoell, Voigt, germanici omnes superioris saeculi xviii. Nobis vero heic adnotare sufficiat, non sine causa affirmari posse ius universum romanum quasi in cunis illic inveniri: ius processuale (tab. I-III); ius civile (de iure familiae, tab. IV; de tutelis deque hereditatibus, tab. V; de rerum dominio, de possessione deque iure in re aliena, tab. VI et VII; de tutela iuris privati, tab. VIII); ius publicum poenarum (tab. IX); ius funerum (tab. X); varia addenda (tab. XI et XII); ita ut commentarium in legem XII tabularum optima haberi possit in ius romanum universum introductio.

Non paucae postea latae sunt leges in Republica de publico privatoque iure, quas heic omnes recensere longum est; praeteriri tamen non possunt lex Valeria Horatia de provocatione, lex Iulia Papiria de multarum aestimatione; lex Manlia de vicesima manumissionum; leges Publilia Philonia et lex Hortensia de plebiscitis. Sed inter omnes permagni nostra intersunt lex Licinia Sextia (a. 387 ab U. c., 366 a. Ch. n.), qua ante leges XII tabularum institutus fuit praetor; lex Canuleia de connubio (a. 309 a. Ch. n.), quae paulo editam post XII tab. legem connubia aperuit patres inter et plebem; lex Poetelia Papiria de nexis, quae taeterrimum nexum sustulit (a. 325 a. Ch. n.); lex Aquilia (a. 285 a. Ch. n.) de culpa extra contractum praestanda, quae dudum obtinet, nihil fere mutata, vim apud omnes gentes.

Duodecim tabularum lege edita, ius e latebris secretis Pontificum deduci visum est; deductumque est plane postquam Cn. Flavius, Appii Claudi illius coeci libertus, publici iuris fecisse fertur *Legis actiones* et Kalendarium, iv exeunte, vel iii ineunte saeculo a. Ch. n.; eoque magis postquam Tib. Coruncanius (circiter a. 254 a. Ch. n.) coepit ius publice profi-

teri. Hac aetate omnia renovantur, evolvuntur, novis rebus aptantur; novi magistratus exoriuntur, maiores et minores, cum imperio, cum potestate; ampliantur comitia; senatus fit in dies validior usque ad Sullam, dein declinat: leges fere cedunt senatusconsultis et edictis magistratum. Quo expeditiora fiant iudicia, datur praetori potestas alias concedendi, praeter actiones legis, *actiones*, quae inde *praetoriae* dictae sunt, quasque praetor concedebat per formulas. Itaque « procedura formularis » maxime viguit, maximeque contulit iuri civili evolvendo.

Igitur hac aetate (a saec. iii a. Ch. n. ad Imperium) omnes iam fontes iuris pullulant, qui sunt: *Consuetudines*, *Leges*, *Plebiscita*, *Edicta magistratum*, *Respona prudentum*, *Senatusconsulta*; quibus per Imperium, maxime post Diocletianum, accessere ac tandem preevaluere *Placita principum*.

*Consuetudo* habita semper est fons iuris et optima legum interpres, nihilominus eo magis declinat quo magis virent ceteri fontes.

*Leges* et *Plebiscita* antea distincta, postquam plebi paria iura concessa sunt ac patribus, non iam distinguuntur; at, licet numero crescant, tamen de uno fere iure publico iubent, nonnullae tantum de iure privato; saec., contra, i ante Ch. n. et saec. i post Ch. n., non paucae, auctore Caesare vel etiam Augusto, latae sunt leges de iure privato, ut *lex Iulia* de pecuniis mutuis, a Caesare lata, *lex Iulia* de adulteriis coercendis et de pudicitia, atque *lex Iulia* et *Papia Poppaea*, quas tulit Augustus ad fundos dotales tuendos, ad mores domesticos purgandos; praeterea *lex Falcidia* de parte heredibus legitimis servanda; *lex Aelia Sentia* de coercenda manumissione servorum; *lex Iunia Norbana* de manumissis deque latinis Iunianis.

*Senatusconsulta*, dilabentibus comitiis,

maxime sub Reipublicae finem convalescunt et paene ceteros fontes substituunt: saec. i ante et i post Ch. n. sunt fere fons unicus. Notissima sunt *Velleianum* de vetita intercessione mulierum; *Trebellianum* de actionibus pro et contra fideicommissarium; *Macedonianum* de non mutuanda filiis familiarum pecunia; *Iumentanum* de petenda hereditate.

*Edicta magistratum* ex se vim legis non habebant; facto autem edictum praetorium maxime valuit, eo quod praetor esset magistratus cum imperio; idque potissimum postquam ex *lege Abuta* praetor formulas dare coepit. Ita formula, qua actiones exceptionesque dabantur, existit nobilissimus fons iuris. Praetor magistratum iniens dabat edictum, praeannuntians quanam ratione suo esset munere functurum; id autem fiebat ut plerumque praetor sequeretur edictum antecessoris: ita, labentibus annis, crevit ius hoc quasi tralaticium. Ex omnium praetorum edictis, Salvius Julianus, Romae praetor a. 131 p. Ch. n., iussu Hadriani imperatoris, concinnavit *Edictum perpetuum*, quod scilicet mutari iam non posset: id non minus hoc tempore valuit quam, suo, lex XII tabularum.

*Respona Prudentum* et *Constitutiones Principum* maximo in honore fuerunt aetate Imperii. Tum, ut interna civitatis constitutio sensim evolvitur, evolvuntur pariter una simul constituendi iuris cognoscendique fontes; non uno quidem momento, sed veluti per gradus; dixeris pondere ipso rerum: organa reipublicae paullatim, quasi senectute confecti, exarescunt, aut convenient in unum Principem. Atque tamen Augustus recusare id videtur; nam die 13 Ianuarii a. 27 a. Ch. n., imperium maius super provinciis universalis transfert ex sua potestate in senatus populi romani arbitrium; simplex magistratus reipublicae, consul, par collegae esse vult, aut velle videtur. Sed ecce Se-

natus Populusque Romanus lata lege novum eidem confert imperium cum supra vigilancia (*prostasia*) in administrationem rei publicae; quumque, a. 23 a. Ch. n., consulatum dimittit, novi eidem conferuntur honores: tribunicia potestas ad vitam, imperium proconsulare etiam intra pomerium; per illam fit sacrosanctus, ius auxilii obtinet, coercitionem, ius agendi cum populo; uno verbo, administrationem rei publicae omnem, ita ut intercedere quidem ipse adversus quoslibet, nemo tamen adversus ipsum possit. Praeterea iam obtinuerat designationem cuiuslibet ad honores, ius belli et pacis; omnia denique nullis definita limitibus; et postea, a. 23 a. Ch. n., convocationem Patrum extra ordinem, dictaturam si quando voluerit, curam annonae, imperium consolare ad consulendum censui et electioni senatus. Specie quidem, et ex apicibus iuris Respublica stare videatur; re autem vera iam monarchicum extitisse imperium dixeris, quippe non utrique consuli, sed uni Augusto collata haec, quamvis extra ordinem, sunt. Appellata est haec regiminis forma *dyarchia*, ut si imperii duo simul participes essent, Senatus et Augustus, sed specie tenus Augustus omnia obtinet a Senato Populoque Romano, unde nulla in eodem *archia*; re autem omnia ipse unus potest et agit, unde archia nulla in Senatu Populoque Romano. Ipse videtur, adfectat et praedicatur restaurare rempublicam; atqui ipse unus videt quo contendit, eo scilicet ut numquam respublica redeat. Itaque Patrum numerum ad 600 coarctat, Princeps iam arbiter est et dominus publicae rei; nomen, *Imperator*, haec omnia simul, et iura et praerogativas, et privilegia et imperia, sive ex ordine, sive extra ordinem, significat; quamobrem postea non singillatim et successive, sed per unam legem Principi conferri possint quae dicetur *Lex de imperio*,

et ita claudetur: « Utique quaecumque ex usu reipublicae maiestateque divinarum, humanarum, publicarum privatuarumque rerum esse censebit, ei agere, facere, ius potestasque sit ». Cum Domitiano (81-96 p. Ch. n.) haec potestas plane ordinaria et exclusiva fiet; tum, Severorum aetate, aperte dicetur: « Princeps legibus solutus est », et: « Quod principi placuit legis habet vigorem ».

Qua in rerum condicione quorsum iam comitia? Non magistratibus creandis, non legibus iubendis; illos creat, has dat Imperator. Itaque legibus ferendis comitia bene multas nobilesque leges iusserunt: id enim voluit Augustus ipse, quasi ad eadem honeste sepienda; sed post Nervam (a. 98 p. Ch. n.) nulla iam lex fertur comitialis, non iam habetur Senatus Populusque Romanus; populus abest; superest, nomine saltem, unus Senatus et Princeps; sed Senatus vivit ad beneplacitum Principis; cum Augusto amittit provincias; cum Nerone etiam aerarium populi romani, cui praestet praefectus (utique ab Imperatore) aerarii Saturnii; magistratus non iam creat, sed « commendat »; quod ad ius condendum attinet, nihil iam aliud praestat, quam probat « orationes » Principis. Ex magistratibus autem reipublicae non stat nisi forte Praetor, usque ad Hadrianum saltem; imperii autem munera iam Imperator expedit per suos « officiales », qui non ut magistratus republicani annui et sine stipendio ac definito numero, stabiles sunt; at stipendia, eaque lautiora, percipiunt legati, praefecti, procuratores, curatores. Eminent Praefecti praetorio,<sup>1</sup> potentissimi in re primum militari, dein etiam civili; Praefectus Urbi, ad quam omnis ferme transit res criminalis; Prae-

fectus annonae; Praefectus vigilum.<sup>1</sup> Nomen, et veneranda memoria stant, veri tituli sine re, veteres republicanis magistratus; consules nullum iam habent imperium domi, quod cessit Principi et Praefecto Urbi; nullum imperium militiae, quod cessit Principi et Praefecto militum: *quaestiones perpetuae* obsolescent quo magis Imperator criminalem usurpat iurisdictionem; praetori urbano subripuntur causae quas Princeps cognoscere velit « extra ordinem »; aediles cedunt praefectui annonae variisque curatoribus; tribuni denique plebis plane evanescunt.

Provinciae, iam sub Augusto, exceptis Sicilia, Sardinia, Illyrico, Asia, Africa, Bithynia, quae tranquilliores sunt et a Senatu retinentur, cedunt identidem Imperatori; qui tamen et in senatoriis provinciis sese permiscet, mittens legatum si quando res, copias et procuratores Augusti, si quando expedit invigilare quae-stores quod ad oeconomiam administrationem provinciae. At saeculo III distinctio evanuit; omnes enim provinciae imperiales fiunt; nec sine provincialium laetitia, qui relevati ita nonnihil sunt publicanorum rapaci atque insatiata avaritia.

Romanum nomen iam in Republica latissime viguisse vidimus, ab Oriente ad Occidentem solem; Imperium fines tueri quam dilatare videtur; tueri autem vix aut ne vix quidem potest usque ad saec. III; postea vero nequaquam. Sed vita oeconomica romana tum attigit culmen; ex Urbe, ex Italia, ad omnes romani orbis partes romani meant italique mercatores; ad Italiam, ad Urbem opulentissimam mercatores, opifices undique non iam exteri, sed cives confluunt; in locum succedunt patrum, divitiis quasi generi et sanguini praevalentibus; ad senatorium ordinem

<sup>1</sup> Praetorium erat militum agmen tuendae decorandae sacrae Imperatoris personae.

<sup>1</sup> Vigiles erant custodes publicae in urbe disciplinae.

accedi potest divitiis et latifundis; equestri autem vel libertus accedit, dummodo saltem 400 mill. sextert. census sit; exercitus denique vel barbaris patet. At exinde infirmatur anima romana; declinant primum mores et litterae et artes et ipsa ethnica religio, quae in pantheismum quoddam vel in agnosticismum prolabitur; postea etiam iura, denique civile aedificium corrut. Morum ruinae obsistere conantur philosophi, inter quos nobilissimi Stoici; quod vero Stoici praestare non potuerunt, praestitit Christi religio, quae saec. I ex Oriente Romam appulsa, statim in populo late virescit moresque innovavit aut sanavit non rudium modo, sed et eruditorum, et sapientum, et publico rum hominum, et imperialium officialium, saec. II et III, eoque magis saec. IV, quem liberius agere potuit; influxum enim quem antea nonnisi indirekte et occulte, nunc iam et directe et palam, quamvis cautissime, exercet.

(*Ad proximum numerum*)

SYLVIA ROMANI.

## DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

### De propositionibus eleganter usur-pandis.

#### § I. - De propositionibus completivis.

I. - Quamvis una propositio completa saepe pro altera ponи possit,<sup>2</sup> tamen sensus non raro diversus est, pro diversitate propositionum.

<sup>1</sup> Cf. fasc. sup.

<sup>2</sup> Sic: a) post *iubeo* et *veto* sequi potest propositio infinita vel coniunctiva cum *ut* vel *ne*; v. g.: *Militem exire e castris iussit* - *Vetuit legatos*

Sic:

1º multa verba quae cum *ut* con-struuntur, saepe etiam accusativum cum infinitivo admittunt, et vice versa; eo ta-men discriminare, quod propositione infinitiva exprimitur obiectum actionis verbi praecedentis; et coniunctione *ut* praete-re indicatur hoc obiectum intendi tan-quam actionis effectum sive finem; v. g.:

ab urbe *discedere* - Hic tibi in mentem non venit *iubere* ut haec quoque referret (Cic., *Verr.*, IV, 12).

N. B. - Nefas est dicere: *Iubeo tibi* ut facias; *iubeo tibi* facere.

b) *Quominus* poni potest loco *ne*, post omnia verba *impediendi* vel *prohibendi*; v. g.: Quid *obstat quominus* Iupiter sit beatus, si non sit bi-pes? (Cic., *De Nat. deor.* I, 34). - Parmenio, quum audisset venenum a Philippo medico regi parari, *detergere* eum voluit epistola scripta *quominus* medicamentum biberet (Q. C., VI, 10). - Hiemem credo adhuc *prohibuisse quominus* de te certum haberemus quid ageres (Cic., *Fam.*, XII, 5).

N. B. - Pro *quominus* vel *quin* cum coniunctivo, post *impedio* et *prohibeo*, ponitur frequenter infinitivus; v. g. Quid est quod *me impedit* ea quae mihi probabilia videantur, sequi? (Cic., *De Off.*, II, 2). - *Prohibentur parentes adire* ad filios (Cic., *Verr.*, V, 45).

Praeterea, loco propositionis completivae, usur-patur saepe:

a) vel infinitivus; v. g.: *Caius vult studere* - *Caius vult se studere* - *Caius vult ut studeat* (Cf. GANDINO, *Lo stile latino*, VIII, 3, 9).

N. B. - Infinitivus usurpatur plerumque, si verbum primarium sit verbum « *volo* » et simul idem sit nominativus verbi primarii et verbi infiniti; v. g.: *Volo esse clemens* (= *volo ego me esse clementem*).

Post verba infinitivum admittentia raro usur-patur *ut*, si idem utriusque verbi est nominativus.

Raro contra, pro *ut*, ponitur infinitivus, si utriusque verbi nominativus est diversus.

Post verba *sentiendi* et *declarandi* semper se-quitur propositio infinitiva; tamen, post *spero* et *polliceor* sequi potest simplex infinitivus praesentis, si praesens pro futuro usurpetur; v. g.: *Magnitudine poenae reliquos detergere sperans* (CAES.).

b) vel propositio non completiva; v. g.: *Ex-spectatis dum respondeam* (= *propos. tempor.*); *exspectatis ut respondeam* (= *propos. completiva*).

*Moneo te hoc falsum esse* (En simpli-  
citer monitionis obiectum);

*Moneo te ut mature surgas* (En obiectum quod simul intenditur ut monitionis effectus).

2º) valde affines sunt completivae in « *ut* » et completivae in « *quod* ». Attamen « *quod* » peculiari modo indicat nos advertere ad rem eis quibus loquimur notam;<sup>1</sup> v. g.:

*Accidit ut moreretur.*

*Commode accidit quod mortuus est.*

Est consuetudo Siculorum, *quod* suos dies mensesque congruere *volunt* cum solis lunaeque ratione (Cic., *Verr.*, II, 52).

*Vetus est lex amicitiae, ut idem amici semper velint* (Cic.).

II. – Reticetur quandoque, diversas ob causas,<sup>2</sup> accusativus infiniti. Voces vero

<sup>1</sup> a) Completiva cum « *quod* » ponit quoque potest pro accusativo cum infinito; v. g.: *Pergratum est mihi quod tam diligenter libros avunculi mei lectitas* (PLIN., *Ep.*, III, 5) — Quum scripsisset *quod me cuperet* ad urbem venire (Cic., *Attic.*, 4).

b) Completiva « *ut* » vel « *ne* » et completiva cum « *quod* » saepe demonstrativo praenunciantur; v. g.: *Nec vero id effici posse confido, ut omnes adulescentes se ad haec studia convertant* (Cic., *De divinitat.*, 2, § 5). — *Id te movet, quod necesse est mori.*

N. B. - 1) Demonstrativum iungi potest substantivo; v. g.: *Tibi idem consilii do quod mihi met ipsi: ut vitimus oculos hominum* (Cic.) — *Hoc praeceptum officii diligenter tenendum est: ne quem unquam innocentem iudicio capitis arcessas* (Cic., *De Offic.*, II, 14, 51). — Mihi quidem videntur homines *hac re maxime bestiis praestare, quod loqui possunt* (Cic., *De inv.*, I, 4).

2) « *Quod* » raro ponitur loco propositionis infinitivae vel pro *ut* cum coniunctivo.

<sup>2</sup> a) Sic interdum, ante infinitum, supprimitur accusativus pronominis in propositione praecedenti iam expressus; v. g.: *Puderet me dicere (me) non intelligere* (Cic., *De Nat. deor.*, I, 39). — *Dicturum te esse audio (te) quaestorem illius fuisse* (Cic., *Div. in Verrem*, 18).

N. B. - Etiam, sed raro, quum minime fuit expressus accusativus; v. g.: *Confiteatur (se) huc ea spe venisse* (Cic., *Pro Rosc. Am.*, 22).

declinabiles quae ad accusativum referuntur, accusativi efferuntur; v. g.:

Licet opera prodesse multis beneficia (aliquem) *potentem* (Cic., *De Off.*, II, 19).

Ad virtutem non est satis (aliquem) vivere *obedientem* legibus populorum.

*Praestat* (aliquem) honeste vivere quam honeste *natum esse*.

*Consulem* (aliquem) fieri magnificentum est.

III. - Cum verbis impersonalibus « *dicit, oportet, expedit...* etc. » et dictionibus compositis, « *necesse est, utile est, turpe est, mos est* » et similibus, si sequatur infinitus cum regimine seu obiecto directo, fere activa passivis permittantur;<sup>1</sup> v. g.:

*Quos ferro trucidari oportebat*, eos nondum voce vulnero (Cic., *Cat.*).

*Utile est reipublicae redimi a servitute captos* (Cic.).

*Mos est Athenis laudari* in concione eos qui sint in paelio interficti (Cic.).

b) Post *sentiendi* ac *declarandi* verba, poëtae, raro quidem, ante infinitivum, more graeco, nominativum usurpant pro accusativo, si idem est nominativus verbi finiti praecedens; v. g.: *Phaselus ille, quem videtis, hospites, ait fuisse navium celerrimus* (CATUL., 4). — *Sensit medios lapsus in hostes* (VERG., *Aen.*, II, 377). — *Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus* (HOR., *Ep.*, I, 7). — *Retulit Atax esse Iovis pronepos* (Ov., *Metam.*, XIII, 141).

<sup>1</sup> a) Quum regimen directum verbi infiniti non definitur, seu non est « determinatum », ut aiunt, usurpatur vel infinitivus activus vel accusativus cum infinito passivo; v. g.: *Licet hoc facere, licet hoc fieri*. — *Ex malis eligere minima oportet, eligi minima oportet.*

b) Cum verbis voluntatis, quando non exprimitur persona cui res mandatur aut prohibetur, si verbum infinitum regimine directo instructum sit, activa passivis permittantur; v. g.: *Arma expediti iussit* (CAES.) — *Vetuit castra vallo muniri* — *Nonne hunc in vincula duci, nonne ad mortem rapi imperabis?* (Cic., *Cat.*, I, 11).

N. B. - Si verbum infinitum regimine directo caret, plerumque voce activa effertur; v. g.: *Lex rete facere iubet, vetat delinquere* (Cic.).

IV. — Quum propositio infinitiva pendet a verbo passivo, accusativus infiniti fere in nominativum verbi passivi migrat, praesertim « *dicor, putor...* etc. »;<sup>1</sup> v. g.:

*Concursus dicitur* a tota Graecia *factus esse* (Cic., *De opt. gen. or.*, 7, 22).

*Adesse equites nuntiabantur* (CAES., *De Bel. civ.*, I, 14, 1).

*Cervi dicuntur diutissime vivere.*

V. — In propositione infinita, quum futurum est usurpandum, infinitivi « *velle, nolle, posse* » futuri sensum habent;<sup>2</sup> v. g.:

*Galliae sese potiri posse sperat* (CAES.).

*Spes est* hunc infelicem aliquando tandem *posse* consistere (Cic., *Ad Quint.*, 30).

VI. — Si post verba « *dicendi, affirmandi, imperandi* », sequatur propositio infinita negativa, negatio afficit ipsum

<sup>1</sup> Haec syntaxis semper servatur cum verbis « *videri (paraitre), iubere, vetare, prohibere* »; plerumque, cum verbis « *existimare, putare, tradere, dicere* » — (Cf. RAGON, *Gram. lat.*, nn. 445 ad 451).

N. B. - Attamen, raro servatur: a) quum verbum est forma composita ex participio vel gerundio et « *sum* »; v. g.: *Traditum est Homerum caecum fuisse* (Cic.). — b) quum « *traditur, dicitur* » indicat sententiam quorumdam tantum, ut philosophorum, scriptorum... etc.; v. g.: *Non sine causa dicitur* ad officia referri omnes nostras cogitationes (Cic.).

<sup>2</sup> a) Cum verbis *sperandi, promittendi, minandi*, verbum propositionis infinitae plerumque futuro effertur; v. g.: *Sperabat propediem magnas copias sese habiturum* (SALL., *Cat.*, 56). — *Pollucetur L. Piso censor sese iturum ad Caesarem* (CAES., *De Bel. civ.*, I, 3). — *Minabar me abiturum.*

b) *Spero, spem habeo...* etc. habent post se infinitum praesentem, quum sensus futuri ipsi verbo inest; v. g.: *Sperabam tuum adventum appropinquare* (Cic., *Fam. IX*, 6, 3); — quum *spero* sensum *cendi* habet; v. g.: *Spero* (= censeo) nostram amicitiam non *egere* testibus (Cic., *Fam.*, II, 2); — quum res sperata fieri iam incipit; v. g.: *Magna me spes tenet* bene mihi *evenire* quod mittar ad mortem (Cic., *Tusc.*, I, 41, 97).

N. B. - Possunt construi cum perfecto, quum sermo est de re praeterita; v. g.: *Spero, tibi me causam probasse.*

verbum primarium, quod convertitur in « *nego* » aut « *veto* »;<sup>1</sup> v. g.:

*Hoc negas te posse* (= dicis te non posse) nec approbare nec improbare (Cic., *Academ.*, II, 30).

*Rationes a te collectae me vetant difidere* (= me iubent non diffidere) (Cic., *Fam.*, V, 13).

VII. — Reticetur « *ut* » frequenter post verba *volo, nolo, malo, precor*, et alia quaedam; et fere semper post *quaeso, oportet, necesse est, licet*, et post imperativos *fac, sine*; v. g.:

*Tu velim tuam et Tulliae valetudinem cures* (Cic., *Fam.*, XIV, 9).

*Malo me fortunae poeniteat, quam victoriae pudeat* (Q. C., IV, 13).

*Ex rerum cognitione efflorescat oportet oratio* (Cic., *De Or.*, 46).

*Virtus necesse est vitium aspernetur atque oderit* (Cic.).

*Tu fac in augenda gloria te ipsum vincas* (Cic., *Fam.*, XII, 7).

*Sine te hoc exorem* (TER., *Andr.*, V, 3).

VIII. — « *Quin* » ponitur pro « *ut non* » post propositiones negativas quascumque, imprimis tamen si construantur cum verbis « *dubito, possum et abest* »;<sup>3</sup> v. g.:

<sup>1</sup> a) Haec conversio raro negligitur.

<sup>2</sup> b) Post *nego* et *veto*, dicitur *quisquam, ullus pro nemo, nullus*; v. g.: Democritus negat sine furore quemquam poëtam magnum esse posse (Cic.). — *Nego in Sicilia tota ullum argenteum vas fuisse quin Verres abstulerit* (Cic., *Verr.*).

<sup>3</sup> c) Si post propositionem infinitam quae pendet a verbo negativo, altera sequatur quae pendeat a verbo affirmativo, hoc reticeri poterit; v. g.: *Negant Caesarem in conditione mansurum postulataque* (dicunt) ab eo *interposita esse...* (Cic., *Att.*, VII, 15).

<sup>2</sup> a) *Non dubito*, quum significat *non haesito*, infinitivum regit; v. g.: *Non dubitat Lentulum vinculis mandare* (Cic., *Cat.*, IV, 5).

<sup>2</sup> b) Pro coniunctione *quin*, post *non dubito* raro sequitur accusativus cum infinito.

<sup>2</sup> c) *Etiam* quum significat *non haesito, non dubito* assumit quandoque *quin*.

<sup>3</sup> *Quin* ponitur praeterea pro *qui, quae, quod*

*Non dubito quin probaturus sim vobis defensionem meam* (Cic., *Pro Mil.*, 4).

*Non possum quin exclamem* (Cic., *De Or.*, 2, 10).

*Deesse mihi nolui quin te admonerem* (Cic., *Fam.* V, 12).

IX. - *Propositio interrogativa cum « cur » aut « quare » fere usurpat post rationem dicere, requirere... etc., expresso aut saepius omissio substantivo: v. g.:*

*Admirans requirebat cur ita faceret* (Cic., *De nat. Deorum*, 22).

*Permulta sunt quae dici possunt quare intelligatur...* (Cic., *Pro Roscio Am.*, 33).

*Aristoteles rationem cur ita fiat afferat* (Cic.).

*non, praecipue post nemo est, nihil est, quis est, et similia; v. g.: Nemo tam ferus fuit, quin Alcibiadis casum deplorari (C. N., *Alc.*, 6). - Nil tam difficile est, quin quaerendo investigari possit (TER., *Heaut.*, IV, 1). - Quis est omnium his moribus, quin divitiis et sumptibus, non probitate neque industria, cum maioribus suis contendat?* (SALL., *Iug.*, 4).

*N. B. - Quin legitur etiam positum pro accusativo relativi *quod non*; at raro, quia facilius est relativi uti; v. g.: Nego in Sicilia quidquam esse quin Verres conquiserit (Cic., *Verr.*, IV, 1).*

*b) Pro quin legitur interdum *ut non*. (Gallico sermone = sans); v. g.: Potest igitur, iudices, L. Cornelius damnari, *ut non* C. Marii factum condemnatur? (Cic., *Pro Balb.*, 20). - Ruere illa non possunt, *ut haec non eodem labefacta motu* contendant (Cic., *Pro leg. Man.*, 7).*

*c) Post sententiam negativam et *quin*, potest sequi tertia negatio, v. g.: Non dubito *quin* defensionem negligentiae vitare atque effugere non possim (Cic., *Verr.*, I, 40).*

*d) Demum, *quin* potest esse excitandi et interrogandi particula, quae significat *cur non*, et vel indicativo copulatur, vel imperativo; v. g.: *Quin concendimus equos?* (T. L. I, 57). - *Quin continetis vocem, indicem stultitiae vestrae?* (Cic., *Pro C. Rab.*, 6). - *Quin dic statim?* - *Quin sic attendite, iudices?* - *Quin experiamur?**

*N. B. - Sine verbo dicitur *quin etiam, quin imo, quin potius*; v. g.: Evidem credibile non est quantum scribam die, *quin etiam noctibus* (Cic., *Att.*, XIII, 26).*

*Firmissimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus* (Cic.).

*Nihil necessitatis afferat cur nascantur animi, similitudo* (Cic.).

X. - In quaestionibus indirectis, verbum *debere* saepe omittitur; v. g.:

*Non satis constabat quid agerent (= agere deberent)* (Cic.).

*Vos eam potestatem habetis, ut statutatis utrum nos semper miseri lugeamus* (= lugere debeamus), *an aliquando per vestram virtutem recreemur* (= recreari debeamus) (Cic.).

*(Ad proximum numerum)*

S. Leonardi in *Helvetia*.

I. Jss.

Ethnicorum Christianorumque scriptorum  
quae orationis  
elegantia et perspicuitas fuerint.

*Locutio a grammaticis syntactica appellata, qua propositioni principi secundariae ita nectuntur, ut tota periodus velut lapis numidicus undeque teres atque rotunda se ostendat, ab ethnicis scriptoribus in deliciis habita est: christiani vero scriptores paratactica usi sunt locutione, qua tota oratio ex periodis constat non per subordinationem coniunctis; cuius rei causa legentis oculus nulla vi principem propositionem aspicit, plane ac perspicue scribentis cogitata cernit atque intelligit. Plerumque hac in re ethnicis scriptoribus differunt.*

*Illi tamen qui affirmant ethnicorum scripta potiora esse ducenda quam christianorum, ita iudicant quia affirmant ethnicos apprime in philosophicis disceptationibus excultos maioremque scribendi habentes commoditatem, flexibili ac mirabili sermone usos, eo perspicuitatis devenisse ut:*

I. in eligendis vocabulis concretam et non abstractam loquendi formam secuti sint;

II. in cogitationis flectendis atque colligendis eos dicendi modos eligerent, quibus ea quae sequentur arctius primitus expositis rebus congruerent;

III. In colligandis sententiis syntactica locutione usi, clarius ac pressius cogitata exposuissent.

Quot assertiones, tot errores! Cur enim Cicero, Livius, Sallustius, Caesar, Cornelius latino sermone melius quam Patres usi sunt? *Quoniam altius quam Patres philosophiae medullis enutriti fuerunt*; non equidem eodem modo quo inopes illi qui Augustinus, Hieronymus, Bernardus, Thomas appellantur! Quod dictum risum moveret, non potius lacrymas, si ex ore cuiusdam sacerdotis non cecidisset.<sup>1</sup>

Adfirmant nonnulli: veteres ethnicos scriptores maiora quam christianos otia habuisse. Negare nolle, sed quaererem quo modo otio usi sint. Novimus contra, Ciceronem atque Caesarem, exempli gratia, unam inter et alteram fori animadversiones vel pugnas scripsisse. Cicero (*ad Att.*, XII, 52, 2) tradidit quosdam philosophicos libros sibi non ita magno labore stetisse. Caesar tam parvo otio usus est, ut eius commentarii quasi breviarium sub tentoriis scriptum ad suos populares habendi sint.<sup>2</sup> Qui nobis persuaserit, Lalages Lesbiasque plus temporis Horatio, Ovidio, Catullo, Tibullo, Propertio reliquisse, quam preces atque disciplina corporis Prudentio, Avito, Hieronymo reliquisque Christianis scriptoribus?

Sed quis neget maiorem christianorum scriptorum partem latinum penitus pleneque cognitum habuisse? Si vero ii ab

ethnicis aliquando discesserunt, huius rei causa fuit necessitas enucleate loquendi doctrinasque tanta perspicuitate tradendi, ut hypotacticus loquendi modus syntacticus iis anteponendus esset. Ea ipsa virtus qua latinum sermonem christiana doctrinae docilem effecerunt, vitio adscriptur!

Ceterum latini ethnicci sermonis laus haec, non est exaggeranda. Doctum virum audiamus.<sup>1</sup> « La langue latine offrait au christianisme un instrument merveilleux de législation et de gouvernement pour l'administration d'une grande société; mais il fallait que la langue de l'action devint celle de la spéculation; il fallait assouplir, populariser cette langue raide et savante, lui donner les qualités qui lui manquaient pour satisfaire la raison par toute la régularité et l'exactitude de la terminologie grecque et pour saisir l'imagination par toute la splendeur du symbolisme oriental. »<sup>2</sup>

Pauca ad haec.

Notum est enim latinam linguam neque aoristo neque optativo gaudere, quibus supplendum est vel perfecto vel coniunctivo, vel alio modo quem opportunitas suggerat. Sed id nil prorsus ad perspicuitatem sermonis utile est; unde evenit ut christiani scriptores lento gradu iis usi sint temporibus in coniugando verbo, quae italicum sermonem tantis muneribus ditaverunt. Eadem de gallico, de hispano sermone dixeris.

Sed ea tria capita sunt perpendenda de quibus supra scrisimus.

I. In eligendis vocabulis ethnicci scriptores concretam abstractae loquendi formae praepontentes maiorem quam christiani perspicuitatem adepti sunt.

Utique, veteriores scriptores severi fuerunt, sed ecclesiastici recentiores non

<sup>1</sup> Les classiques comparés et le R. P. Verest S. J. (Paris), Vic et Amat, Rue Cassette 11.

<sup>2</sup> GOUZY, *Les latins*, p. 147.

OZANAM, *Civilis. au V<sup>e</sup> S.*, 15 lec.

De hac re confer etiam: REINACH, *Gramm. lat.* 336-338.

minus, ipsi quorum dicta Deo praestanda erant. Sed si Caesar proscribebat, Horatius nova verba admittebat easque leges statuebat quae ecclesiasticis scriptoribus iter planum bonique iuris facerent. Audiamus dicendi magistrum:

. . . . . si forte necesse est indicis monstrare recentibus abdita rerum, fingere cintutis non exaudita Cethegis continget: dabitur licentia sumpta pudenter.<sup>1</sup>

Christi evangelium abditum fuit ethnicis scriptoribus necne? Num cintuti Cethegi aliquid de Christo audiverant? Ergo ecclesiastici scriptores iis novis vocabulis usi sunt, quae ipsa nova materies induxerat.

Neque in eligendis vocabulis latinus sermo ea tanta facultate gavisus est, quae plerumque affirmatur. Quintilianus ipse queritur tam pauca esse in latino sermone propria vocabula, ut saepius ad verba translata atque circumlocutiones confundiuntur sit.<sup>2</sup>

Tantum legamus illud Augustini opus *de gratia*, seu Adami a Sancto Victore scripta, seu illum Aquinatis hymnum *Lauda Sion Salvatorem*, seu *Victimae pascali*, perspicuumque erit quid de Ciceronis, quid de Horatii subtili in scribendo fide dicendum sit. Si ab Horatio canendum fuisset quod Aquinas cecinit:

Tantum ergo Sacramentum  
veneremur cernui  
et antiquum documentum  
novo cedat ritui,

ut divinam maiestatem Sacramenti promeret, ut fidem innovatam attolleret, quid melius, quid strictius, quid clarius cecinisset?

Quum de concretis vocabulis agitur quae ab ethnicis potiora habita sunt, dum contra christiani scriptores abstractis sine

cunctatione utuntur, ratio perspicua quae datur haec est: Romanos scriptores minus in contemplatione rerum versatos fuisse quam in iis quae experimentis innotescunt. A summo magistro Gandino ad nos usque ita in scholis traditum est et utique tradetur. Sed vera causa qua ethnici scriptores hac, ita dicitur, virtute fulserunt in eo est ponenda, quod ipsi minus *cogitatione* quam *rebus* movebantur, dum graeci scriptores plus cogitatione quam rebus emoti, christianis exemplum obtulerunt, quo non exaudita Cethegis latino sermone significanterent.

Saepius audivimus: necesse esse ad amphibologiam vitandam concreto stylo uti potius quam abstracto. Sed aio contra: Catechismi ille libellus quo pueri christianam Fidem ediscunt quid ambigui habet? Nonne ibi clara, evidenter sunt omnia cum his vocabulis utitur: *Trinitate*, *superbia*, *contritione*? Ego utique affirmarem quod locutio: *ingratus animus* significationem praefert minus claram quam *ingratitudo*, nam *ingratus animus*, *cor ingratum* significare potest, eodemque tempore ingrati cordis *vitium*, dum locutio *ingratitudo* in universum et unice *vitium* significat, id est generalem notionem et non factum particularē.

**II. Ethnici latini scriptores in cogitatibus flectendis atque colligendis eos dicendi modos elegerunt, quibus ea quae sequentur arctius principis congruere possent.**

Ad aliquot exempla configiendum est, quibus facilius argumenta contraria confirmabuntur.

a) *Amor Petri*, exempli gratia, duplēcē significationem habet: *subjectivam*, quae Petri amor exprimitur; *objectivam*, quae amor in Petrum. Qui legit intelligat... Christiani scriptores, contra, in prima acceptione habent locutionem *amor Petri*, in secunda vero *amor erga Petrum*. Illam explosam perspicuitatem ubi reperies?

b) Vergilius cecinit: *Sunt lacrimae*

<sup>1</sup> *De Art. Poët.*, 48.

<sup>2</sup> QUINTILIANUS, *De instit.*, XII, 10.

*rerum*.<sup>1</sup> Interpretibus omnibus humanistis aurem praebentes, audivimus emistichium illud significasse: *Res ipsae anima carentes suas habent lacrimas*. Reapse si delicatum sentiendi Vergilii animum ante oculos habuerimus, hanc explanationem rectam atque ingenuam esse concedemus. Sed bis millibus peractis annis, — nam duo millia annorum fluxerunt, quo tempore humanistae *lacrimas rerum* hinc inde respicientes de iisdem sententiam restituerunt, — doctus quidam vir locutionem illam interpretatus est: *Rerum tacitos fletus*. Heus! quod Iosephus Prudhomme numquam cessavit dicere: *Calamitates suas lacrimas habent*, Christiani scriptores dixissent: *Sunt lacrimae de rebus*, euidem minus compte, minus belle, sed longe clarius ita ut humanistae explanatores per bis millia annorum cerebrum in hac interpretatione non dissolvissent.

c) Locutio communis humanistarum ac passim in usum deducta ea est, quae *ablativus absolutus* vocatur, cuiusvis coenae condimentum piperatum! *Alexandro mortuo* significare potest: quum Alexander mortuus est; quamvis Alexander moreretur. Quae omnes significaciones, nisi ab oculo sollertia atque exercitato percipi non possunt. Christiani scriptores non repudiantes ablativum absolutum, quando evidenter atque perspicuitas sermonis id requisivit, coniunctionibus usi sunt: *postquam*, *quum*, *quamvis*, *si*; minus compte, sed clarius.

Salomon Reinach<sup>2</sup> pugnam explanat quae plerumque fit in usu pronominis reflectivi: « La plupart du temps, dans les phrases qui donnent lieu à un conflit de genre, on peut employer, soit le réfléchi, soit le pronom *is*, suivant le point de vue où l'on veut se placer, et les grammaires

<sup>1</sup> *Aen.*, I, 463.

<sup>2</sup> *Gramm. lat.*, p. 87.

ont souvent eu le tort de vouloir poser pour ces cas des règles trop absolues. »

Hic agitur de pronomine reflectivo in obliqua oratione, quae tam cara est ethnicis scriptoribus, in qua usus pronominis *sui*, *sibi* et subiunctivi ita fluitat ut, simplicioribus quibusdam casibus exceptis, subiunctivi seu indicativi usum statuere res sit equidem difficilis. Patres christiani ut haec effugerent scopula, recta loquendi ratione plerumque usi sunt. Nec tacendum quidem est de illis amphiboliis: *aio te*, *Aeacida*, *Romanos vincere posse*.<sup>1</sup>

**III. In coniugendis sententiis, syntactica locutione usi, ethnici scriptores clarius ac pressius cogitata exposuerunt.**

Nemo dicet: periodum ex historicis seu ex oratoribus romanis depromptam ac synthetice confectam quandam pictam non esse tabulam, ubi imagines atque cogitata tali numero ac concinna oratione disponuntur, ut legenti nil suavius esse possit. Sed non erit quidem inficiandum artificium hoc satietatem inducturum, praesertim quum de rebus sacris agatur. Exemplum ex illa bulla *Ineffabilis* sumendum est, qua doctus vir Passaglia S. I. ciceroniano ore laudes Virginis exornat, unde poëticum illud officium de *Immaculata Conceptione* aliquid hibridicum esse videtur. Ambrosius stilo illo laudes illas non cecinisset. Paratactico stilo usi Patres Ecclesiastici melius ac suavius divinas laudes concinerunt. Testem audiamus doctissimum virum Freppel. « Je ne voudrai point passer pour un panégyriste à outrance du style des Pères. Assurément nous sommes loin de la période ample et majestueuse de Cicéron, mais il y a dans les écrits des Pères de l'Église latine au quatrième siècle, quelque chose de moins vague, de moins indécis, de plus vif, de plus net, de plus vigoureux, que je n'hésite pas un

<sup>1</sup> ENNIUS in CICERONE, *De divin.*, II, 56.

instant d'attribuer aux habitudes de la pensée chrétienne. L'idée y est moins enveloppée, elle y paraît plus à jour... »<sup>1</sup>

Postremo, ut exemplo quodam rem nostram confirmemus, bina loca componenda censuimus ex Vergilio atque ex Meropio Paulino, nolensi Episcopo, de prompta, quibus luscinia canitur:

Qualis populea moerens Philomela sub umbra amissos queritur foetus, quos durus arator observans nido implumes detraxit; at illa flet nocte, ramoque sedens miserabile carmen integrat, et moestis late loca questibus implet.<sup>2</sup>

Quo carmine Vergilius Orphei gemitum, post perditam Euridicem, imitatur.

Meropius Paulinus lusciniae garritum imitatur, pinnas unius coloris modosque varios commemorat quibus aures suaviter decipit audientium:

... Viridi sub fronde latens solet avia rura multimodis mulcere modis linguaquamque per unam fundere non unas mutato carmine voces, unicolor plumis ales, sed picta loquellis: nunc teretes rotat illa modos, nunc sibila longis dicit acuta sonis, rursumque quasi flebile carmen inchoat et subito praecidens fine querelam adtonitas rupto modulamine decipit aures.<sup>3</sup>

Has tabulas comparando quam venustiorem dicemus? Uterque venusta, uterque nobilis, uterque perspicua; neque Vergilio neque Paulino succensem, neque alterum poëtam exaltando alterum deiiciam. Vergilii carmen notum est et a pueris decantatum; cur non Paulini carmen? Humanistis grates habendae sunt, qui ante oculos nil ponendum censuerunt quod ex aureo augusto fonte non manaret, reliqua omnia scruta retinentes!

Denique, italicum nostrum sermonem non ex Livii neque Ciceronis ore patres

<sup>1</sup> FREPPÉL, Bossuet et l'éloquence sacrée... II, p. 194.

<sup>2</sup> Georg., IV, 511.

<sup>3</sup> XXIII, 29.

nostri demiserunt, sed ex Ecclesiae ore tantum, quae hymnos non Horatianos, lectiones non Ciceronianas Christi fidelibus explanabat. Quae ergo fuit humanistarum dementia, qui ab nostris originibus nos amoverunt, facile atque aperte iudicari potest. Omnes viri docti conari debent ut humanistarum errori aduersentur, ut cum ethnicis scriptoribus nostri in scholis explanentur, ut cultus ethni- corum, qui tamquam numina adorantur, tandem deleatur.

Vidimus enim quae ethnicorum, quae christianorum fuerit elegantia, quae fuerit perspicuitas orationis: nostros legentes labia nostra non polluentur!

ALEXANDER AURELI.

## HORAE SUBSECIVAE

VALETE, MUSAE!

Ergo obserato, barbite, scrinio  
posthac iacebis pulvere sordidus,  
ac lenta consumet teredo  
ligna tibi tenuesque chordas,  
o dulce moestis saepe crepusculis  
mihi levamen; sed modo linquere  
te cogor heu sensim iuventae  
candidulo pereunte flore!  
  
Si longa rumpes forte silentia  
instante tergis illacrimabili  
iam morte, cupressi sub umbra  
funereum mihi prome carmen.  
  
Late sepulcris it crepitantium  
leni susurro naenia frondium  
lugubre clamans: O caduae  
gaudia praeteritura vitae!

HIRPINUS.

## CUIDAM LAUDATORI.

Ausus es egregium tu me appellare poëtam,  
Quod violae, dicas, manat odore chelys.  
Heu! florent violae praedulcis tempore veris,  
Et ver iamdudum desit esse meum.  
Egregium fateor me posthac esse futurum,  
Quum vivorum mox e grege pulsus ero.

M. TARCHI.<sup>1</sup>

## LAETITIA NUNQUAM INTEGRA.

Laetitia est miseris mortalibus integra nunquam:  
Parte aliqua, possis quam cupere, usque caret.  
Aut etiam dum perfundit dulcedine pectus,  
Unde unde huic sese miscet amarities.  
Vere illud dicunt: Fulget rosa, molliter halat,  
Est spinis expers non tamen ulla suis.

H. N.

## AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.<sup>2</sup>

§ 594 - HIPPOCRATES (*de Morbis* 1.3) caput praeclarum scripsit de lethargo, ubi lethargum ait ori per quamdam peripneumoniae affinitatem, et in isto lethargo potius pulmoni, quam capiti consulti.

§ 595 - BALLONIUS ait: Quaecumque mulieres, idem et de viris, dum sanae sunt, dolent de latere aliquo, quum febricitant, aequa dolent, ac si pleuriticae essent vere; et revera cum iis, ut cum pleuriticis agendum.

§ 596 - Putant pleuritidi ideo succedere fluorem alvi, quod inflammatio communicetur cum hepate et partibus nutritioni dicatis. Quemadmodum inflammatae gingivae in dentientibus facile ventriculum et intestina sollicitant.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Maii, pag. 82.

<sup>2</sup> Cf. fasc. sup. mens. Aprilis.

§ 597 - Dentientibus pueris subinde opata dare convenit.

§ 598 - Catarrhosos, quibus manat a capite subbiliosus ichor, bene coloratos videmus: notae quibus colligas istam coloris bonitatem a causa morbifica pendere, hae sunt: si cum isto robore non acute audiat; iterum si quum bene videatur habere, paucis cibis repleri contentum se esse dicat.

§ 599 - Καὶ ἔξοχὴν dicitur febris τυφόδης, quum hepar est inflammatum: quemadmodum χρυμάδης, quum pulmo est inflamatus et ἐρυσπελατώδης et λειπύρια, quum ventriculus est affectus; quo in sensu audiendum illud HIPPOCRATIS: leipyriae febres non solventur, nisi cholera morbo superveniente: id est, erysypelas in ventriculo ob inflamatam in eo bilem, et aestuantem: non solvit, nisi evacuazione bilis sursum deorsum in modum τῶν χολερικῶν, ut loquitur in *Epid.*; id est cholerae morbi. Adnotat hic STOLL: Patet aliud recentioribus esse febrem erysypelatosam, quam fuerit antiquis. Nobis est febris inflammatoria: antiqui inflammationem vocarunt quamlibet ardoris sensationem, etiam a biliosa suburra provenientem. Hepatis inflammatio sive febris τυφώδης non videtur semper fuisse vera huius visceris inflammatio, sed saepe suburra biliosa.

§ 600. - STOLL: Videtur probabilissimum dari in pulmonibus quorumdam hominum biliosorum siccorum, squalidorumque praecipue, varices aequa ac in eorum intestinis, ventriculoque. Remediis indicatis adhibitis iuverit vasa pulmonica roborare; interne solventia (ex sero lactis etc.) dare, et álvum servare lubricam: lichen, cortex, balsama omnia assueta, et adhuc magis vere adstringentia medicamenta insigniter nocent, álvum stringendo, siccum per se squallidumque corpus densando, siccandoque.

(Sequetur)

I. FAM.

## COLLOQUIA LATINA

X.

### Chartae in volumen consutae<sup>1</sup>

CHRISTOPHORUS, HUGO.

CHRISTOPHORUS. - Mi Hugo, est quod abs te petam.

HUGO. - Pete audacter.

CHR. - Insue mihi in volumen hasce chartas puras.

HUG. - Ipsemet insueres.

CHRIST. - Expers sum huius artificii; atque ut id credas, inspicere hunc librum, quam sit inconcinne dissotorteque consutus.

HUG. - Nec me bibliopegus eruditivit.

CHRIST. - Attamen, quasi eruditus ele- ganter id facis.

HUG. - Si cui optime placet, ei optime facio. Complicastine iam chartas tuas?

CHRIST. - Maxime; istae sunt.

HUG. - Da filum, acum et membranam, pellem aut chartam crassam codicis frontibus adponendam.

CHRIST. - Cape omnia.

HUG. - Filum oportet ceratum esse, ut opus evadat diuturnius.

CHRIST. - En tibi et ceram, eamque candidam.

HUG. - Commodissima est huic rei. Attentus tu nunc aspice me suentem, et artem disce, quo posthac aliena opera non indigeas.

CHRIST. - Aspicio attentis oculis.

HUG. - Ecce quemadmodum folia fo- liis arctius coniungo, ut spatium inter illa nullum intercedat.

CHRIST. - Video.

HUG. - Item quemadmodum supra

infra sunt aequalia inter se; nullum prominet.

CHRIST. - Apte, artificiose.

HUG. - Nec foris in tergo fila super- riora inferioribus longiora visuntur; nec primum a secundo maiore intervallo distat quam secundum a tertio, tertium a quarto.

CHRIST. - Perite.

HUG. - Nodi parvi, et intus omnes.

CHRIST. - Sane.

HUG. - Nunc tu cultellum accipe, sis, partesque chartarum superiores caute scindi- dendo aperi.

CHRIST. - Pro ista opera referetur gra- tia tibi, mi Hugo.

HUG. - Satis gratiarum retuleris, si me amaveris, et maiore quadam cura et ala- critate quam hucusque didiceris.

CHRIST. - Utrumque praestitum tibi recipio.

## ANNALES

### Infandum alterum scelus, Massi- liae perpetratum.

Questu etiamtum resonabat Austriaci Cancellarii caedes Vindobonensis, quum infandum scelus alterum Massiliae editur, idque in Alexandrum, Iugoslavorum regem. Qui, die VIII superioris mensis Octobris quum Massiliam, ovante atque gratulante populo, appulisset, Lutetiam Parisiorum, Gallicae reipublicae Praesidem sollemniter, invisendi gratia, petiturus, ne- copinato a nefario quodam homine ma- nuballistae ictibus confoditur. Neque una haec victima horrendi criminis: Barthou enim, ad exterios Gallicarum rerum admi- nister, qui ei obviam iverat atque in eodem autovehiculo cum eo procedebat, et ipse mortem oppedit, dum alii utrinque graviter vulnerantur. Probri autem auctor, quem profugum Macedonem praedicant, ab exas-

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Pro- gymnas mata latinitatis*. - Passim retractavit hodier- nisque moribus aptavit I. F.

perato populo ac militibus praesenti sup- plicio afficitur.

Strenuo, qui fuit, Iugoslavorum regi- tum Massiliae, tum domi, quo eius cor- pus delatum est, iusta funebria persoluta sunt; successitque ei filius natu maximus, undecimum aetatis annum agens, Petri II nomine, sub trium virorum, quos pater ex testamento designaverat, tutela.

Debiti honores Gallo quoque infelici administro Barthou tributi sunt, in eius- que locum suffectus est Laval, qui nunc coloniarum administrationem gerebat.

### Ex Hispania.

Sanguinis dies in Hispania producti sunt, Communistarum praesertim opera, qui bellum animum suum in insolentes cives, sacerdotes, sacras res, templa, artis opera, in Asturiis maxime, expleverunt. Catalaunia autem sui iuris quum sese dixisset, in gubernii principis - («cen- trale» vulgo appellatur) - copias furit, at vix die una in ditionem gubernii eiusdem per vim facile reducitur. Facta exhorrescentia narrantur, quae nostris diebus ne mente quidem concipi pos- sent!...

\* \* \*

### Sarre provinciae populi scitum.

Constat, proxime Sarre provinciae ci- ves interrogatum iri utrum in Germani- cam civitatem redire cum metallis ditissimis suis malint, an Galliae sese sub- icere, an denique sub exterarum Euro- paearum tutela manere. Hinc obliqua utrinque verba ac simultates, Gallia et Germania altera alteram accusante vim occulte parandi ad suffragia sibi acqui- renda. Moderatoris partes ceterae nationes, Anglia praesertim, agunt, eo profecto fine ne ab illis cineribus novus ignis exoriatur.

Quod omnium gentium proculdubio est in votis.

### Ex Graecia.

Habitus in Graecia novis populi lega- torum comitiis, Zaimis, reipublicae praes- ses, in suo munere magnis suffragiis est confirmatus.

POPPLICOLA.

## VARIA

Non iniuria laudatur vetustas; sed neque iure vituperantur sem- per quae aetate nostra gerun- tur.<sup>1</sup>

Laudant homines antiquitatem semper, nostra tempora accusant; at non ubique iustis de causis, ut mihi quidem videtur. Usque adeo enim rerum antiquarum stu- diosii sunt, ut non solum eas res, quae litterarum monumentis celebrantur, sed illas quoque laudibus efferant, quas ipsi, iam senes, olim in iuventute viderunt. Ego vero hanc illorum opinionem persaepe falsam esse existimo, variisque de causis adduci eos, ut ita sentiant. Primum enim absolutam vetustarum rerum cognitionem assequi nequimus. Nam plerunque fit in rebus enarrandis, ut quae turpitudinis quidpiam continent, silentio praetereantur; quae cum virtute coniuncta sunt et lau- dem merentur, ea diligenter enarrantur et amplificantur. Usque adeo enim multum attribuere solent fortunae victorum histo- rici, ut augendae illorum laudis gratia, non solum res ab ipsis praecellare gestas amplificant, sed hostium quoque facta tantopere illustrant, ut posteri deinde ea e longinquio intuentes, causam habeant anti- qua illa tempora et hominum, qui tunc vixerunt, virtutem admirandi atque amandi.

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere, cui titulus: *De republica Romanorum disputationes ex prima decade T. Livii, lib. II. - Latine vertit H. BINDI.*

Hisce accedit quod quum aut invidia alienam virtutem odio prosequi soleamus, et neutrum horum in rebus antiquitus gestis officere quicquam possit, duae summae causae deesse videntur in vetustate quicquam reprehendendi, quum neque amplius nocere possint, neve invidiae cuiusquam obnoxiae sint. Contrario modo se habent hodiernae res, nec quicquam habent sive boni sive mali, quod latere possit. Itaque accedit, ut, quoniam una cum virtute praestantiam rerum quae nunc geruntur, vitia etiam videmus, cogimur quodammodo eas antiquis illis, quarum sola virtus apparet et vitia latent, postponere, quamvis persaepe praestantiores sint. Neque haec intellegi volo de artium pulcherrimarum praestantia et perfectione, quae tanta est, ut temporum mutatio parum illis aut addere aut adimere queat. De moribus hominum loquor et vita civili, in quibus non tam insignia virtutis exempla aetate nostra apparent, ut apud veteres fuisse videntur. Non iniuria ergo laudatur vetustas; sed neque iure vituperantur semper quae aetate nostra geruntur, et vetustis illis deteriora putantur, perinde ac si nunquam suis erroribus carerent. Res humanae omnes in perpetuo motu existunt et necessario aut crescunt, aut sensim dilabuntur. Cernas urbem aut regionem quampiam, si a quo excellenti viro semel recte instituta fuerit, augeri largo tempore, virtute, opibus et imperio. Qui igitur homines in ea provincia nascuntur, interim dum omnia crescunt, siquidem res vetustas eiusdem regionis recentibus praeferant, illas laudent, has vituperent, vehementer errant et erroris sui causa habent eas, quae iam commemoravimus. Qui vero in illa tempora incidunt, quibus ad interitum vergunt omnia, ii nequaquam errant si antiqua laudent et hodierna vituperent. Haec quum mecum diligenter considero, mundum universum existimo semper sibi similem fuisse,

et tantundem olim atque nunc boni malique continuisse; sed permutari et transire de una regione in aliam haec bona malaque, ita ut in qua longo tempore virtus regnaret, postmodum, virtutibus pulsis, sequantur aliis temporibus vitia.

\* \*

### Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

*Stellulae herbaceae in iure vagantes.*

*Pisces elixi, Magonensi embammate conditi.*

*Artocreas ex carduis sativis.*

*Turdi veru assi.*

*Spuma lactis flagello aucta, cum ofellis.*

\* \*

### Locosa.

TUCCUS in schola.

Postquam Magister Europae populos per regiones distributos enucleavit, Tuccium interrogat:

— Ubinam Gallorum sedes, Tucci?

TUCCUS: — Papae! In gallinario!

Ibidem post grammaticae lectionem:

MAGISTER: — Indica mihi exemplum rei definitae, quae tangi non possit.

TUCCUS: — Pessulum candelactum!

\* \*

### Aenigmata.

I

Te certum maneo, frustra fugis, imo pro  
pinquas;

Visentes olim fata docebo tua.

II

Pulvis sum, quam serra creat stridensque  
terebra.

Inseritur mihi rho? Parvum designo ba  
rathrum.

Aenigmata in superiore fasciculo pro  
posita his respondent: 1) vulgo *Rebus*  
*Neque intus, neque foris;* 2) *Ver-sus.*

## DE ROBERTI SCOTTI

[31]

### NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

Deinde neque idem corporibus robur erat, neque eadem animorum firmitas. Debilitata corpora erant accessu laborum et tota ratione cibaria et acerbitate frigorium. Animus ante erectus, incitatus, inflammatus spe magnae gloriae; post, spe frustrati, viri sibi ipsi videbantur pro victis discedere; qui languor perpetienda mala etiam graviora faciebat. Accedit quod redeentes retro servare cogebantur vestigia priora, quoniam in via deposita alimenta erant, quae observatio nonnullis locis in mora erat. Sed tamen non raro etiam adiuvabantur flamine ventorum, qui velo traheae affixo excipiebantur.

Itaque, quo die a polo abierunt postmeridiano spatio eius diei confecerunt chilometra tredecim; duobus proximis diebus tricena quaterna. A. d. XIII kal. Febr. pervenerunt ad proximam polo Cellam, ex qua alimenta tulerunt in dies septem. A. d. X. kal. pleno velo cito procedebant, quum Wilsonus animadvertisit Evanii nasum album et durum frigore ustum esse. Constiterunt igitur. Eiusdem etiam digit tuberosi erant frigore. Oates laborabat frigidis pedibus. Tres reliqui satis valebant. A. d. VIII. kal. ad sesquigradualem Cellam pervenerunt. A. d. III. kal. confectis chilometris triginta quinque in tertia decima statione Scottus sperat se ad Cellam trium graduum venturum postridie, aperta esse vestigia. Sed illud esse iniquum, quod intumuisset nimia corporis intentione Wilsoni crus totumque iam doluisse diem. Evansum amisisse eo die duorum digitorum unguis; foedum esse adspectum manuum eius. Sed quod multo foedius esset, ex quo primum exusti essent digiti

eius, coepisse, qui omnium solitus esset hilarissimus esse, despondere animum.

Pridie kal. Febr. mature, quidquid in cella trigraduali depositum erat, impostum traheae est; vesperi inventa sunt pedalia, quae pridie kal. Ian. Bowers reliquerat. Kal. Febr. Evanius iterum duos ungues amisit erumpentibus tuberibus. Wilsoni tamen crus melius erat. Proximo die Scottus cadens laesit humerum, ex quo proximis diebus non mediocriter labrabat. Nonis Febr. Scottus dicit tentorium stationis undevicesimae in glaciali vastitate positum esse. Vultus virorum ventis laceratos esse, Evanii etiam nasum foedatum esse. Postero die semihoram progressi inciderunt in apertas voragini, pauloque post in invium chaos confractae glaciei. Relinquebatur, ut duo chilometra redirent, viam versus occidentem per horrendos sastrugos caperent. Maxime tamen — inquit — me sollicitum habet valetudo Evanii. Cuius pus effundunt vulnera, quem confectis viribus esse multis iam signis cognoscitur.

A. d. VII. Idus vespere superiore Cellam glacialis tetigerunt, ubi reperta est schedula Eduardi Evans: socios in redditu postridie Idus Ian. salvos praeterisse.

Scottus profectus postero die sub monte Darwin exempla lapidum peti iussit, et post meridiem constituerunt vacare geologiae. Repartae in quibusdam axis sunt impressiones herbarum et carbones fossiles, in quibus caulis non modicae crassitudinis cernebatur et caulis cellulosa structura. Respiraverunt autem viri, quod tandem post hebdomadas sex, quibus praef-

PAG.	PAG.
De resonantia in ampullis thermionicis . . . . .	63
De conducibilitate electrica lucis . . . . .	63
Isotopes elementorum rarorum . . . . .	63
De tabula sismica Italicae regionis . . . . .	64
De permanentia quarundam substantiarum viventium in infimis gradibus caloris . . . . .	64
De rebus palaeolithicis ac praedynasticis in Aegypto collectis . . . . .	64
De tabula geologica Status Civitatis Vaticanae . . . . .	65
Numisma aureum pro conventu mathematicorum ex omnibus gentibus . . . . .	65
De nova ratione in modulandis undis electricis . . . . .	66
De novo crystallo oscillante . . . . .	67
Fulmina globularia pergrandia . . . . .	68
Quot sunt apparatus telephonici in toto orbe . . . . .	68
De novissima determinatione velocitatis lucis . . . . .	69
De nova specie elementorum radiantium . . . . .	70
De inquisitione experimentali in microphonum granulare . . . . .	70
De telegrapho Gauss-Weber . . . . .	71
De centenaria die ab obitu Demetrii Mendeleeff . . . . .	72
De rara editione Ovidii Montalbani, cui titulus « Curae analyticae » . . . . .	73
De Societate Italica ad progressum disciplinarum promovendam . . . . .	75
Ulterior inquisitio in isotopos elementorum variorum . . . . .	190
 EXTRACTUS IN LIBRIS ET REVIEWS DE REBUS HISTORICIS, SCIENTIFICIS, ET LITERARIIS.	
De quibnsdam proprietatibus thermicis helii densati . . . . .	191
Notitiunculae . . . . .	191
 <b>Sententiae</b> , 8, 26, 42, 74, 86, 102, 104, 136, 153, 155, 157, 182, 189, 191, 193	
 <b>Vacui temporis hora</b> .	
Pro iudicibus mensarum elegantibus, escrum ordines ( <i>I. F.</i> ) . . . . .	16, 34, 53, 70, 88, 106, 124, 160, 178, 194
locosa ( <i>I. F.</i> ) . . . . .	16, 35, 53, 70, 88, 106, 124, 142, 160, 178, 195
Aenigmata: 16, 35, 54, 70, 88, 106, 124, 142, 160, 178, 195	
 <b>Varia</b> .	
Collectiones et Collectores ( <i>P. d. V.</i> ) . . . . .	9
De falso quadam animorum studio ( <i>J. A. C.</i> ) . . . . .	109
De gossypio ( <i>P. Alexis</i> ) . . . . .	136
Adagia ( <i>I. Fay.</i> ) . . . . .	157
 <b>Vetera et Nova</b> .	
De crepundiis ( <i>A. Aureli</i> ) . . . . .	11
« Pittacium » quid? ( <i>I. F.</i> ) . . . . .	30
De « embammate Magonensi » ( <i>I. F.</i> ) . . . . .	190
 <b>IMPRIMATUR</b> : Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen, Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.	
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.	
 <b>TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.</b>	



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

*Nuperrime prodit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venuindantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 475 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 950, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXI

Romae, Mense Dicembri MCMXXXIV

Fasc. XII

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

### DE "CONGRESSU IURIDICO INTERNATIONALI"

#### RECENS ROMAE HABITO

*Sociis et Lectoribus commentarii nostri humanissimis Natalitias quae imminent ferias atque Novum Annum fausta, felicia ex animo ominamur.*

*In proximo numero, qui vitae nostrae anno XXII initium dabit, prospectum anni laboris nostri de more exponemus; hodie tantum certiores eos facere sufficiat, nos in incoepitis nostris antiquo animo, nunquam debilitato, perstituros, favore eorum confisi, qui per longum iter nos comitati sunt, neque certe nunc deserent; immo socios novos operi nostro acquirent, huius campum magis magisque amplificantes.*

*Pretium consociationis immutatum manebit; nempe libell. 15 pro Italia; summa italicas libellas 30 exaequans pro exteris gentibus.*

*Valete interim, o amici; iterum iterumque valete!*

ALMA ROMA

Anno p. Chr. n. DXXXIV edidit Iustinianus Imperator Codicem repetitae praelectionis; anno autem MCCXXXIV, edidit Gregorius IX P. M. Decretales; utriusque rei saecularia, XIV ac VII, celebranda solemniter, adprobante Pio XI P. M., auspice Sacra Congregatione de Seminariis ac Universitatibus studiorum, curavit « Pontificium Institutum Utriusque Iuris » in Urbe. Itaque Romam undique convenierunt ex Italiae, Europae, Asiae, Americae civitatibus viri alterutrius, vel utriusque iuris peritissimi, qui sex solidos dies, ab 11 ad 17 mens. Novembris huius anni, disseruerunt de quaestionibus elegantioribus ex universa iuris disciplina delectis, tum civili tum canonica, historica, dogmatica atque exegetica, publici privatique iuris, veteris atque ubique vigentis. Tam amplio tamque nobili concessui adfuerunt operamque dederunt alacrem Ecclesiae Principes atque Praesules, Ecclesiae Civitatumque Legati, Patres Senatores, Magistratus excellentissimi, iuris denique reique moralis magistri atque studiosi, e schola, e foro, e publicis negotiis; tres supra vi-ginti civitates (nationes dicunt), septua-

ginta studiorum Universitates, pleraque conlegia atque consociationes studiis id genus provehendis: hi omnes ad Pontificium Romanum Institutum Utriusque Iuris, quod vere unicum est in universo terrarum orbe, confluxere, nec quasi extranei, sed ad suam veluti quisque domum, ad domum Patris.

Nec Pater abfuit, immo praesentissimus adfuit; eius enim nomine Purpuratus Pater Caietanus Bisleti, S. Congr. Sem. et Universit. Praefectus, conventum solemniter aperuit; eius veluti personam inter praeentes gessit Emissus Cardinalis Eugenius Pacelli, qui Summi Pontificis est a secretis, inaugrali illa oratione, qua fata utriusque collectionis, iustinianae et gregoriana, summis designans lineis, felicem auspicatus est amicamque Ecclesiae atque Civitati conspirationem in bonum popolorum; ita singulis diebus initium sessionum fecit relatio cuiusdam Viri Purpurati; e quibus desideratissimus Petrus Card. Gasparri retulit de ratione ac via componendi Codicis Iuris Canonici, cycni veluti cantum edens supremum;<sup>1</sup> Card. Sincero de institutis e iure orientali in latinum derivatis; Card. Lega de iudicio criminali; Card. Serédi de habitudine Codicis Iuris Canonici ad Decretales.

Longum est omnes persequi oratores, inter quos proculdubio auditorum animos maxime sibi devinctos tenuerunt qui sermone latino usi sunt, ita ut, quum Sylvius Romani noster aperte votum prompsit de magis magisque, saltem inter doctos et in eorum conventibus, adhibenda lingua latina, omnes una voce, uno animo iterato plausu votum excepérint atque confirmaverint. Ceterum sermo hic latinus fuerat iam renuntiatus sermo conventus proprius; hoc annuntiata fuerant relationum habendarum et tituli et schemata; hoc in colloquiis adhibuerunt conventus participes omnes, siquando alter alterius vernacularum linguam aut nullatenus, aut minus

calleret; hoc data semper sunt varia nuntia de rebus cotidie agendis; hoc eodem telegrammata missa sunt atque remissa; hoc denique usus est Romanus Pontifex, frequentissima in illa sessione, cui in aedibus Vaticanis conclusionis instar dignatus est Ipse praeesse.

In qua postquam Emissus Card. Serédi acute, eleganter, nervose facundaque retulit de iis quae superioribus gesta essent diebus, Pius XI, quasi unus e relatoribus fieri cupiens, paterne effuseque in suum Institutum Utriusque Iuris atque in omnes qui aderant innumeri plane, referre dignatus est de necessitudine et quasi intimi nexus Codicem inter iustinianum et Decretales, quam ipse, quum Romae esset alumnus, reprehendere studuit, ducibus desideratissimis illis PP. Baldi et Sanginetti magistris, ex utriusque collectionis titulis.

Nobilior equidem corona desiderari non poterat huic primo tam opportuno, tam amplio, tam frequenti, tam actuoso congressui. Faxit utique Deus, auctor pacis et amator charitatis, ut concordia illa animarumque coniunctio, quam tam multi tamque varii civitate, lingua, sanguine, religione quoque, iuris magistri, qui Romam convenerant, praestiterunt, eandem populi omnes Romam remieantes inveniant ad aram Petri, in Domo Patris.

X.

<sup>1</sup> Vix enim post dies quinque vita functus est!

*Iustitia est animi libertas, tribuens unicuique suam propriam dignitatem, maiori reverentiam, pari concordiam, minori disciplinam, Deo oboedientiam, sibi sanctimoniam, intimico patientiam, egeno operosam misericordiam.*

S. ANSELMUS.

*Illa iuventus gravior, quae similis senectae.*

LUCANUS.

## DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

### § II. – De propositionibus adiunctis.

#### A) – Propositiones temporales.

I. – Coniunctiones<sup>2</sup> dum, donec, quoad, per se indicativum regunt; v. g.: Haec dum geruntur. At quum moram exprimunt, coniunctivo iunguntur, si haec simul est finis actionis praecedentis; v. g.:

Exspectate dum consul fiat, quem viribus et audacia regnantem ... (TRIT. LIV., III, 11).

Consules mansere infensi ac minitanter, donec magistratu abirent (TAC., ANN., V, 11).

Quoad per ventum sit eo quo sumpta navis est, non domini est navis, sed navigantium (CIC., DE OFF., III, 23).

II. – Ad significandum unam actionem alteri, nulla interposita mora, succedere, usurpantur statim ut, simul ac, simul atque, simul ut, ubi, ut, ut primum, quum primum, postquam vel posteaquam; v. g.:

Litteras scripsi, hora decima, statim ut tuas legeram (CIC., ATTIC., II, 12).

Simul ac tetigit provinciam, statim litteras dedit (CIC., IN VERREM, II, 1, 10).

Verres, simul atque ei provincia Sicilia sorte obvenit, statim quaerere coepit quibusnam rebus uno anno maximam pecuniam facere posset (CIC., VERR., II, 6).

Omne animal se ipsum diligit ac, simul ut ortum est, id agit, ut se conservet (CIC., DE FIN., 5, 9).

Ubi per exploratores Caesar certior factus est tres iam partes copiarum Helvetios flumen (Ararim) traduxisse, de tertia vigilia profectus est (CAES., DE BELLO GALL., I, 12).

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> Una eademque coniunctio diversas propositiones inducere potest; v. g. Ut, quum... etc.

Vulpes uvam tangere ut non potuit, discedens ait: « Nondum matura est » (PHAEDE., IV, 3).

Quum primum Romam veni, nihil prius faciendum putavi quam ut tibi gratularer (CIC., ATT., IV, 1).

Postquam ante ostium me audivit stare (TER., ANDR., III, 1).

Posteaquam Victoria constituta est ab armisque recessimus, erat ille Romae frequens (CIC., PRO ROSC. AM., 6).

III. – Quum, ad indicandam rem quae fieri non potest aut quam quacumque ratione vitare volunt, « ante, citius, prius, potius » cum particula « quam » usurpant, verbum subiectum coniunctivo efferunt; v. g.:

Ante leves pascentur in aethere cervi, quam nostro labatur pectore vulnus (VERG., ECLOG., I).

Privabo potius Lucullum debito testimonio laudis, quam id cum mea laude communicem (CIC., ACADM., II, 1).

IV. – Post ablativum respondentem quaestioni quanto tempore, loco coniunctionis postquam, legitur interdum

1º sola coniunctio quam; v. g.:

Postridie veni, quam apud Catulum fui (CIC., ACADM., IV, 2, 3).

2º aut quum; v. g.:

Collegam triduo, quam has dabam litteras, exspectabam (CIC., FAM., X, 23).

3º aut ablativus pronominis relativi concordans cum ablativo temporis praecedente; v. g.:

Diebus octo, quibus has litteras dabam, cum Lepidi copiis me coniungam (CIC., FAM., X, 18).

<sup>1</sup> « Antequam » praeterea ad transeundum inservit. Cui tunc Cicero aut indicativum postponit; v. g.: Antequam pro Murena dicere instituo (CIC., PRO MUR., 1, 2); aut frequentius coniunctivum; v. g.: Antequam de praecepsis oratoriis dicamus (CIC., DE INV., I, 4, 5).

Mors Sex. Rosci quatriduo, quo is occisus est, Chrysogono nuntiatur (Cic., *Pro. Rosc. Am.*, 36).

V. — Ad exprimendam relationem eventuum inter se, Latini non raro praefigunt coniunctionem *quum* posteriori parti sententiae; scilicet:

1º) in descriptionibus cum imperficio indicativi, addita nonnunquam voce *interea, interim*, aut simili; v. g.:

Unus et alter dies intercesserat, *quum* res parum certa videbatur (CICERO, *Pro Cluent.*, 26, 72).

Caedebatur virgis in medio foro Messanae civis Romanus, iudices; *quum interea* nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi haec: Civis Romanus sum! (Cic., *Verr.*, V, 62).

Evolarat iam e conspectu fere fugiens quadriremis, *quum etiā ceterae naves suo in loco moliebantur* (Cic., *Verr.*, V, 34).

2º) in narrationibus, iisdem interdum adiectis vocibus aut etiam adverbio *re-*  
*rente, subito*, vel simili, prout res postulat,

a) cum perfecto indicativi et, si ve-  
locius procedit narratio, cum praesente;  
v. g.:

Iam in conspectu, sed extra teli iactum,  
utraque acies erat, *quum* priores Persae  
inconditum et trucem *sustulere* clamorem  
(Q. CURT., III, 10).

Pretium rogationis statim socii flagi-  
tavere, *quum interim* imparem Drusum,  
aegrumque rerum temere motarum, ma-  
tura, ut in tali discriminē, mors *abstulit*  
(FLOR., III, 18).

Iamque qui Darium vehebant equi,  
confossi hastis et dolore efferati, iugum  
quatere et regem curru excutere caepe-  
rant, *quum* ille, veritus ne vivus veniret  
in hostium potestatem, desilit, et in equum,  
qui ad hoc sequebatur, *imponitur* (Q.  
CURT., III, 11).

Non dubitabat quin iste rem illam  
quaesiturus non esset, *quum repente iu-*  
*betur* dicere (Cic., *Verr.*, II, 29).

b) aut, cum infinitivo historico; v. g.:

Nec multum erat progressa navis,  
*quum* dato signo *ruere* tectum loci (TAC.,  
*Ann.*, XIV, 5).

Fusis Aruncis, Romanus promissa consulis fidemque senatus exspectabat; *quum* Appius ius de creditis pecuniis dicere (TIT. LIV., II, 27).

#### B. — Propositiones causales.

I. — « *Quoniam* », inducit, non tam rationem peculiarem cur aliquid agatur aut non agatur, quam quod negari non potest;<sup>1</sup> v. g.:

Nominor *quoniam* leo (PHAE DR., I, 5).  
*Quoniam* effugi Caesaris offensionem, modice loquar (Cic., *Fam.*, VI, 4).

II. — *Quum* negatur una causa sive ratio, ut adstruatur altera, in priore sententia parte ponitur, cum coniunctivo,<sup>2</sup> *non quod, non quia* et si negatio sequitur, *non quia non* vel potius *non quin*; in posteriore autem *sed vel sed quod, sed quia* cum indicativo;<sup>3</sup> v. g.:

<sup>1</sup> Ad indicandam causam occasionalem, usurpant « *quum, quum autem, quum vero* » et coniunctivum (Cf. GANDINO, *La sintassi latina*, I, 67, 8).

N. B. — Cicero utitur « *et quoniam* » a) in transitionibus; v. g.: *Et quoniam...* diximus... dicamus (Cic., *Orat.*, 67, 226 — *De orat.*, I, 41, 185); b) ad indicandam « *veritatem generalem* », ut aiunt; v. g.: *Et quoniam magna vis orationis est* (Cic., *De Off.*, I, 37, 132).

<sup>2</sup> Ratio coniunctivi post *non quod* est quia causa quae negatur non exhibetur tanquam existens, sed supponitur seu fingitur, quasi possit existere.

<sup>3</sup> a) Pro *non quod* ponitur etiam *non quo*, et *quum*, negata ratione, ex opposito adstruitur finis, sequitur *sed ut, sed ne* cum coniunctivo; v. g.: *Memoriam nostri ut conserves, non quo de tua constanter dubitem, sed quia mos est ita rogandi, rogo* (Cic., *Fam.*, XII, 17). — Ad te litteras dedi, *non quo* haberem magnopere quod scriberem; *sed ut loquerer* tecum absens (Cic., *Att.*, VII, 15). — Non

Ingemiscunt, *non quod doleant* animove succumbant, *sed quia* profundenda voce omne corpus intenditur venitque plaga vehementior (Cic., *Tusc.*, II, 23).

Maiores nostri in dominum de servo queri noluerunt, *non quia non* posset verum inveniri, *sed quia* videbatur indignum esse (Cic., *Pro Mil.*, 22).

Iisdem de rebus volui ad te saepius scribere, *non quin confiderem* diligentiae tuae; *sed rei me magnitudo movebat* (Cic., *Fam.*, XVI, 24).

(Ad proximum numerum)

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

## ARCHAEOLOGICAE NOTAE

### Artes in catacumbarum picturis adumbratae.

Quemadmodum in epitaphiis ea quae in vita defuncti exercuisserunt negotia, vel artes, interdum indicantur, ita in catacumbarum picturis, raro licet, huiusmodi representationes adsunt, quod quidem etiam in ethnicorum sepulcris conspicitur; nec solum apud Romanos, sed etiam apud Etruscos, Graecos<sup>1</sup> et Armenos. Eiusmodi tamen effigies in Christianis sepulcris non ante saeculum IV effectae sunt.

Inter has notanda sane illa est quae, apud Thrasonis aut Iordanorum coemeterium, aurigam, in circensibus ludis victor-

quo me ad tempus occursurum putarem: *sed ne tardius quam cuperem reipublicae gratularer* (Cic., *Phil.*, I, 4).

b) Cicero tamen dixit: *Consilium tuum reprehendere non audeo, non quin ab eo ipse dissentiam, sed quod ea te sapientia esse iudicem*, ut meum consilium non anteponam tuo (Cic., *Fam.*, IV, 7). — Quod non videtur imitandum.

<sup>1</sup> Cfr. HOMERI, *Odys.* XI, 77.

rem, curru vectum, coronam palmamque manibus gestantem, exhibet.

In quodam coemeterii Callisti arco-solio figura mulieris inventa est, olera vendentis.

In coemeterio, quod vulgo Ostrianum nuncupant, vinarius quidam negotiator cernitur, qui boves dicit, plastrum dolio onustum trahentes. In Priscillae autem hypogeī cubiculo quodam vinarii plures ostenduntur, dum dolii transferendis sese accingunt.

Quaedam coemeterii Domitillae pictura frumenti venditorem repreäsentat, una cum personis tabernae addictis. In medio scilicet sedet tabernarius, cuius alii porrigena volumen explicatum; praeterea adest mensor frumentarius cum virga, necnon servus cum cribro, et iuvenis aliis cum statera. Huic consonat cuiusdam Polleclae que ordea bendet de bia noba, epitaphium, in coemeterio Domitillae inventum, hodie vero deperditum; itemque aliud cuiusdam Constantini horrearium a De Rossi in S. Pauli basilica reperitum.<sup>1</sup>

In Africa, ab urbe Hadrumeto non longe, hypogeum quoddam detectum fuit, quod utrum ad ethnicos an ad Christianos pertinuerit ambigendum. Inter picturas, quae internos huius hypogeī parietes exornant, negotiatoris figura, sive cauponis vinum vendentis appetat, cum inscriptione per quam bonam mercem semper et eam iusto pretio amicis suis se vendidisse gloriat.

Maioris vero momenti picturæ illæ sunt, quae operariorum collegiorum indicia tradunt; quae etiam post saeculum tertium solummodo ac raro apparent.

In coemeterio Domitillae pistorum, seu potius frumentariorum mercatorum colle-

<sup>1</sup> DE ROSSI, *Inscr.* t. I, pagg. 466, 1026.

gium quoddam proprium habuit sepulcrum, in cuius parietibus illorum laboris representatio depicta fuit. Nempe naviculae frumentariae ibi conspiciuntur, quae a caudicariis ductae usque ad fluminis ripam, a saccariis merce exonerantur. Nec desunt annonae ministri, ac frumenti praesertim mensor, qui iuxta modium effectus est.

Pictura huiusmodi, non secus ac plures pistorum inscriptiones, propria huius loci est, propterea quod coemeteria viarum Ostiensis et Ardeatinæ, necnon ea quae in dextro viae Appiae latere iacebant, ad primam ecclesiasticam regionem pertinenter. In hac enim regione, quae duodecimam ac decimam tertiam regiones civiles comprehendebat, annonaria administratio sedem habebat, aderantque *porticus fabaria, vicus frumentarius, horrea Galbiana*, atque, iuxta Tiberim, *emporium*, per quod res frumentaria aliaeque merces in Urbem afferebantur. Hinc est quod regio ista antonomastice *Horrea* vocata fuerit, Christianique pistores, qui in ea habitabant, in praefatis fuerint coemeteriis sepulti; quod quidem detecta monumenta luculenter confirmant. Pistorum enim inscriptiones plures repertae sunt in coemeterio Callisti, ac *Via Nova* ea, apud quam Pollecla illa in Domitillæ hypogeo sepulta, hordeum vendidisse dicebatur, in duodecima quoque regione sita erat, quum ad Antonianas, seu Caracallæ, thermas duceret.

Iisdem thermis duo capsarii addicti erant, qui in coemeterio Domitillæ sepulti sunt, et apud S. Sebastiani coemeterium cuiusdam *catacombarum*, id est atriæ seu cursoris, qui in vicino Maxentiano circo, ut verisimile est, *catacombarum* epitaphium cernere est; quamquam inscriptio haec non immrito ab aliquo ethnica putatur, quia minime in catacumbis inventa.

Sed ad picturas redeamus.

In Pontiani coemeterio pictura quaedam

operiorum collegii indicium esse videatur, locique etiam, ubi est, rationem reddit. In ea enim, velis instructa amphorisque onusta, navi conspicitur, quae a duobus caudicariis (nudis, ut moris apud piscaores erat) ducitur. Coemeterium autem hoc non longe a Tiberi flumine situm est, per quod omnis generis merces in Urbem a mari vehebantur.

Ad eiusmodi quoque collegium referri posse videtur illa in coemeterio Priscillæ pictura, quae vinarios, dolia ferentes repreäsentat; itemque altera illa, haud multum absimilis, quae apud Ostriatum (quod vocant) deprehenditur hypogeam, quemadmodum clarissimi De Rossi atque Wilpert indubie ostenderunt.<sup>1</sup>

Sunt denique memorandi *fossores*, virorum, scilicet corpus sive collegium ad hypogea effodienda adhibitum. Eorum imagines in coemeteriis Callisti, Domitillæ, Ss. Petri et Marcellini ad duos lauros, inveniuntur. Plerumque binae ac binae apparent, atque, unam aut alteram si excipias, ita rapidis penicilli ictibus delineatae sunt, ut non sane ad alicuius singularis personae similitudinem praebendam, sed potius ac manifeste ad communem generaliique fossorum speciem exprimendam sunt effictæ.<sup>2</sup>

Fosorum figuræ a saeculo secundo apparent, ac diversimode efficti sunt, scilicet sive dum ad opus eunt, sive dum labori incumbunt, aut denique aliquid indicantes, seu cum aliquibus aliis figuris quamdam convenientiam quoad significationem habentes. Sic in coemeterio Callisti fossores duo cernuntur, qui, utpote sacrarum cryptarum custodes profanamente turbam arcere iussi, ad picturas eu-christicas adeundas inducere videntur.<sup>3</sup>

<sup>1</sup> Cfr. WILPERT, *Le pitture*, etc., textus pag. 450; tab. 202.

<sup>2</sup> Ibid., text. pag. 477.

<sup>3</sup> Ibid.

Utcumque fuerit, quod ad eorum vestimentum spectat, tunica cincta est, caput plerumque nudum, aliquando tamen pileo tectum. Praeter instrumenta (asciam, butillum, malleum, etc.) lampadem ferunt, et saccum cibariis repletum. Haec omnia simul in titulo quodam etiam conspiciuntur, apud Ss. Marci et Marcelliani hypogaeum invento.

Omnium eiusmodi imaginum ea notissima est, quae in Domitillæ coemeterio fossorem quemdam Diogenem repreäsentat, dum ad opus se accingit. At infelicer superiora saeculo ineunte, quum quidam stulto atque inani conatu picturam auferre voluisse, neque posset, imaginem quasi funditus destructam reliquit.

S. S.

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

.....

Ad matrem hi currunt monstrantes dñna recepta,  
Inde replent aedes vocibus atque iocis.

Ipse reviviscens avus haud fastidit ovantes

Filiolos, sed adest participatque bonus.

Nempe hoc divini Infantis sollempne quotannis

Egregie pueros copulat atque senes;

Et quia contingit vetulus quem labitur annus

Et novus ingreditur spemque animumque novans,

Ergo inter se verbis scriptis salutant

Rite homines, pacem cunctaque fausta volunt.

O utinam Puer omnipotens exaudiat illos,

Vobisque, o socii, dulcia multa ferat.

MANFREDUS TARCHI.

## DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA<sup>1</sup>

Germina illa iuris, quae Res publica servit, virent et maturant in prima et altera Imperii periodo, usque ad Diocletianum (a. 284 p. Ch. n.), ad finem scilicet saec. III; dicitur aetas classica iuris romani, quae tamen non est nisi superioris aetatis evolutione naturalis; evolvitur ius civile et ius gentium ministerio cum primitis utriusque praetoris (*iuris honorarium*); senatus, ut innuimus, completere videtur quae in iure condendo obsoleta comitia antea praestiterint (*Senatus consulta*), et omnibus antecellunt iussa Principis (*Constitutiones Principum*) et iurisperitorum opera (*Responsa Prudentum et Doctrina*).

De iure honorario diximus edicta magistratum recensentes;<sup>2</sup> Praetor uterque et Aediles hac quoque aetate edunt edicta, et ius honorarium augetur usque ad Salvii Iuliani edictum perpetuum, quod a fragmentis hinc illinc collectis modo per belle restituit Otho Lenel; non quod postea praetor suum non posset edictum proponere, nova quidem addens, sed edictum corrigere nullatenus poterat; ce-

<sup>1</sup> Cf. fasc. sup.

<sup>2</sup> Cf. fasc. sup. mens. Novembr., pag. 165,

terum ex inventa iudiciorum cognitione extra ordinem, Praetor elanguit, et deum siluit plane.

Etiam *senatus consulta* inter fontes in digitavimus superioris periodi et diximus haec convaluisse, faventia aequitati et a rigore iuris civilis temperate recedentia;<sup>1</sup> hoc *ius novum* dicitur; quod tamen nomine et ius significatur quod e ceteris fontibus fluebat, e iuris prudentibus atque Imperatore; de quibus nunc pauca.

*Responsa prudentum.*—Prudentes erant iuris periti, qui consulentibus respondabant iam in Republica, privata tamen auctoritate. Augustus primus indulxit ut imperiali nomine et auctoritate, publice scilicet, certi quidam iuris periti responderent; exinde iurisprudentis nomen iis reservari coepit, quibus ius esset publice respondendi; quod Hadrianus Imperator (117-138) perbelle expolivit, auxit munus publicum reddidit; unde duplex veluti habetur iuris peritorum aetas, privata et publica. Illa coepit iam a medio saeculo III ante Ch. n., et floruit saec. II et I, atque postea in Imperio; praeteriri non possunt S. Ael. Paet. Catus, Rutilius Rufus, Scaevola, a quibus reapse initium sumit romana illa schola iuris civilis, in qua tempore Caesaris et Augusti, eminuerunt S. Sulpitius Rufus, P. Alfenus Varo, Q. Aelius Tubero, C. Ateius Capito, conditor agminis Sabiniianorum (a Masurio Sabino dicti), et M. Antistius Labeo, Proculeianorum princeps; agmen utrumque nobilissimum. Ascendit etiam iurisprudentia ex scientia cum Masurio Sabino, Proculo, C. Cassio Longino, culmenque attingit, inter Traianum et Hadrianum, aetate aurea, per P. Ioventium Celsum filium, Lucium Neratium Priscum, Lucium Favolenum primum, atque Salvium Julianum illum, qui *Edictum perpetuum* exornavit, atque

*Digesta* edidit, quae vere exsisterunt iuris romani monumentum.

Exinde, a medio saec. III p. Ch. n., scientia juris declinare videtur; quamquam dudum merito eminent, inter ceteros, Sextus Pomponius, Sextus Caecilius Africinus, Lucius Ulpianus Marcellus, Q. Cervidius Scaevola, et, elegantia omnibus praestans, Gaius, cuius supersunt *Institutiones* et fragmenta satis multa in Iustiniani Digestis.

Magis autem iurisprudentia romana declinat saec. III, quae iurisconsultorum aetas vulgo appellatur; in qua quidem nequam spernendi floruerunt Aemilius Papianus ille, quem S. Hieronymus amplissime laudat; Tertullianus, qui et strenuus apologeta nec inelegans exstitit iuris consultus; Domitius Ulpianus, omnium copiosissimus; Iulius Paulus, Aelius Marcius; denique Herennius Modestinus, qui ante medium saec. III, licet complura scripserit et praefalarum nomen sit assequutus, quasi ultimus tamen agmen claudit nobilissimum. Nam postea iuris periti vetera potius colligunt et refricant, quam nova promunt.

Ultimum, tempore, iuris fontem diximus *Constitutiones* – (post etiam *Placita nuncupata*) – *Principum*, hoc est Imperatorum, praesertim post Diocletianum. Itaque *constitutiones imperiales*, quae initio non erant nisi edicta magistratus, nec vim legis, sed decreti tantum habebant, sensim convalescunt, vim legis nanciscuntur; fiunt ipsae leges, dictumque fuit: « Quod principi placuit legis habet vigorem », immo plane: « Lex est iussum principis ». Imperator itaque praecipuas in iure condendo partes obtinuit, idque pluribus modis: ab eodem enim manant a) *Leges datae*, b) *Orationes*, c) *Edicta*, d) *Decreta*, e) *Mandata*, f) *Rescripta*, g) *Epistolae*, h) *Leges generales*, i) *Pragmaticas sanctiones*.

*Leges datae* ferebantur ab Imperatore

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Novembr., pag. 165.

quasi a magistratu supremo, ex potestate a populo et patribus delegata, quod iam in Republica fieri coepisse novimus; hodie autem per « Decreta-leges » passim fit.

*Orationes* habebat Imperator aut in senatu, aut ad populum, et primum non nisi fere ad hortandum et referendum; postea ad imperandum plane.

*Edicta* ferebat Imperator ut veteres reipublicae magistratus; nam omnes eidem Imperatori magistratus sensim conlati sunt, ut esset idem Aedilis, Consul, Dictator, Princeps; sed in secundo imperio qui Principatus appellatur, sensim edicta obsolescunt; cedunt legibus generalibus.

*Decreta* Imperator edebat qua iudex supremus, in causis definiendis, quas aut ex integro cognovisset « extra ordinem », aut, instante alterutra parte, ad sese avocasset; initio fuerunt simpliciter sententiae, quae ius non facerent nisi inter partes; mox vero, tertia imperii aetate, vim legis sensim nacta sunt.

*Mandata* dabat Imperator officialibus de certis expediendis negotiis; quam ob rem ad publicum magis, administrativum scilicet, quam ad privatum ius referenda sunt; sed facile et ea vim legis obtinuere.

*Rescripta* Imperatores plerumque signabant ad calcem petitionum, quas copiosiores in dies ai iudicibus, ab officiis, a privatis accipiebant sive ad consulendum, sive – et non raro – ad lites decernendas: respondebant ius controversum explanantes, sententiam magistratibus suggestentes, iuri addentes principium quoddam novum novamque actionem; semper ad casum, at non raro rescriptum deduci posse aut deducendum esse ad principium generale Imperator iubebat expresse; sed complura, licet initio ad casum signata fuerint, postea, recepta in collectiones, facta sunt eo ipso generalia. Itaque in Codice Theodosiano satis multa una cum constitutionibus,

eodemque nomine, nulloque discriminis continentur rescripta.

*Epistolae* mittebantur humiliore forma, quasi ad familiares; sed quum saepe etiam de iure aut exequendo, aut administrando, aut decernendo agerent, eadem paullatim vim legis obtinuerunt, nec satis iam a rescriptis, a mandatis, a decretis, nisi exteriore sua forma, distincae fuerunt.

*Leges generales*, a Diocletiano et postea sensim, edictis successerunt, et vulgo eodem nomine designatae sunt. Lex generalis, seu edictum, ab Imperatore dabatur populo vel magistratui, qui suo edicto legem promulgaret ad populum, apparabatur a Quaestore sacri palatii; a medio saeculo V receptum est ut lex generalis antequam promulgaretur, a procuribus, a senatu, a consistorio Principis probaretur.

Diviso imperii territorio, ne imperium ipsum dividi videretur, leges utriusque imperatoris nomine editae sunt ut utroque vigerent; dein, Theodosius II et Valentinianus II imperarunt ut si qua constitutio ab alterutro tantum daretur, ad alterum Augustum mittenda esset, addita *Sanctione pragmatica*, ut probaretur et promulgaretur apud alteram quoque partem imperii. Pragmatica igitur sanctio erat haec declaratio authentica; postea nomen significavit et ipsam constitutionem, et formam Rescripti obtinuit, sed negotiis generalibus curandis. Disputant hodiernum Pragmatica sanctio possit vera lex dici.

(Sequitur)

SYLVIUS ROMANI.

Vilium satis hominum est et suam laudem querentium alios viles facere, qui alterius vituperatione se laudari putant, et qui suo merito placere non possunt, placere volunt in computatione peitorum.

S. HIERONYMUS.

## VETERA ET NOVA

### De «embammate Magonensi».

Viro clarissimo quamquam ignoto, ALMAE ROMAE adsiduo lectori, salutem.

Quaeris a me utrum, quod in edulis iudicibus mensarum elegantibus superiore mense Octobri sub «embammatis Magonensis» nomine proposui, instinctui illi respondeat, a Gallis *sauce mayonnaise* nuncupato; et quibus rationibus inductus, latine ita reddiderim.

Utique, o rerum dulcissime, id ipsum significare volui, et gaudeo a te fuisse plane intellectum, quemadmodum spero aliis etiam contigisse.

Quod autem ad latinam meam interpretationem spectat, haec accipe:

*Embamma* latinum, ex graeco ευβάπτω (immergo, intingo), Gallicae *sauce* satis respondere ex Columellae id faciendi ratione deducere licet, qui de aceto, musti certa mensura mixto, ad rem sermonem habet: atqui acetum praecipuum locum in *sauce* (italice *salsa*) tenet, quod cum aliis substantiis miscetur; in casu nostro cum ovorum vitellis tostis oleo dilutis, malo citreo, petroselino aliisque odoratis herbis. Atvero longa profecto nimis mihi videbatur huiusmodi elementorum enucleatio; nonne et latine uno adiecto verbo res designari poterat?... Mente in hoc defixa, unde gallicum adiectivum *mayonnaise* ductum fuerit, inquirere volui, variisque incoepitis frustra actis, Alafredi Panzini italicum recentiorum vocabulorum lexicon<sup>1</sup> tandem mihi succurrit, ubi legi: «Iuxta nonnullos lexicographos *mayonnaise* corruptum verbum est ex *bayonnaise*, nempe ex Bayonne urbe. Alii vero scribunt ma-

*honnaise*, ex civitate Mahon». Atqui corruptio illa pluribus de causis, quas quisque fingere sibi potest, haud satis mihi faciebat; profectus itaque sum *Mahon* versus, per amplissimum lexicon illud geographicum universum ab Italorum doctorum societate, ex celebrioribus totius orbis illius generis operibus compositum, ac Venetiis an. 1830 editum. Ubi *Mahon* (pag. 733) perveni, ad *Maone* videndum sum missus; quae civitas, latino nomine *Portus Magonis*, oblata mihi est tamquam praecipua Minoricae Balearium insulae, in pulcherrimo sinu posita, cuius incolae cursui praeter oras maritimis atque piscationi se maxime didunt. Congruum itaque mihi visum est piscatores illos cuppediam nostram ad exquisite condiegos pisces invenisse, quam ego sic latinam feci.

Habuisti hinc rem; quam si acu non ego tetigerim, ominor certe ut coquus tuus optime, appetenter tibi suppeditet; tu vero cave nimis edas, ne ventriculus tuus *Magonense embamma* in tortina vertat. Cupio enim te bene valere.

I. F.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

### A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE

#### LATINE VULGATAE

#### NOTITIAE.

### ULTERIOR INQUISITIO IN ISOTOPOS ELEMENTORUM RARORUM.

Dominus F. W. Aston in laboratorio Cavendish Cantabrigiae persequens in analysim elementorum per radios anodicos

<sup>1</sup> ALFREDO PANZINI, *Dizionario moderno, supplemento ai dizionari italiani*, edit. IV. - Mediolani ex off. Hulrici Hoepli, 1923.

ad isotopos definieratos, haec recenter retulit de elementis, quibus numeri atomici a sexaginta sex ad septuaginta et unum pertinent.

*Dyprosium*, cuius numerus atomicus 66, constituitur ex elementis quorum pondera sunt 161, 162, 163, 164, quae adsunt eadem fere frequentia.

*Holmium*, cuius numerus 67, apparet omnino simplex cum massa 165.

*Erbium*, cuius numerus 68, praebet tria componentia: 166, 167, 168 eiusdem intensitatis, et quartum 170 debilius.

*Thulium*, cuius numerus 69, apparet simplex cum massa 169.

*Hitterium*, cuius numerus 70, videtur continere elementa, quorum massae mensurantur per 171, 172, 173, 174, 176; elementum vero, cuius pondus 174, apparet valde frequentius.

*Lutetium*, cuius numerus 71, simplex apparet cum massa 175.

Addendum est, ut ipse Auctor animadvertisit, sex ista elementa replere omnes gradus ponderales a 161 ad 176 inclusive, neque adest isobarum quolibet.

### DE QUIBUSDAM PROPRIETATIBUS THERMICIS

#### HELIU DENSATI.

In epistula missa ad commentarium *Nature* R. Khischew et F. Simon referunt de primis mensurationibus super helium, densum factum, actis.

1) Calor fusuræ est 6,75 *caloriae* per grammum athomum ad 4°,0 gradus maximis, et 5,1 caloriae ad 3°,4.

2) Densitas helii solidi in aequilibrio cum fase liquida est 0,23 ad 4°,0, et 0,22 ad 3°,6.

3) Densitas et compressibilitas helii liquidi plene respondent mensuris a Kee som datis.

4) «Compressibilitas» helii solidi apparet circiter 1,5 per decem ad minus tres

per atmosphaeram, dimensa ad 8°,7 temperatura, et 115 «atmosphaeras».

5) Calor specificus helii solidi inveni tur inter 2,7 et 3,7 ad densitatem 0,23.

Aliae inquisitiones actae sunt circa expansionem adiabaticam et variationes in calore specifico, nec desunt animadversiones circa constitutionem puncti nullius in entropia, inxta theorema a Nerst propositum.

#### NOTITIUNCULAE.

Recens forma stroboscopiae ab R. G. Standerwick proposita per prisma roteans videtur permittere ampliores applicationes quam formæ huc usque adhibitæ.

Nova haec forma præbet persistentem imaginem obiecti roteantis.

Iam ab aliquot annis contendunt in Anglia ut introducant numerationem horarum a prima ad vigesimam quartam.

Reipublicae tamen moderatoribus, eo quod vera necessitas in re non apparet, prudens videtur inquirere utrum nova haec forma usui aptari et grata evadere possit.

Ad hunc finem nova haec distributio brevi inducetur in nuncios et in program mata a Corporatione Britannica Radiodiffusionis, quae tam facile et frequenter in die publicum attingit.

Consociatio inter peritos diplomatici insignitos a schola electrotheistica Leodiensi numisma honorificum ab ipsa Societate, Praeside G. Trasenster, institutum, Guilelmo Marconi pro eius in radiotelegraphia præclaris meritis hoc anno tradi decrevit.

Qualem commendes etiam atque etiam aspice  
Inquit aliena tibi peccata pudorem.

Fallimur, et quandam non dignum tradimus,

Quem sua culpa premit deceptus, omitte tueri.

HORAT., Epist. I, 18.

**AD SANITATEM TUENDAM**

**Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.**

§ 601. – Porro – quod ad melancholicos pertinet, – ii saepe sunt flatuosi: flatus enim maxime facit ad ruptionem venarum, et proinde ad sanguinis reiectationem (STOLL).

§ 602. – Qui hypochondriaci sunt et flatibus abundant et cruditatibus, utrumque imaginationem pleuritidis afferre potest; quia et in cruditate ipsa, et flatuum copia, facile thoracis dolor excitatur.

§ 603. – Pulmonicis – ait BALLONIUS – efflorescent nonnulla in cuto circum pectus aut scapulas, et talia sunt signa contentae materie in pulmone; quum apparent pustulae in aliquo, videndum, num id sequatur vitium quoddam particulare partium internarum.

§ 604. – Corpora humidiora natura sunt morbosiora, si verum illud (*Aphor.* I. 6): Queis naturae nares humidiiores, minus integra sanitatem feruntur: quibus contraria, salubres degunt.

§ 605. – Quis dubitat, quin aliter sese gerere oporteat toto corpore affecto, quam si vel pars una laboret? Quia etiam dispositionis varietas rem quoque variat. Nam in quibusdam est *frigiditas* et *humiditas* multa nativum calorem obruiens causa huius rei. In aliis vitium ventriculi et primae regionis, ut in iis, quae foedos quoque colores. In talibus foetet anhelitus, ructus adsunt et cachexiae signa, luridi sunt dentes, gravedo, tumor pedum aut corporis: est enim prava chylosis, seu pravitas, ut loquuntur practici, digestionis.

Tum 1) Ab adstringentibus abstinentum; ventris enim tumor et hydrops inde oritur. – 2) Habenda est ratio ventriculi.

FINIS.

I. FAM.

**COLLOQUIA LATINA**

XI.

**Mutuatio calami<sup>1</sup>**

CONRADINUS, PETRONIUS.

CONRADINUS. – Da mihi, oro, utendum calatum.

PETRONIUS. – Nullos habeo calamos hodie, quos tibi dem mutuos.

CONR. – Thecam plenam apud te vidi.

PETR. – Per somnium fortassis. Sed dicam uno verbo rem totam nullos habeo, quos tu commodatos retineas.

CONR. – Quae tam mala mens in hanc te suspicionem impellit? Tam perverse de me existimas? Eho, nondum nosti mores meos? Verum, ne sis in mora: da mutuum calatum.

PETR. – Ubi tui?

CONR. – Meliusculos reliqui domi; deterioriores portavi mecum per imprudentiam.

PETR. – At tu meum quoque disperderes, aut nimium premendo, aut ipso intinctu, ad fundum atramentarii allidendo videlicet.

CONR. – Leviter ducam per chartam, sensim intingam, salva cuspede.

PETR. – Multane descripturus?

CONR. – Tantummodo versus aliquot a Praeceptore post horam explanandos; ut nimirum glossulas interserere queam,

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis*. - Passim retractavit hodierisque moribus aptavit I. F.

nam retinere eas non possum ob tenuitatem memoriae. Si quid mutuaberis a me, seu calamos, seu papyrus, seu librum, seu quid aliud, dabitur mutuum haud gravate.

PETR. – Ecce tibi probatum calatum, quem dono: tuus esto.

CONR. – Multum te, mi Petroni, de istac liberalitate amo. Experiar. Profecto idoneus est, si qui alius ad decore formandas litteras.

**ANNALES****De Sarrensi proximo populiscioto.**

In superiore eventuum recensione nostra, de timoribus mentionem fecimus undique exortis, ne populi scitum, quod in Sarre provincia proximo mense habebitur, sine partium studio ac libere processurum sit. Id ad impediendum delecti ex Italia, Argentina et Hispania triumviri sunt, qui consilia apud Nationum Societatem opportuna proponerent.

**Nationum Societas.**

Cuius quidem Societatis sessio postremis hisce diebus inita est, in qua primum examini subiectum est notum inter Bolivianam atque Paraguaiensem civitatem discrimin; sequetur praedictorum triumvirorum relatio; denique de maximi momenti asperoque arguento disceptabitur, a Iugoslavorum regno requisito; nempe de omnium nationum inquisitione circa recentem Massiliensem caudem, quo in aperto fiant remotae facinoris illius causae, a quibus haud extraneae essent quaedam agendi rationes Hungaricae, per

quas tuto fieri possent in illa regione coniurationes scelerumque apparatus. Facile coniici licet quantum huiusmodi insimulatio Hungarorum animos vulneraverit, qui eam tamquam calumniosam reiuentes, et ex parte sua petiverunt ut statim Societatis Natio iudicium de re proferat.

**Gallicae res.**

In Gallia administrorum radicalium, quos nuncupant, oppositio Doumergue presidis legum rogationi de rei publicae constitutione reformanda, ad illius viri abdicationem a suo munere adduxit. Rapide ei Flandin successit, qui exteris negotiis Laval servavit, atque partium inducias iterum invocavit, ut uno animo subveniri possit civitatis oeconomicis conditionibus, aerarii instaurationi, gravibusque aliis publicis negotiis.

**Pacifica itinera.**

Pacifica profecto itinera nuncupari possunt quae Goemboes, Hungaricae civitatis supremus minister, atque Schuschnigg, Austrorum Cancellarius, qui desideratissimo illi Dolfuss successit, Romam peregerunt: firmata enim sunt iam inita consilia de communibus rebus amice tractandis, deque bonarum artium et commerciorum mutuis rationibus inter tres populos arctiori vinculo iungendis.

POPLICOLA.

Perfecta est liberalitas ubi silentio quis regit opus suum; et necessitatibus singulorum occulte subvenit, quem laudat os pauperis, et non labia sua.

S. AMBROSIUS.

Id facere est quod decet, non quod licet.

SENECA.

**VARIA**

**Si quid in Republica aut Imperio facere cogeris, simulandum esse sponte tua id facere te, quod necessitas facere cogit.**

Sapientes viri gratiam sibi comparant etiam ex iis rebus, quas necessitate induci praestant: quae res a patribus Romae eleganter observata, magnam benevolentiam illis apud plebem conciliavit; in eo praesertim negotio, quo decreverunt militibus ex publico aerario stipendia, qui prius cogebantur propriis sumptibus, militare. Nam quum diuturna bella ante oculos posita cernerent, et oportere etiam exercitus suos ad ea conficienda procul a patria duci, facile intelligebant, nisi ex publico stipendia solverentur, nihil horum effici posse. Itaque, necessitate urgente, senatus stipendia militibus ex publico decrevit; sed id tanta industria fecit, ut ex eo, quos necessitas facere cogebat, magnam sibi benevolentiam compararit; nam id praestitit antequam vel a tribunis, vel a plebe ulla eius rei mentio facta esset. Itaque nihil acceptum unquam a plebe tanto gaudio traditur; concursum enim ad curiam esse, prehensasque ex euntium manus, et patres vere appellatos; effectumque esse, ut nemo, pro tam munifica patria, donec quicquam virium superesset, corpori aut sanguini suo parceret. Sed tribuni plebis, communis ordinum laetitiae concordiaeque soli expertes negare tam id laetum ac prosperum consilium fore, quam ipsi crederent: id enim specie iam melius esse quam usu apparitum: unde enim eam pecuniam confici posse, nisi tributo populo indictio? Ex alieno igitur patres esse largitos querabantur. Sed quidquid illi dicerent, plebi id gratissimum fuit: quod ut patres per-

severanter tueri possent, quum ex censu summa fide contulissent, de suo primi contribuerunt; post quos, primores plebis, nobilium amici, ex composito conferre incipiunt; quos ut a patribus collaudari et a militari aetate tamquam bonos cives conspici vulgus hominum vidit, repente spreto tribunitio auxilio, certatim in militaria stipendia conferre coeperunt.

\*\*

**Lepores et Ranae.**

Lepores quodam in conventu de miseria et fortuna infelici vitae suae conquesti, quae et a bestiis simul et ab hominibus impugnaretur, nam canibus, et aquillis, et omnibus propemodum feris carnivoris sese direptioni et praedae esse, tum sibi mortem ultro consiscere decreverunt: statuebant enim multo esse satius semel interire, quam sempiterna formidine agitari. Itaque, re probata universis, ad proximam paludem cuncti impetu maximo ferebantur, ut in aquis demersi suffocarentur. Ranae autem, quae forte in herbis iuxta paludem enatis incubabant, incursione leporum territae, subito omnes in paludem fugientes se demisere. Tum unus inter leporum, reliquis sapientior: - « State - inquit - socii, neque in vos ipsos gravius quicquam consulite. Nam nos quoque, ut videtis, quaedam animantes metuunt, quas scilicet esse inferiores nobis oportet ».

Fabula ostendit, afflictis aliorum miseras solatio esse.

**Pro iudicibus mensarum elegantibus.**

**ESCARUM NATALICIARUM ORDO:**

*Promulsis ex ovis cum olusculis. Iuvant, iuvant, iuvant, iuvant...*

*Soleae, lollinges, fungique fricta.*

*Pisa ad Gallicam rationem decocta.*

*Capo in testa cum solanulis tuberosis ambustus.*

*Panis piperatus Senensis.*

*Amygdalinae nucis nivatum scitamentum.*

\*\*\*

**locosa.**

**Tuccius in schola.**

MAGISTER, postquam diuturnum in declarandis horizontis cardinibus tempus trivit, a Tucci eos Italiae assignari pertentat:

— Ad septem triones Alpes tibi offeruntur, ad orientem...

Tuccius tacet.

Instat alter: — Ad ortum solis quid tibi offertur?..

Tuccius: — Ientaculum!

Amicus Tuccio:

— Insanit quidem Nicolaus, condiscipulus noster. Quaerit ut eius litteris respondeamus, neque tamen indicat domicilium quo mittamus.

Tuccius: — Ecquid? Scriptis ab eo petas ut nobis significet.

**Aenigmata.**

I

(vulgo REBUS).

iuvant, iuvant, iuvant, iuvant...

II

Litera me pavit, nec quid sit litera novi:  
In libris vixi, nec sum studiosior inde:

Exedi Musas, nihil hinc tamen ipsa re-  
porto.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-  
posita his respondent: 1) *Monumentum*;  
2) *Scobis-Scrobis*.

**Libri recens dono accepti.**

Prof. GIUSEPPE FAVARO. — *Un trattato manoscritto latino di anatomia di Natale Saliceti.* (Estratto dal « Bollettino dell'Istituto Storico Italiano dell'Arte Sanitaria » allegato alla « Rassegna di Clinica, Terapia e Scienze affini ») — Romae, 1934.

*Carmina Horatii selecta in usum iuventutis studiosae ad modos aptata.* Modos partim col-  
legit, partim composuit JOSEPHUS WAGNER  
(Budapestini, typis I. Gottliebi, MCMXXXIV — Venale prostat in Hungaria 2 pengö; pro  
exteris nationibus 3 pengö).

# INDEX RERUM VOL. XXI

(AN. XXI — FASC. I-XII)

**Alloquia sociis et lectoribus.** 1, 83, 110, 181  
**Annales.** 15, 32, 50, 68, 86, 104, 122, 139, 158, 176, 193

**Archaeologica.**

Christianorum Pascha et Hierosolymae recordatio (*Hersilus*) . . . . . 61  
 Artes in catacumbarum picturis adumbratae (*S. S.*) . . . . . 185

**Carmina.**

In quosdam vates. - (*I. Morabito*) . . . . . 10  
 In criticos (*V. Polydori*) . . . . . 10  
 Pio XI P. M. annum XIII Sacri Principatus feliciter auspicianti . . . . . 19  
 Popina (*A. Bastili*) . . . . . 31  
 In Ioannem Bosco (*F. Sofia Alessio*) . . . . . 45  
 Humanae redempcionis anno sacro labente (*U. Fratini*) . . . . . 52  
 Rex alnorum (*I. Fav.*) . . . . . 66  
 Non omnis moriar! (*M. Tarchi*) . . . . . 82  
 Amor et supplicium (*F. Sofia Alessio*) . . . . . 95  
 Venatio (*I. Morabito*) . . . . . 112  
 Cerasus (*V. Polydori*) . . . . . 135  
 In Bonas Auras coetu iam adveniente XXXII Encharistico internationali (*L. Marcos*) . . . . . 154  
 Valete, Musae! (*Hirpinus*) . . . . . 174  
 Cuidam laudatori (*M. Tarchi*) . . . . . 175  
 Laetitia nunquam integra (*H. N.*) . . . . . 175  
 Domesticae Natalitiae Feriae (*M. Tarchi*) . . . . . 187

**Certamina poetica.**

De certamine poetico Hoeufftiano anni MCMXXXIII . . . . . 83  
 Exitus certaminis poetici Ruspantini . . . . . 155  
 Novum certamen poeticum Locrense . . . . . 155

**Colloquia latina.**

*I. Pontani Progymnasmata latinitatis* (Pessim retractavit hodiernisque moribus aptavit *I. F.*):  
 Formulae salutandi et valedicendi in congressibus . . . . . 12  
 Formulae bene precandi . . . . . 31  
 Arma scholastica . . . . . 47  
 Formulae petendarum facultatum . . . . . 67  
 Eunte in ludum . . . . . 85

**Tarde ludum petentes** . . . . . 102  
**Excusatio absentiae** . . . . . 120  
**Amissus et promissus liber** . . . . . 157  
**Chartae in volumen consutae** . . . . . 176  
**Mutatio calamii** . . . . . 192

**Epistolare sociorum commercium.**  
 « Pittacium » quid? (*I. Fornari*) . . . . . 30  
 (Cfr. etiam **Vetera et Nova**).

**Fabulae.**

**Vulpes et Crocodilus** . . . . . 16  
**Simius et Delphinus** . . . . . 34  
**Leo et Rana** . . . . . 53  
**Carbonarius et Fullo** . . . . . 70  
**Asinus silvestris** . . . . . 87  
**Ursus et Apes** . . . . . 106  
**Fraudulentus** . . . . . 124  
**Hinnulus** . . . . . 142  
**Monedula** . . . . . 160  
**Lepores et Ranae** . . . . . 194

**Historica.**

Ex *Nicolai Machiavelli* opere « De republika disputationes ex prima decade T. Livii » latine vertit *H. Bindii*:  
**Respublica et Religio** . . . . . 15  
 Iulius II Pontifex et Iohannes Pagolus Baglionius, Perusinormi tyrannus . . . . . 33  
 De ingrato Romanorum et Atheniensium animo in cives suos . . . . . 52  
 Eosdem casus saepe diversis gentibus accidere . . . . . 69  
 Quantum praesidii in verae religionis recto usu haberi queat . . . . . 87  
 Quam difficile sit ut populus, qui corruptos habeat mores, partam nuper libertatem conservare possit . . . . . 105  
 Populi multitudinem sine ductore nihil proficeret: nec oportere ei minari, a quo sis quidquam petiturus . . . . . 122  
 Nulli magistratui tantam potestatem attribui debere, ut consuetis Reipublicae functionibus impediri queat . . . . . 141  
 Qui contemnit ac parvi facit alios, in eorum odium incurrit, nec utilitatis quidquam ex hoc contemptu consequitur . . . . . 159

Non iniuria laudatur vetustas; sed neque iure vituperantur semper quae aetate nostra geruntur . . . . . 177

Si quid in Republica aut Imperio facere cogeris, simulandum esse sponte tua id facere te, quod necessitas facere cogit . . . . . 194

Roberti Scotti, navarchi Angli, itinere antarctico (*A. Haberl*) 17, 36, 71, 89, 106, 125, 143, 161, 179, 195

Ioanna Antida Thouret (*V. Sacconi*) . . . . . 24

Iosephus Benedictus Cottolengo (*A. Milani*) . . . . . 42

Ioannes Bosco (*J. Guasco*) . . . . . 59

Margarita Theresia Redi (*V. Sacconi*) . . . . . 78

Divini Spiritus represtatio apud Urbe

veteranam civitatem (*A. F.*) . . . . . 81

**Ius.**

De iure atque iustitia (*S. Romani*) . . . . . 127

De fontibus iuris italicci lineaentali historica. - Aetas antiqua (*S. Romani*) 145, 163, 187  
 De « Congressu Iuridico Internationali » Romae habitu . . . . . 181

**Libera a pittacilis responsa** . . . . . 54, 160

**Libri recens dono accepti** . . . . . 70, 195

**Librorum recensio** . . . . . 35, 54, 88

**Litterae et Philologia.**

De latini sermonis elegantia (*J. Iss.*) . . . . .

De praepositione . . . . . 5

De quibusdam adverbis eleganter usur pandis . . . . . 22

De coniunctionibus . . . . . 40, 55, 75, 100, 116

De propositionibus eleganter omittendis . . . . . 131

De propositionibus eleganter convertendis . . . . . 151

De propositionibus eleganter usurpandis . . . . . 166

De propositionibus adjunctis . . . . . 183

Litterarum reliquiae in vita privata priscorum Romanorum (*A. Aureli*) . . . . . 27

De Ludovici Ariosti fabula, quae « Rolandus fures » inscribitur (*P. Conti*) . . . . . 58

De Avito poeta eiusque poëmate discipulis, exemplo, proponendo (*A. Aureli*) . . . . . 92

De diversa, Paganos inter atque Christianos scriptores, loquendi ratione (*A. Aureli*) . . . . . 133

De ethnicorum et Christianorum hymnis in sacris solemnibus canendis (*A. Aureli*) . . . . . 148

Ethnicorum Christianorumque scriptorum quae orationis elegantia et perspicuitas fuerint (*A. Aureli*) . . . . . 170

**Medicae notae.**

Ad sanitatem tuendam: Aphorismi sive precepta medendi generalia ex pluribus ca-

sibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta (*I. Fam.*) 14, 66, 175, 192

De « phototherapia » (*Forfex*) . . . . . 118

**Philosophica.**

De hodiernae vitae ratione renovanda meditationes (*S. Romani*):

Navigatione necesse est . . . . . 4

Per aspera ad astra . . . . . 20

Ascende superius! . . . . . 37

Novus rerum ordo . . . . . 73

Redeat Sol iustitiae ! . . . . . 98

Conclusio . . . . . 110

**Politice.**

De discrimine inter Paraguaiensem et Bolivianam civitatem (*P. Ardizzone*) . . . . . 91

**Roma sacra.**

Ex Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii . . . . . 48, 142

Laudatio Alberti, Belgarum regis, ab exciso viro Antonio Bacci, Brevium ad Principes a secretis, coram Ssimo dicta in exequiis in Xystino Vaticano sacello celebratis . . . . . 49

**Sapientum per vestigationes a radiophonica Vaticana statione latine vulgatae.**

**NOTAE:**

De stellarum transvolantium turbine die ix mens. Octobris MCMXXXIII (*I. Stein*) . . . . . 28

De praesenti statu quaestionis circa nubes obscuras cosmicas (*I. Stein*) . . . . . 84

De transiecto itinere undarum electricarum (*I. Gianfranceschi*) . . . . . 103

Iosephus Gianfranceschi S. I. (*A. R.*) . . . . . 122

**NOTITIAE:**

De antiquissimis caeli speculis . . . . . 29

De isotopo hydrogenii . . . . . 29

De fluctuatione in intensitate radiorum cosmorum . . . . . 29

De helio invento apud oppidum Lardarello . . . . . 30

De radiis X positivis . . . . . 30

De inquirendo in aluminium aquis inclusum . . . . . 30

De altissimis tensionibus electricis . . . . . 46

De investigationibus circa propagationem undarum electricarum in zona polari . . . . . 46

De statu electrico in floribus . . . . . 46

De « electrizatione » pluviae . . . . . 47